

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-23.E.1


Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRATIO
SACRI PATRIMONII
SEV
DE BONIS ET
POSSESSIONIBVS
ECCLESIARVM.

Vbi agitur de veteris & nouæ legis Sacerdotum censibus, origine & fundatione Oratoriorum, Parochiarum, Episcopatuum, Monasteriorum, Ecclesiæ Seruis, Mancipijs, Colonis, Casatis, Libertis, Mansis, prædijs, decimis, Oblationibus, Primitijs iuribus Episcoporum & Sacerdotum.

Auctore NICOLAO LE *M*AISTRE *in Sacra Theologiæ Facultate Doctore, & socio Sorbonico.*



ex Legen





Mrs Cotein.



PARISIIS,

Apud viduam NICOLAI BÜON, viâ Iacobæâ propè Mathurinenses.

M. DC. XXXVI.

Cum Priuilegio Regis & Approbatione Doctorum.

Digitized by Google



AD

ILLVSTRISSIMOS

ET REVERENDISSIMOS

Antiſtites, Lectiſſimos ac, Religioſiſſimos Proceres Eccleſiaſtici Galliarum Senatus.

SIſto tribunalibus veſtris (Illuſtriſſimi Antiſtites) antiquum clientem, non frequenti ambitu commendabilem, non temerariâ ſalutatione importunum, ſed vnâ maximè fretum veſtri Ordinis ac faſtigij reuerentiâ, cuius legem ignorare dicendus ſim, ſi Chriſti Prælatos crederem ſæculi artibus certius mulceri, quàm veris ac ſinceris honoribus conciliari. Veniunt ergo in conſpectum veſtrum, rudis induſtriæ fructus ſub interualla atq; inducias concionũ nati, quos etſi vniuerſa aliũde laudis argumẽta deficerent; hoc vnũ tamen gloriæ plurimum adferet, ſi poſteritas intelligat, ſub illis creuiſſe atq; adoleuiſſe comitiorũ ſideribus, quibus inter ſolemnes LODOICI fortiſſimi ac fortunatiſſimi victorias, nationes exteræ hoc amplius didicerunt, Galliam non militum tantummodo conſtantiâ, ſed Præſulum quoque virtutibns triumphare. Adeoque fru-

ſtra nobiſcum, inconſultâ æmulatione, de Imperij ac Religionis gloria certari, apud quos non optimi tantum ac diuini Rectores Reipublicæ gubernaculis aſsident: ſed eximij quoque Antiſtites ſacris ac religionibus moderantur.

Veſtro itaque conſeſſu illuſtrata vrbs hæc Imperiorum caput, ſeipſa quodammodo maior effecta eſt atque auguſtior: & venerata votis ardentibus tanti Ordinis maieſtatem; dum huius prudentiam ſtupeſcit, illius facundiam demiratur: vnius ſinceritatem colit, alterius eruditionem prædicat, omnium verò Iuſtitiam ac pietatem amplectitur, quaſi nouo miraculo, perculſa, credidit non è variis Galliarum regionibus homines, ſed ex ipſis cœlorum penetralibus virtutes vniuerſas in ſuum ſinum confluxiſſe. Quamobrem laceſsitæ Galliæ pœnitudinem, etſi vicinis nationibus vltrix calamitas intulit: auxit tamen dolorem ablata peregrinandi libertas, eamque vrbem adeundi, in qua compendio rerum pœnè maximarum, tota ſeſe Gallia receperat: vbi eum & cernere & mirari poterant Senatum, quo viſo cætera facilè eſt, ſi non faſtidiri, ſaltem non impatienter exoptari.

Quid mirum ergo, ſi tam frequens ac publicus veſtro patrocinio ſe credit litteratorum hominum concurſus. Sentiunt quippe tam luculenti nomi-

nis auctoritate studia splendescere, & quæ vobis probata sunt nullius deinceps censurâ conuelli.

Prodeo ergo turbæ numerosæ immixtus, vos litterarum atque artium optimarum, statores saluto. Et dum alij maiorum vestrorum sanctitatem ac virtutes prædicant, ego opes ac fortunas recenseo, vt hinc discant omnes, nec pietatem vnquam diuitiis, nec diuitias pietati nocuisse, adeoque non tam fas esse, eum qui superest Ecclesiæ splendorem inuideri, quàm perditum atque extinctum, deplorari.

Partem hanc vt sentio, quæ in fortunis ac opibus iacet, patrimonij minimam ducit animus vester vnius æternitatis candidatus. At non erit ingratum lustrare maiorum fortunas, beneficia in iis Regum ac populorum agnoscere; atq; hinc augurari, quanti olim dignitatem ac religionem Præsulum Respublicæ & nationes æstimarint, dum splendida ista cupiditatum humanarum irritamenta altaribus aduoluerent, quibus, versâ infeliciter mente, cæci ac miseri mortales aras erexerunt.

Fauete ergo secundo huic præludentis styli experimento, dum aliquid maius ac politius, molior, quo possim vestram in me, ac litteratos omnes humanitatem ad memoriam posterorum transmittere.

Vestri Ordinis humillimus cultor N. LE MAISTRE.

Digitized by Google



BENEVOLO LECTORI.



TSi defensore non egeat Ecclesia, neque residuæ eius dignitati quidquam metuendum, eo nobis principe diuinitus dato, cuius ensi ac victorijs Imperij sui partem haud pœnitendã Christus debere non dedignatus est. Ea tamen materia plurimas ad scribendũ rationes versanti ac meditãti sese obtulit, in qua stylus citra inuidiam sese exerceret, & quæ nullius contumelia ac felle vexaretur: quis enim & bonis possessionibus Ecclesiæ infensus esse possit; nisi qui pietatem maiorum accusat, & dum opes immensas perire sceleribus ac nequitijs dissipari non ægrè sustinet, id solum quod Deo ac Religioni consecratur putat esse deplorandũ. Publica sunt & cunctis obuia Ecclesiæ bona. Nemo in patrimonio suo numerat quod Christus recepit. Huic præter crucem & vulnera proprium nihil: quæcunque suauia sunt & læta, in omnes fundit, in solis doloribus societatis impatiens Cuius ergo aut ore aut calamo Christi opes peterentur, nisi qui coruinum illud recantet, *potuisset istud venundari multo & dari pauperibus*, Non ergo argumento huic gratiam peto, facerem enim & pietati tuæ iniuriam & æquitati: veniam potius lapsibus ac mendis: quã eò à te spero facilius, quo minùs soleo styli aut doctrinæ vllius gloriã exambire Methodum & rationẽ operis sic institui, vt quia Leuitas bonis ac facultatibus parũ instructos fuisse vulgo creditur, eorũ facultates, census & res immobiles expenderẽ: inde ad bona nascẽtis Ecclesiæ Christianæ stylum deduco: leges post Constantinũ aduersus incremẽta sacri patrimonij expendo, facultates Ecclesiæ di-

uido, in loca sacra, oratoria, parochias, Episcopatus, quæ possessione sacerdotũ continentur personas & res immobiles, Personas dico, seruos, colonos, casatos, libertos, quorum historiam omnem ex infinitis cartis & monimentis recludo. Res immobiles appello mansos & prædia. Subinde census Ecclesiarum aggredior, decimas oblationes, primitias: inde ad Episcoporum proprios reditus gradum facio, expono Synodaticũ, Cathedraticum, Procurationes Circatas & alia. Tandem reditus Parochorum breui aperio & desino, dum tua faueat humanitas non cessaturus diu, sed pristina illustraturus, noua aggressurus VALE.

IVDICIO ET EMENDATIONE SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ QVIDQVID HIC SCRIPSI, ET ALIAS A ME SCRIPTVM EST, SVMMITTO.

Digitized by Google

Approbatio Doctorum.

NOs in sacra facultate Theologiæ Parisiensis Doctores testamur à nobis accuratè lectum esse librum, cui titulus est, *De Bonis & possessionibus Ecclesiæ*, conscriptum à clarissimo viro Nicolao le Maistre, Doctore & socio Sorbonico, vtilem Ecclesiæ, & dignum, qui typis mandetur. Datum Parisiis, 7. Kalend, Octob. anni ab Incarnatione Domini nostri 1635.

A. de HODENCQ.

LE SIEVRRE.

Extraict du Priuilege du Roy.

LE Roy par ses lettres patentes passées à Paris le 14. Octobre 1635. & signees par le Roy en son Conseil, Ollier; a permis à Nicolas le Maistre Docteur de Sorbonne, de faire imprimer à qui bon luy semblera, vn œuure par luy composé, intitulé, *Illustratio Sacri Patrimonii, seu de bonis & possessionibus Ecclesiarum*, & fait defenses à qui que ce soit de l'imprimer sans la permission dudit sieur le Maistre, à peine de quinze cens liures d'amende, & de tous despens, dommages & interests, ainsi qu'il est plus amplement contenu és originaux d'icelles, passees le iour & an que dessus.



INDEX
CAPITVM ETRERVM POTISSIMARVM QVÆ HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

ẽ

LIBER SECVNDVS.

bus

LIBER TERTIVS.

Secunda pars. Liber primus.

FINIS.

Digitized by Google



LIBER PRIMVS.

DE BONIS ET POSSESSIONIBVS ECCLESIARVM.

CAPVT PRIMVM.

An licita sit Christianis diuitiarum possessio.

INVIDIA laborant diuitiæ, & nihil est odij magnâ fortunâ capacius: quotquot sunt miseria ac calamitate pressi, cæteros, qui paulo quietiùs viuunt, quasi malorum suorum fontes accusant, & quidquid est vbique otij ac deliciarum, id quasi ereptum sibi ac latrocinio veluti quodam sublatum impatientissimè conqueruntur.

Ita hominum generi familiaris est inuidiæ morbus, vt bene valentes, & cute floridâ conspicuos, ægri nunquam sine dolore videant: ipsis crimen est sanitas & vegeti corporis alacer vigor: Quoscunque mœror occupauit, iis cæterorum lætitia

importuna est, & morientium plurimi non tam dolent eripi sibi vitam, quam aliis superesse. Hinc publica oritur & pertinax in diuites declamatio, quam meo iudicio dixerim non tam ab odio diuitiarum, quàm ab amore proficisci.

Nimirum vt Amantes infortunati, postquam spurcissimæ cupiditatis explendę spem amiserunt, & litare non possunt voluptati: in eam, quâ prius ardebant, pulchritudinem atrocissimè debacchantur, aras quas anteà erexere subuertunt & iniuriis opprimunt quod prius religioso colebant famulatu; Pari fortunâ euenit, vt quos mala quædam sors à diuitiis & dignitatibus expellit, illi amorem in odium vertant, & negatas sibi diuitias ac magistratus existiment generosè vlcisci, si quod prius ambiebant, illud postea procaciter execrentur.

Ex quo fonte oriatur diuitiarum insectatio.

Hinc factum est, vt Hæreticorum plurimi Ecclesiæ splendoré ac diuitias ferre non possent, quibus sectam suam ignobili cultu nuper è tenebris erutam, & Principum odiis laborantem, dolebant non posse illustrari.

Quippe licet Seruatoris sanguine Ecclesia imprimis luceat, & nullis magis opibus quam paupertate Christi glorietur: Ornant tamen eius maiestatem aliqua in parte diuitiæ, produntque Cruci pudibundæ, ad cuius aspectum orbis exhorruerat, tandem regna atque imperia paruisse.

Qua ratione opes ornăt Ecclesiam.

Sunt itaque facultates & fortunæ Ecclesiarum monimenta fauoris Principum, argumenta be-

neuolentiæ populorum, consensiones & suffragia ætatum omnium, quibus quasi pignoribus fidem suam Christo obstrinxerunt, & qua ratione poterant, grati animi significationem exhibentes, eum caducæ & fugacis seculæ hæredem fecerunt, à quo sunt in æternam & felicem maximè hæreditatem adsciti.

Quare nulla Hæresis & secta opibus abundauit.

Quis existimabit alio quàm prouidentiæ cuncta moderantis consilio effectum, vt nullæ vnquam hæreses diu Principum magnificentiâ ac liberalitate fruerentur, vt nulla vnquam errantium conuenticula, ad insaniæ suæ præsidium, opibus abundarent. Noluit diuina clementia vt fanatici illi cœtus Imperatorum auctoritate ac beneuolentia diu niterentur: abstulit illis opes ac diuitias, quibus error cresceret: omnemque detraxit maiestatis & honoris speciem, qua scilicet aut blandiri possent, aut cogere.

Ne ergo miremur toties effusam in opes & nitorem Ecclesiæ hæreticorum maledicentiam: vident non facile iugulari posse tot septam præsidiis, dolentque sine violata Principum maiestate, fotum amplexibus, ornatum beneficiis, cinctum armis & purpurâ ipsa consecratum Ecclesiasticorum hominum sodalitium non posse lacerari.

Verum antequam eos adoriamur qui bonorum possessionem Ecclesiasticis præcipue, inter Christianos, interclusam asseruerũt, expendamus primùm aliquorum insaniam, qui ab Euangelio

diuitias in crimen versas somniarunt, nec quidquam interesse inter diuitem & sceleratum: quasi post Euangelium Regna, Imperia, Respublicæ fœdera, consensiones, commercia & quidquid est negotii quo miseria & calamitas pellitur, cessare debuerint, & Christianæ virtutis apex sit, vt pauper sis languescere, & ne diues fias sordidissime otiari.

CAPVT II.

DE SECTIS QVÆ JLLICITAS Christianis diuitias censuerunt, Apotactici, Massaliani. Manichæorum duo ordines Pelagiani. Argumenta aduersus opes, &c.

Epiphan. aduers. hæres. tom. 1. lib. 1.

HVnc errorem primi mundo inuexerunt, qui Epiphanio hæresi sexagesima dicuntur Apostolici quasi Apostolorum æmuli & soli tantæ puritatis reliquia quantam Apostoli coluerunt. Illi enim religiosissimè cauebant ne quid haberent & ne peccarent in sectam suam, ac aliquid retinere viderentur etiam bonæ menti renunciauerant: illorum dementiam, originem, maiores ita describit Epiphanius μετὰ δὲ τούτους ἄλλοι ἑαυτοὺς ἀποστολικοὺς ὠνόμασαν· βούλονται δὲ καὶ ἀποτακτικοὺς ἑαυτοὺς λέγειν, φυλάττεται δὲ παρ' αὐτοῖς τὸ μηδὲν κεκτῆσθαι· εἰσὶ δὲ καὶ οἱ αὐτοὶ τὸ ἀπόσπασμα τῶν Τατιανοῦ δογμάτων, &c.

Alij secundum illos dici se Apostolicos voluerunt, qui & Apotacticos hoc est renunciatores seipsos nominant. Hoc enim diligenter obseruant ne quidquam possideant; iidem porrò à Tatiani dogmatibus velut auulsione quadam separati.

Tatianus vixit circa annū 174. Iustini discipulus à quo Aquarij & Encratitæ.

Suffragatur huic sectæ, altera quæ Massalianorum appellatur. Illi cælum adiri non posse arbitrabantur, nisi à pauperibus: opes & diuitias onus esse non molestum modo sed sceleratum & sacrilegum, quod homines in incendia æterna deiiceret: audiendam esse vocem Christi, Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, qua neglecta inquiebant neminem posse suæ saluti consulere, κέλευον ἀποτάσσεσθαι τοῦ κόσμου κτήματων τε ἰδίων καὶ χρημάτων ἀπαξένουσθαι, inquit, Epiphanius.

Massaliani ἀχέται.

Epiph. aduers. hæres. lib. 3. tom. 2.

Supinum hunc errorem à Manete persico manasse suspicatur sanctus Epiphanius etsi inter somnia Manetis necessariam hanc diuitum ruinam & ineuitabile naufragium minimè recenseat Petrus Siculus, qui singularem librum de eius dogmatibus conscripsit.

Verum quidem est, Augustinum Epistola 73. ad Deuterium Episcopum, totam Manichæorum farraginem & infamem popellum in duas veluti classes discernere, quorum alii auditores, alii electi dicebantur, Auditores quasi tyrunculi & nouitii mitius & liberius viuebant: illis licebat vxores ducere, agros colere, rebus suis vti, carnibus vesci; At qui in electorum numerum erant adscripti, longè seueriore disciplinâ con-

Vide Monachū vallis sarnensis in historia Albigensiū. c. 2.

tinebantur: illi abdicatis omnibus miserè pereuntes, durissimo viuendi genere, quo cœlum sibi comparant Catholici, pernitiem & exitium emebant.

Nec statim desiit pestilens hic turbo, aut vnam tantùm regionem afflauit. Pelagiani ipsimet hac opum & diuitiarum execratione, quasi specioso quodam innocentiæ ac virtutis titulo, ornauerunt futilia suæ dementiæ commenta, & Syracusas eo veneno infecerant, cum Hilarius eâ de re consulendũ existimauit Augustinum Epistolâ 88.

Hilarij Epist. 88. apud Augustinũ.

Quidam inquit Christiani apud Syracusas exponunt dicentes posse esse hominem sine peccato, & mandata Dei facile custodire si voluerit: infantem non baptizatũ morte præuentum, non posse perire merito, quoniam sine peccato nascitur, diuitem manentem in diuitiis suis non posse ingredi regnum Dei nisi omnia sua vendiderit, nec prodesse eidem posse, si forte ex ipsis diuitijs fecerit mandat.

Rationes quibus diuitias impugnant.

Sunt autem rationes, quibus ad vanissimum dogma firmandum vtuntur, ad tria potissimum capita reuocandæ. Primum est, exemplum Christi & Apostolorum: secundũ est auctoritas verbi diuini: tertium frequens & assiduus ille diuitum in inferos ruentium casus, quo facile ostenditur lethalé esse cum opibus societatem, nec aliter posse homines cum Deo coniungi quàm si ab opum & diuitiarum contagione immortali diuortio separétur. Quod pertinet ad exemplũ Christi. Notum est omnibus prorupisse in salutem ho-

minum nuditate & paupertate, tanquam armis succinctum, vixisse quasi mundo & elemētis, quæ fecerat, extorrem, nilque proprium sibi de tanta rerum multitudine, præter lachrymas & cruciatus assumpsisse. Si sarcinas quas fatiscenti collo imposuit explices, quid aliud reperies, præter dolores & ærumnas, miseros scelerum nostrorum reditus, & fatalem censum peccati, quo filios suos infelix Adam enecuit, etiam antequam genuisset. Ideoque Propheta verissimè cecinit, languores nostros iste tulit & dolores nostros ipse portauit? Vbi aurum, vbi gemmæ, vbi cætera ambitionis humanæ vota, in manibus Christi, Auro dum puer est adoratur, sed vir pascitur felle: Infantem reges colunt, sed adultum & ætate florente Carnifices nudant: vt hoc ipso constaret puerilia esse quæ amamus Imperia & Honores: viris & sapientibus, paupertatem crucis sapere, & hac vna generosas mentes & cœlo congeneres deliciari.

His efformata exemplis Apostolorum sodalitas, quid antiquius habuit, quàm mundo & opibus nuncium remittere, & de tanta diuitiarum ac latifundiorum ambitione, quæ hominum animos infinitis angoribus vexat, nil præter fastidiũ & contemptum retinere. Quotquot primis temporibus Christo fidem dabant, illi sacræ inaugurabantur paupertati: nudi ad nudum & solâ nobilem veniebant patientiâ pretio earum quas vendiderant rerum ad pedes Apostolorum

deposito, prodebant sese omnem ambitum & fœdas sæculi cupiditates Christo immolare. Vnde verò tam præceps & tristis Ananiæ ac Saphiræ interitus, nisi quod aliquid apud se retinuissent de summâ collectæ ex agrorum venditione pecuniæ? Quod si possidere aliquid & habere proprium fas esset Christianis: vt quid tam repentino interitu, Petrus nouos illos Christianæ legis tyrones mactasset: vt quid præcluso pœnitudinis aditu, periuros vna cum pecunia infelice, ad æterna supplicia deturbasset? Quam sacram & inuiolabilem esse oportet legem quæ sanguine sancitur; & cuius primi infractores sic puniuntur, vt etiam spatio temporis careant quo agnoscere possint se peccasse.

Secundum argumentum petitur ex verbis Christi Domini, vbique diuites non à suo tantùm sodalitio, sed etiam ab expectatione vitæ æternæ summouentis, vnde adolescentulo specie tenus & prophanâ quadam ambitione potius quàm religionis zelo ad perfectionem anhelanti imperat Christus: vt vendat omnia qua habet & sic expeditus & liber ad virtutis culmen enitatur, *si vis perfectus esse vade &* Mat. 19. v. 21. *vende omnia quæ habes & da pauperibus & habebis thesaurum in cælo & veni & sequere me.* Cúmque illius consilii acerbitate, iuuenis animus morderetur, neque tam splendidam posset diuitiarum seruitutem excutere, Iesus dixit discipulis suis:
Mat. 10. v. 23. & 24. *Amen dico vobis quia diues difficile intrabit in regnum cælorum,*

cœlorum, &c. longè verò clariùs istam deponendarum opum legem exprimit Christus Lucæ 14. Luc. 14. *omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus:* Vnde eadem propè videtur à Christo instituta & paupertatis & baptismi necessitas: nam pari ferè verborum structura sacro fonte lauari eos iubet, qui ad fœlicitatem apiscuntur: *nisi quis renatus fuerit ex* Ioann. 3. *aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum cœlorum.* Tandem adducunt locum insinuatum ex actis Apostolorum, vbi nil proprium habuisse Act. 4. Christianos memoratur, sed cum Christi meritis & sanguine omnia etiam in communem vsum comportasse.

Præterea vtebantur hæretici varijs rationibus ad inducendam paupertatis necessitatem: asserentes diuitias esse scelerum instrumenta, & fallaces dæmonum præstigias, quibus tanquam viscatis muneribus hominum mentes impediunt, & ab æternitatis cura dehortantur. Quantis sollicitudinibus parantur diuitiæ? quantis studiis opus est ne pereant? quot tormentis miserum pectus vexant si quando abierunt? quæruntur cum difficultate, amittuntur cum dolore. Et certè hisce curis occupatum, quàm difficile est ad altiora eniti, vix credibile est posse squallentem sæculi curis animum crucis imaginem admittere, & Deo simul ac mammonæ famulari. Ista sunt argumenta quibus hæretici vsi sunt aliquando vt diuites cœlo arcerent, solisque probarent pauperibus patere fœlicitatem.

Caput III.

DIVITES NON ESSE A SALVTE alienos, locis scripturæ probatur. Tertulliani locus. Marcionis de Deo veteris testamenti pauperibus infesto error. Superbia etiam laborare possunt pauperes. Augustini sententia. Non esse calumniis premendos diuites ex eodem Augustino.

FRuatur laude sua generosa paupertas, & suprà mundi ambitionem læto rerum humanarum contemptu euecta, secura glorietur: non inuidemus eius triumphis, quos æmulari nobiles gestiunt animæ. Nam vt nullis egere Deo proprium est, sic Deo proximum nil appetere, & contra paupertatem ac miseriam sola animi magnitudine luctari. Tales sunt, qui mediocri vitæ solatio contenti, fœlicitatem sibi non fortunæ debent: & è suæ virtutis fundo veras animi delicias ac voluptates colligunt, quarum vmbram & inane somnium, stolidi mortales à vilissimis rebus auro argentóque coguntur mendicare.

Verùm inoffensa paupertate licebit in eos dicere qui veneni aliquid inesse diuitiis asserunt, quod nulla possit arte caueri. Ac primum non ita fatales hominum ruinæ diuitias sacri codices innuunt, quin opulentis & dignitate insignibus remedium aliquod supersit depellendæ eius pestis,

Primum argumentum ex scriptura.

quam afflat ambitio & immoderatus am r saeculi. Vt quid enim Paulus, 1. ad Tim. 6. mandaret discipulo monendos diuites, *non sperare in incerto diuitiarum*, si omnino diuites perire necesse sit. Docendi potius erant excutere diuitias, & tam lugubre pondus abiicere, quod Deo exosos redderet & inimicos: Verùm ita sentiebat Paulus non esse omnino inutiles & noxias opes, si modo seruirent, non dominarentur: si eas regeret animus, non illæ animum premerent, si in summa rerum humanarum affluentiâ homo se pauperem agnosceret, quamdiu Christo cœlóque caret, quo vno hominis fœlicitas & opulentia continetur. *Reliquum est vt qui vxores habent sint tanquam non habentes & qui flent tanquam non flentes, & qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtentes.* Primæ ad Timoth. 6. Primæ Corinth 7.

Idem Paulus 2. Corinth. 8. hortatur Corinthios vt in fratres Christianos paupertate pressos munificentiã exerceant: At quã ratione esse poterant munifici & liberales, si nil proprium obtinerent, si vniuersim Christianis omnibus bona erant promiscua & census confusi. Secundum argumentum.

Tertiò in Euangelio Zachæus etsi Christo carus & laudatus, salutisque suæ domus factus certior hoc oraculo, *Hodie salus huic domui facta est*, tamen non legitur expoliasse se omnibus fortunis, sed mediã tantùm parte: dimidium inquit bonorum meorum do pauperibus. Tertium argumentum. Lucæ 19.

Quartò Iosephus Arimathæus ipse discipulus Quartum argumẽtum.

erat Iesu & tamen diues splendidóque sepulturæ genere erga Christum vsus. Quod si vniuersim diuites Deo inuisi essent non tulisset prouidentia, vt quod corpus de paupercula Virgine Christus nascendo tulerat: illud post mortem diuiti traderetur.

Quintum argumentum.

Quintò in solemni illo iudicio, quo vniuersos hominum actus æquissimus arbiter librabit; vt quid tot præmia spondentur iis qui pauperes fouerint, aluerint, & situm squalorémque carcerum de miseris corporibus absterserint? numquid ista pietatis officia, quæ tam solemni laudatione Deus prosequitur, quorum præco Christus ipse futurus est, absque opum & fortunatum subsidio exercentur? quis pauper pauperem pauit? quis nudus & inuestis algentem texit? quis solis affectibus votisque potens. liberauit è carcere infortunatum & tristi hypogæo quodammodo sepultum ante mortem?

Si ergo opes tantopere Deus execratur; vt quid tam luculenta præmia iis proposuit virtutibus, quæ, sine opum ac fortunarum subsidio languescerent? vt quid fœlicitatem iis spondet facinoribus quæ à pauperibus tentari nequeunt, & quibus nemo nisi splendidiori familia oriundus non possit probe defungi?

Ne ergo diuites temerè à Christi amoribus arceamus in æterno isto deliciarũ secessu, *Diues & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est Dominus.* Prouerb. 22. in quæ verba rectè Hieron. *neque di-*

Prouerb 22. Hieronymus.

uitem propter diuitiarum honorem neque inopem pro inopia despicias, sed iis hoc vtrumque venerare, quia opus sunt diuinum & ad imaginem eius facti.

Imò verò expendamus, num diues aliquid maius Christo conferat quam pauper. Eget reuera paupere Christus, sed per diuitem doloribus suis leuatur: alget in imagine pauperis, sed diuitis veste fouetur: illius vulneribus miser est, sed huius pietate reuiuiscit: in illo carcerem patitur, huius auxilio libertatem recipit: à paupere habet quod humanum est pati, videlicet ac languescere: à diuite quod beatius est & diuinius nescire miserias & in tranquilliorem portum transferri.

Merito itaque Antiqui Patres sic opinati sunt, nihil esse in diuitiis vitiosi ac scelerati, nec Christianis impositam esse legem suæ rei expoliandæ, sed tantum religiosè & piè dispensandæ. Tertullianus, lib. 4. aduersus Marcionem, vbi quæstionem hanc de diuitibus attingit. *Diuitias inquit præstare non incongruum est Deo, per quem & diuites solatio iuuantur, & multa in Deo opera iustitiæ & dilectionis administrantur; sed accidentia vitia diuitiis, illa in Euangelio quoque væ diuitibus ascribunt: vtique & de diuitijs & de gloria illarum, secularibus fructibus, vtique in Deuteronomio Moyses ne, inquit, cum manducaueris, & repletus fueris, & domos magnas ædificaueris, & bonis tuis multiplicatis & pecuniâ & auro exaltetur cor tuum, & obliuiscaris Domini Dei tui. Quemadmodum & Ezechiam regem thesauris inflatum, &* Tertull lib. 4. aduersus Marcionem

Digitized by Google

de his potius quam de Deo gloriantem, apud illos qui ex Perside aduenerant, insilit per Esaiam: ecce dies veniunt & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ Patres tui congesserunt, in Babylonem transferentur; sic & per Hieremiam quoque edidit: ne glorietur diues in diuitijs suis, & qui gloriatur scilicet in Deo glorietur. Sic & in filias Sion inuehitur per Isaiam cultu diuitiarum & abundantia inflatas comminabundus: & alibi, *Nobilibus & superbis dilatabit orcus animam suam & aperuit os suum & descendent incliti & magni diuites: hoc erit Christi Væ super diuites & humiliabitur vtique homo exaltatus diuitijs, & honorabitur vir vtique ob substantiam honorabilis.* Ex quibus Tertulliani verbis liquet Marcionem in eo versatum errore, vt noui testamenti auctorem, præ artifice veteris & antiquæ legis, singulari bonitate & benignitate præditum diceret, & hunc quidem malum, illum verò bonum assereret: quia in nouo testamento benediceretur pauperibus, & præcipua cura eorum haberetur: in veteri verò cessaret sollicitudo & ratio egenorum, totusque fauor priscæ illius legis ad diuitiarum pompam & inanem apparatum spectare videretur. Contra verò, docet Tertullianus Marcionem falsò comminisci ridiculum istud discrimen, inter auctorem veteris & conditorem noui testamenti, neque plus amari pauperes à noui testamenti artifice, quàm antiqui, quia in neutro eorum testamentorum maledicuntur diuitiæ simpliciter, vt existimabat Marcion: sed si quando in diuites vocem istam *Væ*, siue exe-

crationis siue comminationis, Christus iaculatur, vniuersa eius indignatio in solam diuitum superbiam sese effundit, non verò in diuitias, quibus velut adminiculis, ad Pietatis & Religionis officia, quiuis potest vti sanctissimè.

Non sunt ergo in culpa diuitiæ, sed fatale illis ac domesticum crimen arrogantia: at neque huius mali periculo vacat paupertas: est etiam sua sordibus superbia quidquid in suo genere magnũ est & singulare illud, opinione sui animum distendit: etiam ægri de morborum violentia inter se contentiosè disceptant, & tristi ambitione miseriarum feruentes, cum fœlicitate lucere non possunt, certant esse malorum vehementia & atrocitate gloriosi. Quot sunt quibus situs & squallor pro auro est? quibus neglectæ vestis ac supellectilis fœdities etiam purpurâ & palatijs regum plus nitet? Non est magno parabilis arrogantia, non ex pretio rerum, sed ex animis hominum pendet, qui & in tenui fortunâ insolentes esse possunt & in splendida moderati.

Paupertas etiam nonnumquam superbiâ laborat.

Quapropter etiam in paupertate cauendum esse ab arrogantiæ tetro afflatu monet Augustinus Epistola 109. *Quid prodest dispergere dando pauperibus & pauperem fieri: si anima misera superbior efficiatur contemnendo, quàm fuerat possidendo.*

Aug. Epist. 109.

Omnino itaque sufficere possent prædicta, vt satisfieret argumentis hæreticorum, diuitias quasi scelus accusantium: nisi disertè totum hoc nego-

tium exponeret, Augustinus Epistolâ 89. in qua respondet Hilario. *Euaserunt* (inquit) *istorum disputationes Patres nostri Abraham, Isaac, & Iacob, qui tanto antè ex hac vita migrarunt. Habebant quippe hi omnes non paruas diuitias, sicut fidelissima scriptura testatur: multos tamen venturos, & ab oriente & ab occidente, & non suprà ipsos, vel extrà ipsos, sed cum ipsis recubituros in regno cœlorum, ille ipse qui propter nos factus est pauper, cum verè diues esset veracissima promissione prædixit. Et quamuis superbus diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide apud inferos torqueretur, tamen si pauperis vlcerosi, qui antè ianuam eius contemptus jacebat, miseratus fuisset, mereretur & ipse misericordiam. Et si pauperi illi meritum esset inopia, non iustitia, non vtique in Abrahæ gremium qui diues hic fuerat tolleretur. Sed vt nobis ostenderetur nec in isto paupertatem per seipsam diuinitus honoratam, nec in illo diuitias fuisse damnatas: sed in isto pietatem, in illo impietatem suos exitus habuisse; sic suscepit impium diuitem cruciatus ignis, vt tamen pium pauperem susciperet sinus diuitis.* Vnde meritò idem Augustinus suggillat ingratam & immemorem eorum amentiam, qui in Ecclesiastico gradu constituti, aut saltem excellentioris vitæ amantes, diuites & eos qui in sæculo degunt iniurijs onerant, & in opes ac fortunas contumaci loquacitate debacchâtur: cum tamen diuitum censibus & patrimonijs viuant, & de eorum beneficentia saginentur. Populi, qui commercijs & rebus sæculi indulgēt, vites sunt & plantæ, quas homines Ecclesiastici colunt

Aug. Ep. 89.

lunt & laborant, ſeminant ſpiritalia, temporalia metunt & colligunt. *Non ergo damnare debent infirmioris meriti Chriſtianos, quorum opibus tranſiguntur: ſed rectè viuendo & rectè docendo, magis eis dicere: ſi nos ſpiritalia ſeminauimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus? Multò quippe minori impudentia ſerui Dei, qui manuum ſuarum honeſtis operibus venditis viuunt, damnant iſtos à quibus nil acceperint, quàm iſti, qui propter aliquam corporis infirmitatem non valentes manibus laborare, damnant eos ipſos, de quorum facultatibus viuunt.* Aug. ibid.

CAPVT IV.

SOLVVNTVR ARGVMENTA opinionis contrariæ. Quando cœpit Chriſtianorum vnio. Porphirij calumnia. Opinio Origenis: Paupertatis votiuæ initia ex Greg. Ambroſ. &c.

SIc ex diuitum pauperúmque concordia formari Eccleſiam céſet Auguſtinus, vt amorem quondam finxit Plato ex coniugio Pori, & Peniæ abundantiæ & egeſtatis prodijſſe. Nec obſtat huic doctrinæ, primæua Eccleſiæ naſcentis ſocietas; in qua, omnia promiſcua & communia erant Chriſtianis omnibus: Non enim iſta communitas legis fuit aut mandati alicuius diuini, ſed ſpontaneæ tantùm pietatis obſequium, quo ſeſe mutuo ita

complectebantur Christiani, vt priuatos census & opes proprias in terris retinere, ijs ignominiosum esse ducerent, qui de vna Christi carne in hac vita pascerentur, & vnam essent aliquando in cœlis domum habituri.

Cùm ergo libera esset illa vitæ communis professio: tam præcipitatum Ananiæ & Saphyræ interitum nonnulli aliunde quàm ex diui Petri iusto anathemate repetunt. Sunt enim ex Patribus, qui cum intelligerent, D. Petrum à Porphyrio sæuitiæ damnatum, quòd tam leui crimine infensus, atroci execratione Ananiam & Saphyram iugulasset: censuerunt mortem istam tam repentinam, ex eo contigisse, quod ipsos subitus quidam terror perculisset, aut grauis aliqua verecundia derepente consternasset. Ea est sententia D. Hieronimi Epistola 8. Origenis in Matt. homil. 8. vbi diserte ait eos solâ morte temporali affectos nullum animæ suæ detrimentum pertulisse. *Digni*, inquit, *erant in hoc sæculo recipere peccatum suum, vt mundiores exeant ab hac vita, mundati castigatione sibi illatâ per mortem communem: Quoniam credentes erant in Christo. Puto autem quoniam audiens Ananias hæc verba, ideo cadens expirauit: quoniam non sustinuit argutionẽ Petri, sed cruciatus in se, à Deo est punitus, vt etiam expiraret, verbis videlicet Petri catechizantibus animam ipsius. Nec Petrum his debemus putare interfecisse Ananiam, sed illum non sustinuisse acritudinem verborum Petri dicentis vt quid repleuit satanas cor tuum, &c.*

Hieron. Ep. 8. Orig. ho. 8. in Matt.

Ananiam non esse dãnatum opinatur Origenes.

Ananiam verecundiâ extinctum.

Alij verò crimen Saphyræ non ex eo petunt

quod partem aliquam pecuniæ retinuerit, cum esset Christianus, sed, quod voto consecrasset pecuniam suam in vsus & expensas fidelium, & non modo communis vitæ genus istud eximium quod Apostoli ducebant interiori animi proposito destinasset: sed etiam de facto esset aggressus. Vnde quia vitæ communis legem ipse sibimetipsi imposuerat sponsione solemni: idcirco fidem Deo datam violabat retinendo aliquid proprium & partem pecuniarum celando, quam omnem Christo dedicauerat. Nec enim amplius licebat Ananiæ & Saphyræ ad priorem vitæ formã sine culpa remeare, postquam sacram illam & religiosam societatis Apostolicæ necessitudinem erant amplexi: iam enim non Apostolis sed Deo subducebant, neque tam de suis aliquid per auaritiam retinere videbantur, quam de proprio Christi patrimonio, in quod res eorum voto transierant, per sacrilegium deprædari: Vt enim loquuntur Iurisconsulti, contractus ab initio sunt voluntatis, sed ex post facto necessitatis, ita voluntariè quis vouet id quod necessariò est redditurus.

Et ea est Gregorij sententia ad Venantium exmonachum: *Ananias pecunias Deo vouerat, quas post diabolica victus persuasione substraxit, sed qua morte mulctatus est scies, si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat, nummos Deo abstulit; considera, quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos sed teipsum Deo omnipotenti cui te sub mo-* Greg.lib.1. Ep.33.& cit. 17.q.1.c.2.

nachali habitu deuoueras subtraxisti. In eadem opinione versatur Basilius sermone de Institutione Monachorum, *Danda opera ne quid quoquo pacto indignum professione nostra faciamus, neue simili atque Ananias iudicio fiamus obnoxij. Licebat enim Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri ac vouêre: sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quidquid in bonis habebat per professionem Deo consecrauit, quo videlicet egregio istiusmodi facto, hominum de se admirationem excitaret, de pretio autem callide postea nescio quid interuertit, eiusmodi aduersum se indignationem Dei prouocauit, cuius minister Petrus fuit, vt ne ad pœnitentiam aditum inuenire potuerit.*

Basilij sent. serm. de inst. Monac.

Cum itaque, non ratione Christianæ Religioni, sed solius voti vinculo, teneretur Ananias ad totam summam pedibus Apostolorum apponendam: sequitur ne tunc quidem Christianos ad communitatis legem & bonorum suorum eiurationem fuisse deuinctos, nisi singulari professione pietatis. Vnde idem D. Petrus eam libertatem clarissimè commonstrat, cum ait, *Nonne manens tibi manebat & venundatum erat in tua potestate.* Et certè si Christiano homini omnino non licebat quidquid de pristinis facultatibus retinere, vt quid à Petro non monetur Cornelius Centurio renunciare rebus suis, priusquam sacro fonte tingatur? Vt quid iis legibus & institutis, tanta multitudo quæ ad Petri vocem ex Gentili amentiâ ad fidem conuersa est, non infirmatur. Tandem si Christianos omnes necesse fuisset opes & fortu-

Vide Ambrosium de off. lib. 1. c. 30. & l. 3. c. 11.

Act. 5.

Act. 10.

Digitized by Google

nas relinquere: maximè iis qui è Christi familiâ erant: at Christi agnatos rura & agros retinuisse prodit Eusebius lib. 3. capit. 15. qui testatur eos coram Domitiano professos se habere nouem millia denariorum ex agrorum censu.

Concludendum itaque nullum fuisse de fortunarum abdicatione præceptum, neque aliter fugiendum homini Christiano à diuitiis & honoribus, quàm ab vxore patre & matre; si nempe generosis conatibus obsistant sintque impedimento quominus aliquis ad asperum crucis verticem enitatur. An verò veteres Christiani omnes hoc genus vitæ sequuti sint, quæ nihil habet proprium & an diu floruerit hoc institutum & de communi ærario nunc agendum.

CAPVT V.

TYPVS SOCIETATIS ANTIQVÆ inter fideles. Ærarium commune Hierosolymis. Rectores eiusdem qui fuerint. Quamdiu durauit. An apud Ecclesias gentium communitas viguerit. Quod ærarium. In quos vsus. De viduis locus Pauli difficilis explicatur.

PRimæuæ Apostolorum societati iniuriam à me factum iri ducerem, nisi eius œconomia hîc locum aliquem obtineret, quamquam non eo fulserit opum adiumento, quo Ecclesia hisce


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

temporibus ad suorum subsidium, & hostium inuidiam largissimè locupletatur. Delectant etiam ædificiorum superstites ruinæ, quæ præter antiquitatis gloriam illustre habent nihil. Res olim nouitate viles & nascendo indecoræ, vetustatis priuilegio, nobiles fiunt, & annorum atque æratum victrice senio, famam promerentur. Ita humilem & stramentitiam Romuli casam, quasi Imperii cunabula, toto Capitoliorum fastu religiosius multo Romani coluerunt, & antiquam pauperiem existimabant esse nouis honoribus pretiosiorem.

Fuit ergo Ecclesiæ sequétis quædam delineatio in societate Apostolica, & initium maioris œconomiæ, qua successores vsi sunt postea, in bonis illius administrandis: in qua inquirendum primo quis pecunias regeret, & quomodo iis vterentur. Ac Apostolos eo munere primum functos satis apparet, quod ad eorum pedes pecuniæ apponerentur. Ipsorum itaque arbitrio fiebant sumptus, & expensæ communes & quidquid ad familiæ illius sanctioris annonam & subuentionem opus erat, illi de communi penu promebant. Cum autem cernerent sese, his domesticis ac familiaribus curis à verbi Dei præconio distrahi, animaduerteréntque non tam corporum quàm animorum curam ac sollicitudinem sibi creditam, onus istud familiæ curandæ in Diaconos transmiserunt, quos ex Ecclesiæ totius suf-

Act. 6.

Diaconi ærario præficiuntur.

fragio, delectos, ad ministeria mensarum, Apostolici actus testantur.

Vigebat sacra hæc amoris conspiratio, dum Iudaïcus furor, quo in magistrum impetu, eodem in discipulos stomacho irrumpens, præclaram istam societatem quasi violentus turbo difflauit. Initium sæuitiæ à Stephano Diacono factum, quo oppresso dispersi cæteri: & maxima ex parte, cœtus ille vnanimis fidelium labefactatus. Nam soli Apostoli Hierosolymis remanserunt, neque fortasse postea tam publice potuerunt fideles in vnum coire & communi mensa domicilióque vti. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Hierosolymis & omnes dispersi sunt per regionem Iudææ & Samariæ præter Apostolos.* Et certè post hoc tempus non vnà mansisse Apostolos satis patet, ex eo, quod Paulus Hierosolymam reuersus non dicitur iuisse ad communem aliquam domum, vbi essent omnes Apostoli, sed ad Iacobi domum. Præterea dicuntur omnes seniores collecti: sed non erat opus colligi ac congregari propter aduentum Pauli, si vnà habitassent & communi tecto fuissent vsi. *Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum omnesque collecti sunt seniores* Act. 21.

Desierat ergo ex tunc perfecta societas & remanserat tantùm liberalis ille affectus subueniendi fideli bus eosque suscipiendi, si quando indigerent. Vnde dicitur quod cum Paulus venisset Hierosolymam *Libenter exceperunt eum fratres.*

Act. c. 8.

Societas dissipatur.

Act. c. 8. v. 1.

Iacobus Hierosolymis erat Episcopus.

Anno Christi 58.

Nil amplius de communitate ista, Hierosolymis instituta reperitur. Cæterùm, an idem in cæteris Ecclesiis factitatum, inquiramus. Certè quantum ex Epistolis Pauli liquet: Ecclesiarum apud gentes non ea fuit consuetudo, vt in communem fundum suos reditus comportarent: Nam vbi omnia sunt promiscua, ibi non est discrimen pauperis & diuitis: At discrimen istud apprime manifestum est in Ecclesiis, quæ per gentes fundatæ sunt: si quidem cum fames imminerec orbi terrarum, qui Antiochiæ erant discipuli. *Miserunt habitantibus in Iudæa fratribus pecunias prout quis habebat.* Id est pro modulo & captu fortunarum: quod certè locum non haberet, si fortunæ omnes & facultates essent promiscuæ. Romanorum 12. monet Paulus, vt subueniatur necessitatibus sanctorum. *Necessitatibus sanctorum communicantes hospitalitatem sectantes.* 1. Corinth. 6. monet lites & iurgia, quæ inter fideles oriuntur, permittenda, arbitrio sanctorum & vitanda gentium tribunalia: at vbi cessat meum & tuum, & omnis ratio proprietatis extincta est, ibi litibus & turbelis non est locus. Ephesiorum 4. fideles ad mutuam benignitatem & misericordiam hortatur. *Estote inuicem benigni, misericordiam donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.* At cessat benignitas & misericordia, vbi nemo miserior, nemo altero fœlicior. Ad Philippenses 4. laudat eorum in se profusam beneficentiam, maxime quod sumptus suggesserint quibus dum aliis

Ecclesiæ Gentilium an communitate vsæ sint. Act. 11.

Rom. 12. v. 13

Ephes. 4. v. 32.

Philip. 9.

Ecclesiis prædicabat, indigeret. *Scitis autem & vos Philippenses quod in principio Euangelij quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli quia & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis*, Idem patet ex pluribus locis 1. Thess. 2. & 2. ad Thess. 2.

Licet verò proprietatis iura in reliquis Ecclesiis Christiani non abdicarent, attamen habebant commune ærarium etiam temporibus Apostolorum, vnde patientibus & afflictis subuenirent. Clarum est, ex citato loco Actuum 11. vbi Antiocheni dicuntur pro captu suo contulisse de suis facultatibus, in subsidium fratrum habitantium in Iudæa. Meminit & collationis & subuentionis in gratiam sanctorum qui essent Hierosolimis, Paulus ad Rom. 15. *Nunc igitur proficiscar Hierusalem ministrare sanctis: probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem.* Ad hæc verò pietatis officia à Gentibus imploranda adhortati erant Paulum, Petrus, Iacobus, & Ioannes, dum sese ad prædicandum Gentibus accingeret, vt ipse testatur Galat. 2. & animaduertit Theodoretus in hunc locum. Modum verò colligendæ istius pecuniæ diserte tradit idem Paulus 1. ad Corinth. 16. *De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam sabbati vnusquisque vestrum seponat apud se recondens quod ei benè placuerit: vt non cum venero, tunc collectæ fiant.* Vnam autem Sabbathi D. Ambrosius, Theodo-

Ærarium commune apud Gentiles.

Act. 11.

Modus colligendæ pecuniæ.

1. Cor. 16.

Ambrosius & Theodoret. in c. 16. 1. ad Cor.

retus & alij interpretantur diem dominicam, quâ venientes Christiani, ad sacram synaxim afflictis & laborantibus ex Ecclesia consulebant & litabant charitati, pecunias ita collectas seruabant apud se quidam ab Ecclesia constituti, vt patet ex citato loco 1. ad Corinth. 16. *Quos* (inquit Apostolus) *probaueritis per Epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem.* Attamen in illis distribuendis maxime consilium & voluntas spectabatur Apostolorum, qui tanquam Episcopi vniuersæ Ecclesiæ moderabantur, cæterùm qui participes essent huius ærarii, & in quorum gratiam expendebatur, facile est deprehendere: primum enim Euangelici verbi præcones inde alebantur, seu Apostoli seu Discipuli, excipiebantur peregrini & aduenæ communi sumptu, vt constat ex verbis Pauli, ad Corinth. 8. vbi Titum & eos, quos sibi in Euangelio prædicando socios adlegerat, Corinthiorum commendat beneficentiæ, hortaturque, vt ipsos comiter excipiant, & in Pauli fratribus ostendant, quo Paulum amore & beneuolentiâ prosequantur. *Siue pro Tito qui est socius meus & in vobis adiutor, siue fratres nostri Apostoli* Ecclesiarum *gloriæ Christi, ostensionem ergo quæ est charitatis vestræ & nostræ gloriæ, pro vobis in illos ostendite, in facie omnium* Ecclesiarum. Et certè cùm extra vrbes, in quibus Euangelium vigebat nulli essent, qui Apostolorum curam essent habituri, cum intra locorum quorumdam angustias inclusa esset charitas, & Christiani no-

Quinam essent participes ærarij Ecclesiastici

minis religio, æquum erat quoque vt Apostolis peregrinantibus, & in infidelium emendatione ac conuersione occupatis, essent qui necessaria vitæ subsidia impertirentur. Hinc Ecclesiæ fidelium discipulis Christi & Apostolis, non tantùm quæ ad præsens tempus necessitas flagitabat suggerebant: verum etiam stipendiis & pecuniis quibusdam eos donabant, quibus pro viatico vti possent. Ac ne auaritia aut ambitione duci viderentur & Euangelij fœdus (rem adeò pretiosam) turpi mercimonio distrahere, ne manus suas pecuniarum contagio polluerent, erant in comitatu Apostolorum mulieres quædam piæ & religiosæ, quæ seu ex proprio censu, seu ex demenso Ecclesiæ eos alebant, quamdiu in itinere versarentur, aut in hostico solo consisterent. Harum mulierum meminit Paulus: *Nunquid non habemus potestatem mulierculam sororem circumducendi sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini & Cephas. Aut ego solus & fratres aut Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis vnquam?* E quo textu apparet Paulum certis de causis, eas mulieres, rerum quæ ad vitam opus essent, administras, à suo contubernio reiecisse, cum tamen ipsas reliqui Apostolorum circumducerent & ab ipsarum manu & curâ veluti sui laboris stipendia reciperent. Atque eum esse huiusloci sensum tradit Hieronymus. *Non dixit mulieres inquit ducendi, ne de vxoribus dicere putaretur. Sed circumducendi inquit per prouincias quæ necessaria*

1. Cor 9.

Hieron in cap. 9. 1. ad. Cor.

de suis facultatibus ministrarent.

Ea ergò fuit tenuis & angusti prima Ecclesiæ ærarij œconomia, vt optimi eius fructus & præcipui ad fouendos sacerdotes & clericos pertinerent, quibus instructis & necessario commeatu donatis, pauperum & viduarum ratio habebatur.

Matricularum origo.

Inde ceperunt Matriculæ seu Indiculi egenorum ac miserabilium vt loquuntur personarum, quarum patrocinio adhuc nascens & vix dum suæ vitæ secura Ecclesia, quidquid animi neruorúmque habebat, consecrauit. Præerant tam religiosis officiis Episcopi & qui primi in altaribus Christo pascebantur: primi eidem Christo in pauperũ effigie pascendo curam impendebãt; catalogũ texebant egentium & viduarum, in quas Christianorum Elemosynæ poterant religiosiùs impendi. Ita enim Timotheum monet Paulus, ne passim & sine delectu quaslibet viduas, etiam adolescentiores ad capessendam Ecclesiæ beneficentiam admittat, & sinat publico demenso victitare, ne in vegeto corpore, desidia ardorque sanguinis nullo labore edomiti, libidinem accendat; adeóque, Ecclesia cuius sumptibus vixerunt, non tam earum virtutibus & continentiâ splendeat quàm luxurie & petulantia dedecoretur: & hoc est quod

1. ad Tim. 5.

innuit Paulus his verbis. *Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta*

est. Adolescentiores autem viduas deuita: Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt. ὅταν καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ γαμεῖν θέλουσι.

Nam viduas istas solitas ali de fundo Ecclesiæ, produnt subsequentia Pauli verba: *Si quis fidelis habet viduas subministret illis vt non grauetur Ecclesia, & ijs quæ verè viduæ sunt sufficiat.* Nec graue erit totam hanc sententiam authoritate Theodoreti fulcire, qui in hunc locum sic ait: *Ostendit Paulus causas, propter quas non vult iuniores referre in numerum viduarum: illud luxuriatæ fuerint, pro eo quod est Ecclesiasticum subsidium acceperint & quæ sunt corpori necessaria absque vlla sollicitudine susceperint, aluntur in otio otium autem introducit nequitiam.* Theodoretus in 5. cap. 1. ad Timot.

Et hæc pauca sunt quæ de Ecclesiæ nascentis patrimonio è sacris codicibus eruuntur, quibus vnum hoc addi potest, quod ex Syluestro ducitur: nimirum venditas à primis illis Christianis, villas, domos, prædia: & cætera quæ immobilium nomine censentur, non quod ea retinendo se præuaricari fidei suæ arbitrarentur, sed quod scirent Ecclesiam non diu in Iudæa mansuram, atque ex ijs agris fructus vllos metere dedignarentur, qui seruatoris sui fuso tam atrociter sanguine maduissent. Expectabant itaque beatiores secessus, & terras amœniores, vbi Apostolicis vocibus victa gentium impietas vectigal Cruci penderet: Vbi Christiana Religio è Iudæorum finibus fœdissimè pulsa tandem pacis & splendoris potiunda de Iudæorum vbique vagantium erroribus triumpharet. *Futuram* (inquit Syluester) *Ecclesiam in*

CAPVT VI.

VARIÆ HÆRETICORVM SEctæ in Ecclesiæ diuitias declamantes, Antropomorphitæ, Arnoldus Brixianus, Valdenses, Hussius, Lutherus, Spalatensis: Rationes eorum.

ACcusare cuicúmque libeat antiqui Pictoris commentum, qui cum egregiam Helenæ pulchritudinem imitari non posset, atque eas fingere oculorum flammas, quæ post decemnales rixas, tandem miserum Troiæ incendium pepererunt, victus maiestate argumenti, tabulam & exteriores omnes corporis ductus auro impleuit: vt cui formam & venustatem dare non poterat, saltem pretium & splendorem conciliaret, faceréque diuitem quam pingere desperabat elegantem.

Certè omnis forma, virtus & pulchritudo, si stemus arbitrio huius sæculi, in auro & fortunis iacet. Quotusquísque est, quem non supra Catonis innocentiam infamis tollat adulatio; si modò diuitiis fulgeat, & spe mercedulæ vel mediocris ancillantibus linguis blandiatur? Fraudatur domestico & naturali gloriæ prouétu squallens integritas, dumque emuntur fauore & auctoritate, hominum suffragia, etiam furor & rapinæ venalibus elogiis consecrantur. Et quis non augurabi-

tur ad Ecclesiæ puritatem & sacerdotij honorem, diuino quodam consilio accessisse diuitias, ne tanti gradus maiestas opum ornamento destituta, apud mortalium iudicia vilesceret, & Ecclesiastici homines, quasi mundi sordes & purgamenta ab ambitiosis atque audacibus superbo & indignanti vestigio calcarentur. Quot sunt qui sponsæ pulchritudinem nec oculis metiuntur quâ columbas refert, nec staturâ qua palmas imitatur, sed capitis tantùm fulgor, & quibus placere non posset, nisi reuera *Caput eius esset aurum optimum.*

Verùm quàm sordidi sunt eorum amores, tam iniusti sunt Hæreticorum quorumdam latratus in Ecclesiæ facultates insilientium, nec illam probantium nisi sordidam & tristi mendicitate squallentem.

Aug. lib. de hæresibus ad quod vult Deum hæres 5. eo. 6. operum.

Inter quos primi occurrunt Antropomorphitæ, de quibus Aug. lib. de Hęresibus ad quod vult. *Deum* (inquit) *sibi fingunt cogitatione carnali, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis quod rusticitati eorum tribuit* Epiphanius *parcens eis, ne dicantur Hæretici.* E*os autem à communione nostra separasse se dicit culpando* Epi*scopos diuites, & pascha cum iudæis celebrando*: Ex quibus patet Epiphanium Antropomorphitis aliquatenus indulsisse, quod Deũ humanâ fronte effingerent, quasi in eum errorem ipsos mentis nostræ debilitas impulisset, nec alio nomine schismaticos, & hæreticos censuisse, quàm quod diuitias in Episcopo scelus esse arbitrarentur.

tur. Qui Clericorum opes præcipuè insectatus sit, nullum posteriora tempora hæreticum tulerunt ante annum circiter millesimum, quo insanus quidam nomine Leutardus è vico Virtutis, in pago Catalaunico natus decimas oppugnauit, vt refert Glaber Rodolphus.

Glaber Rodolphus historiæ lib. 2. cap. 11.

Post stolidos hosce & amentes neminem reperio, qui istam hæresim palam sit professus ante Arnoldum quendam, qui circa annum circiter 1130 Clericos peccare asserebat contra leges suæ sortis & conditionis, si quid possiderent, quibus vnum licere putabat Christum ambire & eius complexu suauissimo oblectari.

Arnoldus Brixianus apud Genebrardum.

De Arnoldo Brixiano Bernard. Ep. 95. ad Episc. Constantiensem.

Hunc sequutus est anno 453. Ioannes Behaim tympanista & pecorum pastor, qui in decimas quæ Clericis soluerentur contumacissimè inuectus est, eo maxime nomine, quod interdictam bonorum omnium possessione, Clericorum familiam existimaret: quasi verò quos Deus vt filios & hæredes agnoscit, illis, præter famem & inopiam, offensus Pater nihil quidquam Patrimonij nomine reliquerit?

Genebrardus ad annū 1455. & Mūsterus lib. 3. Cosmograph.

Fuerunt etiam Pauli temporibus, qui dicerent neminem posse se pro Christi vicario gerere, nisi paupertatem amplecteretur, quæ præcipua Christi virtus fuit, & qua mundum omnemque eius ambitionem, miserrimæ vitæ languoribus debellauit.

Quorum somnia proximi defenderunt Valdenses & tandem Vuiclephus Concilij Constantiensis

Digitized by Google

temporibus : Cuius errores in hac materia fuerunt, Clerum & Monachos omnes diuinis legibus à cuiuscunque rei dominio & proprietate interclusos. Namque vt recitat Harpsfeldius historiæ Vuiclepsianæ ca. 2. *Omnes possessiones non Monachis modò, sed vniuerso prorsus Clero eripit, nec solidum aliquem aut stabilem decimarum fructum ei reliquit. Dotare*, inquit, *Ecclesiam, est contra sacræ scripturæ & regulam Christi. Syluester Papa & Constantinus Imperator errauerunt, Ecclesiam dotando. Papa & omnes Cardinales & Clerici possessiones habentes sunt hæretici, & Laici eis consentientes. Imperator & sæculares sunt seducti à diabolo, vt Ecclesiã dotarent bonis. Sacerdotes veteris testamenti viuebant ex proprietarie.* Ecclesi*a non habuit dotem vel possessionem rei immobilis ante Constantinum magnum : Non esse sacrilegium auferre res* Ecclesiæ *datas & Deo consecratas, imò debere Principes sub pœna damnationis auferre bona temporalia, à Clero habitualiter peccante : Parochianos autem admonet & hortatur ne presbyteris improbè viuentibus decimam soluant : dicit has esse meras* Eleemosynas*, & posse parochianos ad libitum auferre, nec licere pastoribus eas exigere per censuras* Ecclesiæ.

Æneas Syluius de origine Bohemorum ca. 35. Harpsfeldius Historiæ Vuiclef. cap. 2.

Istum errorem pene consepultum restituit Lutherus, qui cum suam sectam stare non posse animaduerteret, nisi Principum & Magnatum patrocinio niteretur, existimauit eos posse facili negotio in suas partes abduci, si ad Ecclesiæ exuuias prædamque accerseret, persuaderetque eam posse illis, quibus instructa est, opibus non impu-

ne tantùm sed religiosè spoliari.

Illis omnibus nouissimè successit Spalatēsis, qui cum è suo capite nouum quoddam Ecclesiæ & doctrinæ genus fingeret, è varijs documentis malè temperatum; vt pietatis aliquid præ sese ferret, neque ambitione duci videretur, in ambitionem quasi familiarem Ecclesiastici ordinis morbum præclarus declamator inuectus est, & præ cæteris institutum istud Christi: *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo*, voluit non modò Apostolos obligasse; verum etiā eius obseruatione vniuersos eorum successores obstringi. Rationes autem quibus speciosam istam paupertatis Ecclesiasticæ legem tuetur, sunt istæ potissimum. Primò Ecclesiam veteris testamenti, quæ imago tantùm & rudis vmbra fuit tanti operis, quod suo sanguine Christus aliquando cæmentaret, vixisse pauperem & bonorum immobilium possessione interclusam. Iusserat quippe Dominus vt tota tribus Leui sacris ministerijs deputata, nullam in terris partem haberet, & à reliquis tribubus, decimis & oblationibus ac primitiis sustentaretur. Vnde Hieronymus Clerici vitam describens: *Si autem* (inquit) *Domini pars sum & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Leuita & Sacerdos, viuo de decimis & altari seruiens altaris oblatione sustentor habens victum & vestitū, his cōtentus ero & nudam crucē nudus sequar.*

Matth. 10.

Numeri 18. v. 20. Deuter. 9. Iosue 13. v. 14 Hieron. Ep. ad Nepot.

Secunda ratio petitur ex vocatione Petri & Andreæ, qui relictis retibus, totâque piscatoriâ supellectile Christum sequuti sunt, quasi nullius rei deinceps capiendæ desiderio tenerentur, qui Christum cepissent, factique ipsius præda, inuicem illius amores essent deprædati. A quorum exemplo quàm longissimè absunt, qui ad Ecclesiasticas dignitates vocati, retia & pedicas circumferunt, quibus officia, dignitates, opes ac diuitias ambitiosè aucupantur.

Tertiò allegant petitum è Matthæi 5. ca. Christi documentum: *Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & alteram: Et is qui vult tecum iudicio contendere & tunicam tuam tollere dimitte ei & pallium:* Quod consilium spectare volunt maximè ad Clericos, quibus imperatur, vt spoliatoribus suis consentiant, & prædatricem manum spontaneâ rerum suarum abdicatione præcurrant. Quartò citant illud Matth. 19. *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus* His argumentis, quæ leuicula sunt, abundè credemus satisfactum, si doceamus primò Ecclesiam etiam antiquioris testamenti bonis affluxisse, decimis, fundis, vrbibus. Secundo etiam ante Constantinum Ecclesiam habuisse bona temporalia.

CAPVT VII.

De primitiis Sacerdotum veteris Testamenti: Duo genera primitiarum: Ezechielis locus explicatur: Mensuræ Iudæorum Corus & Bathus: Ritus redimendi primogenita: Quâ nota insignes essent non redempti: Primitiæ panum, &c.

QVi Ecclesiam noui Testamenti diuitiarum accusant & splendorem illius, Christianorum pietate ac beneficiis adultum, veluti grande piaculum increpant, nituntur præsertim exemplo veteris Ecclesiæ, cuius Leuitas, quasi nostri sacerdotij præuias imagines paupertatem coluisse volunt; vt futuræ Ecclesiæ opum ac diuitiarum desideria spemque eriperent, & ad æternitatis vnius ambitionem hortarentur. Ideoque paupertatem istam prioris Testamenti excutiamus, è qua patebit Sacerdotes nostros præ illorum opulentia egere.

Primi census redituſve Sacerdotum veteris Testamenti erant in primitiis; quarum, aliæ erant certa lege sancitæ, aliæ tantummodo liberæ & voluntariæ ex voto nempe & singulari affectu. De prioribus agendum primò loco. Primitiæ aliæ iussæ; aliæ liberæ.

Lex primitiarũ habetur Exo. 22. *Primitias tuas non tardabis reddere, primogenitum filiorum tuorum dabis mihi: de bobus, quoque & ouibus similiter facies, septem die-*

bus sit cum matre sua, die octaua reddes illum mihi. Vbi nota in Hebræo haberi מלאחך ודמעך hoc est plenitudinem tuam & lachrymam tuam. In Chaldaïca paraphrasi. *Primitias frumenti & vini tui non tardabis reddere.* Ex quibus patet duo genera primitiarum illic mandari, frugum & animantium: & frugum quidem primitias imperari quidem, attamen mensuram modumque non præfigi: quod erudite notat Hieronymus in Ezec. cap. 45. lib. 14. vbi ait ante tempora Ezechielis licuisse Iudæis sibimetipsis pendendarum in frugibus primitiarum modum imponere. At quia auari sacerdotes iniquis conditionibus populum vexabant, ideo visum est Deo per prophetam decernere ne in posterum offerrent amplius quam sexagesimam partem cori primitiarum nomine. Corus autem ad mentem Hieronimi continebat 30. modios, Bathus verò aut Epha continet tres modios, vnde Corus siue Gomor videtur constare decem Bathis, aut Ephis. Cum ergo Deus præcipit vt detur pars sexta Bathi aut Ephæ, idem est acsi iuberet offerri sexagesimam partem Gomor. At verò ante hoc Dei præscriptum, ait Hieronimus, se ex Hebræorum traditione accepisse, solitos fuisse Iudæos ditiores, soluere quadragesimam partem Cori, pauperiores verò sexagesimam. Ita censuerant veteres legisperiti. Quo autem pretio redimerentur primogenita habetur Numerorum 18. *Omne animal quod immundum est redimi facies. Cuius redemptio erit post*

De primitiis iussis & imperati.

Duo genera primitiarũ.

Hieron. in Ezech. c. 45.

vnum mensem siclis argenti quinque, pondere Sanctuarij. Siclus viginti obolos habet: primogenitum autem bouis & ouis & capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino; sanguinem tantùm eorum fundes super altare, & adipes adolebis in suauissimum odorem Domino: carnes verò in vsum tuum cedent, &c.

De modo quo etiam Iudæi filios primogenitos redimunt hæc traduntur. Die trigesimo, ex quo infantulus natus est, pater illius כהן seu sacerdotem, cui alij quidem boni amici adiuncti sunt, ad se accersit, infantulumque coram ipso super mensa sistit addita pecuniâ, vel alio quod pecuniæ loco esse possit, tanto quantum floreni duo, Sacerdoti sic ait: *Vxor mea mihi bechor siue filium peperit primogenitum lex eum tibi vult dari.* Cui sacerdos das ne? Pater respondet, etiam, postea percontatur matrem an iste sit primogenitus, an non abortiuus præcesserit, si neget, quærit à patre sacerdos, num pecunia chariorem habeat filium, pater filium chariorem ait, tum sacerdos acceptam pecuniam ad caput infantuli deponens. *Filiolus* inquit, *primogenitus est, quem Deus redimendum esse voluit, cuius redemptio erit post vnum mensem, &c. Conuersúsque ad puellum quando tu* (inquit) *eras in vtero materno, eras Patris tui Cælestis & parentum tuorum, nunc autem es in potestate manúque meâ, qui sacerdos sum. Pater autem tuus & mater tua redimere te cupiunt: quippe qui primogenitus sis Domino sacer, prout scriptum est, Sanctifica mihi omne primogenitum &c. Nunc pecunia hæc loco tuo succedet pro*

Modus redemptionis primogenitorum.

tui redemptione, sacerdotique donata erit, &c.

Notant quod si pater decesserit antequam filius attigerit diem trigesimum tertium, quo nempe secundum legem debet redimi: tum mater non tenetur filium redimere, sed filij collo cartam aut laminam auream circumponere, in qua scriptum est, בכור שלא נפדה hoc est, *filius iste, est quidem primogenitus, sed non redemptus.* Itaque cùm adoleuit, ipsemet tenetur sese à sacerdote condicto pretio redimere.

De votiuis primitiis.

Quòd verò ad votiuas primitias pertinet, certum est quidquid beneficij alicuius impetrandi causâ Deo vouerent Iudæi, illud in commodum Sacerdotum cessisse, siue è frugibus, siue è pecudibus & armentis. Ita enim legitur Numer. 18.

Num. 18.

Primitias quas vouerunt & obtulerunt filij Israël, tibi dedi, filiis tuis, ac filiabus tuis iure perpetuo, & versu decimoquarto additur, *omne quod ex voto reddiderunt filij Israël, tuum erit.*

Præter hoc Duplex primitiarum genus, erant & aliæ: nam singulis hebdomadibus, dum panem pinsunt mulieres Iudææ, placentam secernunt & dicant Domino, offerúntque Sacerdoti: Sic etiam secundâ die Azymorum, nouas spicas primitiarum nomine Deo offerebant. Item die sacro Pentecostes primitias panum nouæ messis, gratulantes Numini persoluebant. De quibus primitijs Leuit. 23. *Offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in*

Leuit. 23.

tis in primitias Domini, &c. Vnde festum istud Pentecostes aliquando appellatur festum Primitiuorum.

Illud addo instar parergi, sollicitos fuisse Christianos veteres de primitiis suis Deo persoluendis: adeóque sacerdotes non tantùm decimis sed primitiuis quoque fructibus victitasse. Ita enim Hieron. in cap. 44 Ezechielis, *Primitiæ quoque ciborum nostrorum sacerdotibus offeruntur, vt nil gustemus nouarum frugum, nisi sacerdos ante gustauerit. Hoc autem facimus, vt reponat sacerdos benedictionem & oblationem nostram in domo sua: siue vt ad imprecationem suam, Dominus benedicat domibus nostris. Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina eorum si peccant. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum, non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. Neque enim solùm pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute solliciti.* Hieron. in c. 44. Ezech.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

DE REDITIBVS, QVOS EX SAcrificiis & oblationibus antiqui Sacerdotes capiebant. Quam partem ex singulis. Sacrificia varij generis. Quotuplex oblatio. Quid Charam. Quo pretio redimuntur personæ. Quæ prædia, &c.

SEcunda pars redituum, quibus antiqui Sacerdotes alebantur in sacrificiis, posita est, quorum ferè nullum erat, cuius aliqua pars ad Sacerdotem non pertineret, ideoque si perpendamus, Iudæos tam assiduos & frequentes fuisse in sacrificiis Deo exhibendis, vt repudiato mentis cultu omnem pietatis ac Religionis fructum in victimarum cæde constituissent, patebit, certè ex hostiarum continua mactatione copiosos satis & pingues census, Leuitas & Sacerdotes collegisse, vnde eorum familiæ nutrirentur: Nam cum quinque enumerentur sacrificiorum genera, holocaustum, libamina pacifica, sacrificium pro peccatis, sacrificium pro delictis, sacrificium consecrationis: Vnum erat holocaustum, è quo nulla pars sacerdoti obueniebat præter pellem. Cùm enim sacrificium istud in solam Dei gloriam cederet, essentque quasi vectigal supremæ illius maiestati, qua mundum summo domina-

tu regij pensitatum, certè nefas erat quidquam ex eo ab hominibus decerpi, nisi ausu temerario vellent in diuinæ potestatis societatem inuolare, vnde Philo de sacrificio, *quia ad honorem Dei holocaustum institutum est, idcirco victima tota absumitur, μηδὲν ἐπιφερομένης τῆς θνητῆς φιλαυτίας, humanâ cupiditate nihil inde auferente.*

De libaminibus, quod supererat ex simila & oleo, illud erat filiorum Aaron, vt habetur Leuit. *Anima cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio, fundétque super eam oleum & ponet thus & deferet ad filios Aaron sacerdotis, quorum vnus tollit pugillum plenum similæ & olei ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suauissimum Domino: quod autem reliquum erit de sacrificio, erit Aaron & filiorum eius, sanctum sanctorum de oblationibus Domino.*

E sacrificio pacificorum, quod Græci *θυσίαν εἰρηνικὴν*, appellant, sacerdos pectusculum & armum dextrum accipiebat, quod ex mente Origenis demonstrabat, ope curáque Sacerdotis sic commutatum offerentis animum, vt eius studia & actiones omnes nil deinceps prophanum saperent, sed legi consentirent atque honestati: Per pectus enim affectus internos, per armum verò siue brachium, actiones vult significari. Cæterùm ea erat huius sacrificij conditio, vt oporteret illius carnes ab offerente in atrio tabernaculi ante diem tertium omnes absumi; itaut nil in tertium diem superesset, quod traducit Philo

Origenes homil. 5. in cap. 7. Lant

Philo libro legis de victimis p. 651

ad animam & corpus: *Offertur*, inquit, *sacrificium pro salute duorum corporis & animæ, proinde suus cuique dies epularis tribuitur*, &c. *quoniam autem, tertium nihil est, cui propriè quæratur salus, seriò vetitum est proferri epulum vsque in tertium diem*: *itaut ne per obliuionem quidem liceat superesse reliquias sine piaculo.*

In sacrificio pro peccato duo distinguenda sunt: Nam aut offerebatur pro peccato Sacerdotis, aut populi, aut peccato priuatæ alicuius personæ: si pro peccato populi aut Sacerdotis hostia offerretur, nil inde sibi retinebant Sacerdotes, sed tota victima comburebatur extra castra, vt habetur Leuit. cap. 6. *Hostia quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum in sanctuario, non comedetur sed comburetur igni* Si verò hostia offerebatur pro priuati alicuius peccato, tum oblata victima pertinebat ad Sacerdotem offerentem: ita tamen vt ad esum inuitare posset collegas & liberos eorum mares, *Omnis masculus de genere Sacerdotali vescitur de carnibus eius.*

Leuit. 6. v. 20.

In victima verò pro delicto, quæ portio Sacerdoti obueniret satis proditur Leuit. 7. *Hæc quoque est lex hostiæ pro delicto, sancta sanctorum est. Idcirco vbi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto, sanguis per gyrum altaris funditur, offerent caudam ex ea & adipem qui operit vitalia, duos renunculos & pinguedinem quæ iuxta ilia est, reticulumque iecoris cum renunculis & adolebit ea Sacerdos super altare, incensum est Domino pro delicto: Omnis*

masculus de Sacerdotali genere in loco sancto vescitur his carnibus, quia sanctum Sanctorum est: sicut pro peccato offertur hostia: ita & pro delicto vtriusque hostiæ Lex vna erit: ad Sacerdotem, qui eam obtulerit pertinebit. Sacerdos qui offert Holocausti victimam habebit pellem eius & omne sacrificium similæ, quod coquitur ex clibano & quidquid in craticula vel sartagine præparatur erit eius sacerdotis à quo offertur, &c.

Ac ne quid supersit quod hîc scrupulum possit mouere, obiter notandum peccatum, à delicto distingui, illud Hebræi חטאת Græci ἀμαρτίας, hoc verò אשם Græci πλημμελείας vocant & peccatum volunt esse, quod committitur contra præcepta affirmatiua, quæ tot esse in scriptura asserunt quot sunt ossa in corpore humano: At verò delictum censent esse, quo negatiua mandata violantur, quæ tot esse volunt quot anni dies nempe 365. Peccatum August. vult esse commissionis, delictum omissionis, Gregorius peccatum esse operum, delictum verò cogitationis. Alij peccatum quod consultò fit & datâ operâ: at delictum quod ex ignorantia.

Aug. quæst. 20. in Leuit. Greg. hom. 11. in Ezech.

Quanta autem fieret singulis annis in templo Hierosolimitano victimarum strages: inde maximè constabit, quod Flauius Iosephus excidij Hierosol. lib. 6. cap. 4. notat vno die Paschatis ducenta quinquaginta sex millia & sexcentas victimas fuisse immolatas. Tertium genus obuentionum, quarum fructus cedebant in commo-

dum sacerdotum, consistit in oblationibus & spontaneis muneribus.

Oblationes autem aut hominum erant ac animalium, aut certè rerum aliarum vt pote agri, villæ, domus, &c. Vtraque autẽ oblatio siue rerum, siue personarum, duobus modis fiebat: aut per modum succisionis & anathematis, aut per modum simplicis consecrationis ac doni. Quidquid per modum succisionis dicabatur Domino, id nullo pretio redimi poterat, seu homo, seu fundus, seu animal: & homines quidem ac animantes mactari necesse erat, villas, prædia & agros æternùm sacerdotibus addici.

Ex quo conijcere est, non esse à veritate alienam eorum sententiam, qui filiam Iepthe reuerà mactatam asseruerunt, quod eam vouisset per modum succisionis & anathematis, quod ab Hebræis appellatur חרם. At Leuitici vltimo capite iubetur, חרם vt omne quod deuotũ fuerit Domino etiam ex humanis personis non redimatur, sed omnino morte afficiatur כל חרם אשר יחרם מן האדם לא יפדה מות יומת Quæ ergo personæ erant simplici voto consecratæ, vitam suam pretio recipiebant, quod pretium à sacerdote imponebatur, pro conditione, ætate, statúque personarum. Masculus à vigesimo anno ad sexagesimum, quinquaginta siclis argenti redimebatur, mulier, triginta, à quinto anno ad vigesimum, masculus viginti siclis, mulier decem: Ab vno mense ad annum quintum masculus quinque, fœmina tri-

bus, si pauper esset minuebatur pretium ex iudicio sacerdotis. Cæterùm non erit alienum hîc annotare quod à Drusio in Leuiticum accipimus, nimirum fœminam cum crescit ætate & senectute, pretio quoque crescere, quasi bona non sit nisi quæ citò moritura. Nam in alia ætate fœmina mediâ parte minùs æstimatur quàm vir, sed in senectute quartâ tantùm parte deficit à pretio viri, Ita Leuitici 27. vers. 7. vir Sexagenarius æstimatur quindecim siclis argenteis & fœmina decem. Quippe vt ait Rabbi Selomo *quum fœmina peruenit ad dies senectutis proximè est vt reputetur pro viro, quod homines* (inquit: *Prouerbio significant senex in domo, Dux in domo, Anus in domo, Thesaurus bonus in domo.*

Quod ad votum terrarum & domorum pertinet, vel erant propriæ possessionis, vel erant emptitiæ: Si propriæ possessionis poterant redimi additâ quintâ parte pretii, si quis nollet redimere, tũ certè vendebantur habitâ ratione annorum, qui superessent ad Iubileum, si plures anni, chariùs vænibant, si pauciores, viliùs Verùm hoc erat incommodi iis qui terras suas redimere nolebant, quod eas nunquam reciperent, sed in formam anathematis & succisionis conuersæ, iuri & dominio sacerdotum accrescebant, ita tamen vt singulis Iubileis eas sacerdotes licitationi subiicerent venderentque alicui ex ea tribu, aquâ erant distractæ. Si verò terra non esset propria familiæ sed emptitia, tum certè æstimabatur illius pre-

Digitized by Google

tium habitâ ratione annorum, qui reliqui essent ad Iubileum; eo exacto ad priorem dominum quasi postliminio reditura. Vnde patet magnos quoque fructus ac prouentus habuisse antiquæ legis Sacerdotes & Leuitas, ex frequenti ista consecratione domorum ac personarum, ac proinde fragile argumentum ex eorum tenuitate assumi, vt necessariæ paupertatis onus nouæ legis sacerdotibus imponatur.

CAPVT X.

QVOT GENERA DECIMARVM.

Quid δευτεροδεκάδην & πρωτοδεκάδην. *Decimæ regiæ. Ex quibus rebus fieret decimatio. Qui testes. Modus seligendi pecora ex Paraphrasi Chaldaica, &c.*

QVartum genus prouentuum sacrorum colligebatur ex decimis, quas populus ordini sacerdotum quotannis persoluebat, quarum ratio modúsque persoluendi, vt plenius intelligatur, animaduertendum ex Hieronimo tria fuisse apud Iudæos decimarũ genera, sic enim habet in Ezech. cap. 45. *Dicamus igitur primum iuxta litteram* δεκάδα *hoc est decimam partem omnium frugum Leuiticæ tribui populus, ex lege debebat. Rursum ex decimis, Leuita hoc est inferior Ministrorum gradus, dabat decimas sacerdotibus, & hæc est quæ appellatur* δευτεροδεκάδην. Erant

Hieron. lib. 14. in Ezech. tom. 5 op.

quoque

quoque aliæ decimæ, quas vnusquisque de populo Israel in suis horreis seruabat, vt comederet eas cum iret ad Templum & vrbem Hierusalem, & Sacerdotes ac Leuitas inuitaret ad conuiuia. Erant autem & aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant, quæ Græco sermone appellantur πτωχοδεκάδας; Nonnulli censent tertiam & quartam decimam non differre, nisi quod tertio & sexto quoq; anno decimæ istæ in peregrinos & hospites erogarentur: at annis intermediis in sacra conuiuia eas expenderent, cum Hierosolymas proficiscerentur. Nam si fieri posset, eas in Vrbem Sacram comportabant, sin verò itinerum longinquitas prohiberet, è pretio venditarum decimarum conuiuia Hierosolymis in atrio sacro instituebant. Ita censet Rabbi Ben, Mayemon, in Halac Maaf, Scheni capite primo *Separatis*, inquit, *prioribus decimis, dabant & secundas decimas ex omni prouentu singulis annis. Verùm anno tertio & sexto periodi septenariæ pauperibus.*

Cæterùm præter hæc quatuor decimarum genera idem Rabbi Moses, in Halach Melach, c. 4. asserit quintum fuisse decimarum genus, quod nempe Regi solueretur; quandoquidem aliquâ ex parte sacerdotis dignitate floresceret, & diuina in terris vice fungeretur. Quæ sententia licet paucissimos habeat authores, nec ab vllo antiquorum prodita sit, videtur tamen niti sacræ scripturæ suffragio, vbi inter cætera Regij Iuris capita, hoc quoque disertè refertur: *Agros quoque vestros &*

vineas & olineta tollet & dabit seruis suis: Sed & segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, vt det vniuersis & famulis suis, greges quoque vestros addecimabit & eritis serui.

Quia verò hîc de decimis Leuiticis nobis institutus est sermo, dicendum quomodo legerentur, & è quibus bonis.

Decimæ vel è pecoribus, vel è fructibus solebant legi. E fructibus quidem omnis generis scilicet è frumento, tritico, auenâ, hordeo, leguminibus, oleo, musto, ficubus, malogranatis.

Nec fruges tantùm vtiles & alendo corpori commodæ huic oneri subdebantur: Verùm & è lolio, zizaniis, cæterísque noxiis herbarum generibus, quibus frumenta præfocantur, sacerdotes decimas sumebant, ita enim habet Rabbi Moses, Ben, Mayemon, in Halac Trumos capite 1. *Viciæ quamuis non sint humana nutrimenta, quia tamen famis tempore comeduntur, etiam addecimari debent, sic & hyssopus atque origanum, quorum semina sunt hominum condimentum, decimatur.* Ex hac tam rigidâ decimarum etiam è minutissimis rebus pensitatione, manasse videtur increpatio Christi, Matth vigesimo tertio: *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem, hæc oportuit facere & illa non omittere.*

In hac autem decimarum segregatione, ita pietati & bonæ fidei Iudæorum credebatur, vt nulli

adhiberentur arbitri, nulli immitterentur exploratores, qui pensitationi huic modum imponerent, donec diebus Ioannis, qui successit Simeoni Senatus magnus emisit exploratores in omnes terminos Israël, & deprehendit, quod primitiarum quidem oblationes fideliter redderent, vtrásque verò decimas primam videlicet & secundam, & eam quæ pauperum est, imminuerent.

Ideo decreuerunt, ne quis posthac solus sine teste sufficeret ad decimationem, nisi homo notæ probitatis :ac plebeiorum fructus semper dubij essent, nec ipsimet de decimatione testari possent. Ita prodit idem Rabbi Mayemon, in Halac Maasar capite nono.

Pecoris verò decimas etiam ex omni genere persoluebant, Hebræus habet וכל & omnis decima ouis & pecoris, quæ duo Bacar & Tson, comprehendunt omne genus animantium; Eadem habet Paraphrasis Chaldaïca nomine verò Tson, non tantùm oues intelliguntur, sed etiam Capræ.

Modum verò seligendi & secernendi decimam è pecoribus prodit Oleaster, aitque primum Pastores matres omnes & fœtas ab ouili separasse, deinde verò collectis in vnum locum agnis & ouibus (è quo loco vnicus, isque arctior & angustior egressus pateret,) ope virgæ omnes singulatim agnos pastorem emisisse, ea lege, vt qui decimus egrederetur quisquis ille foret, seu macilen-

tus, seu obæsus & pinguis, is in sortem Leuitarum transiret, neque fas esset immutare. Vnde inquit præfato loco Leuitici habetur, decimam colligi ex omni, *quod transit sub virgâ Pastoris.*

Verùm eius consuetudinis fontem Paraphrasim Chaldaïcam hîc libet adtexere, quæ in fine Leuitici, vltimo capite ita habet. *Omnisque decimatio boum & ouium & omne decimum quod transierit sub virgâ, erit sanctificatum coram* Domino. *Non requirat inter bonum & malum neque commutet illud, si autem commutans commutauerit illud, & id pro quo commutatum est erit sanctificatum & non redimetur.* Vnde patet sic mulctatam fuisse eorum fraudem, qui ouem pinguem macilentâ & tenui commutarent, vt vtraque Leuitarum esset, & jure quodam succisionis atque anathematis Domino vindicaretur.

CAPVT IX.

DE GAZOPHYLACIO ET PECVNIIS *sacris. Duo genera Gazophylaciorum. A quo tempore cœpit Gazophylacio pecunia inferri. Origo tributi quod Judæi viritim pendebant. Populi numeratio quare Deo odiosa. Siclus duplex. Pecunia è toto orbe Jerusalem delata. Ceremonia in refectione Templi. Locus Matthæi explicatur.*

SExta bonorum Classis, quæ sacerdotibus antiquæ legis propria erant, colligebatur ex iis,

quæ populus in Gazophylacium siue Corbonam importabat.

Gazophylacium autem duo mihi videtur significare apud sacros auctores. Primò locum quendam seu cœnaculum satis amplum & spatiosum, in quod, non modo pecunias, verum & omnis generis donaria, quæ Deo vouerentur, Iudæi inferebant: Imo verò in illo Gazophylacio suppellex religiosa, vasa aurea, argentea, & quidquid instrumentorum sacris faciundis necessarium esset, sub cura Leuitarum seruabatur. Inde promebatur & recondebatur, eorumdem manu & sollicitudine, prout sacrificiorum ratio ac ceremoniæ postularent. Nam eam esse huius nominis, Gazophylacium, significationem satis constat capite decimo Nehemiæ, vbi primitiæ, quas Israëlitæ Deo offerunt & decimæ quas Leuitæ sacerdotibus pendunt, iubentur ad Gazophylacium defferri. Vnde liquet eo loco, Gazophylacium, non pro arca lignea excipiendis tantùm nummulis aptata, sed pro grandi spatiosáque porticu, cellis variis distincta sumi, in qua fruges omnis generis recondi possunt ac reseruari. Ita vero habet Textus. *Vt primitias ciborum nostrorum & libaminum nostrorum, & poma omnia ligni, vindemiæ quoque & olei afferremus sacerdotibus, ad Gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Leuitis: ipsi Leuitæ decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum nostrorum. Erit autem sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum & Leuitæ offerent decimam partem*

Duplex Gazophylacij significatio.

Gazophylaciũ maius.

Nehem. c. 10. v. 37.

decimæ suæ in domo Dei nostri ad Gazophylacium in domo Thesauri. Ad Gazophylacium enim deportabunt filij Israël & filij Leuï primitias frumenti, vini, & olei, &c. ibi erunt vasa Domini sanctificata, &c. Ex quo loco patet Leuitas omnem decimam per ciuitates Iudææ collegisse: Tum verò decimam illius decimæ partem curasse deferri in Hierusalem, atque importari in domum Thesauri, quam Gazophylacium appellat scriptura.

Gazophylaciũ minus. Alioquin verò Gazophylacium significat arculam ex tabulis compactam, quarum vna, quæ tegumenti & operculi loco, arcæ imposita erat, superne fissilis, tenuique hiatu diducta, viam monstrabat inducendæ pecuniæ. Videtur autem Gazophylacij istius vsus primùm cœpisse temporibus Ioæ Regis, qui cùm videret pecunias, quas populus reficiendo ornandóque templo in dies conferebat, à sacerdotibus turpissimè corradi, nec inde templi labes ac ruinas suppleri, noluit amplius pecuniam istam sacerdotum auaris manibus, quibus tam sordide adhærescerét, attrectari: Eáque causâ Gazophylacium ligneum Ioiadas Pontifex concinnari curauit, in quod pecuniæ seu votiuæ, seu debitæ immitterentur, illinc postea coram scribâ Regis, Pontifice, & argentariis educendæ: Nam hoc pacto summotis fraudibus & turpi prædatione interclusâ, in Dei gloriam templique ornatum cedebant, quæ priùs in hominum luxuriem & familiarum pompam vertebantur. *Dixit Ioas ad sacerdotes: omnem pecuniam Sanctorum,*

Quo tempore cœpit Gazophylacio inferri pecunia.

4. Regum 12.

quæ infertur in Templum Domini à prætereuntibus, pecuniam pretij, & quam sponte pro arbitrio cordis inferunt in Templum Domini, accipiant sacerdotes quisquis ab exactione sua & instaurent sarta tecta domus, si quid opus viderint instauratione: Igitur vsque ad vigesimum tertium annum Regis Ioæ non instaurauerunt sacerdotes sarta tecta templi: Vocauitque Rex Ioiadam Pontificem & sacerdotes, dicens eis, quare sarta tecta non instaurastis Templi. Nolite ergo amplius accipere pecuniam ab exactione vestra, quando ad instaurationem Templi daturi non estis, & consenserunt sacerdotes ne vltrà acciperent pecuniam à populo causâ sartorum, domuum, & sumpsit Ioiadas Gazophylacium vnum, aperuitque foramen in tabula eius, & posuit iuxta altare ad dextram ingredientium domum Domini, & *dederunt in id sacerdotes, qui custodiebant ostium omnem pecuniam, quæ deferebatur in Templum; cúmque viderent nimiam pecuniam esse in Gazophylacio, ascendit scriba Regis & Pontifex & argentarij, effuderuntque & numerarunt pecuniam, quæ inuenta est in domo* Domini, & *dederunt eam promptè in manus operariorum.* Eadem prope descriptio Gazophylacij habetur 2. Paralip. cap 23. vbi inducitur Ioas ita imperans. *Fiat arca & ponatur in porta* Domini *extrinsecus & edicant in Iuda & Hierusalem, conferes* Domino, *vt* Dixit *Moyses in deserto, & dederunt omnes Principes & cunctus populus, & contulerunt & conjecerunt in arcam; itaut compleretur: & attulerũt arcam ad præpositos Regis per manus Leuitarum & viderunt quod abundabat pecunia, & venit scriba Regis & præpositus magni sacer-* 2. Paralip. cap. 32.

detis, & exhauserunt arcam & posuerunt eam in loco suo.

Itaque ante arcam appositam, apparet in veteri Templo solitos fuisse quosdam è sacerdotibus sedere in conclaui, ad fores sacræ domus extructo, ibique seu votiuas, seu lege mandatas pecunias à populo percipere, earumque numerum in commentarium & pugillares referre: Erant autem rationum libri descripti iuxta Prouincias & Tribus, vt pateret quis ex vnaquaque Tribu persoluisset vectigal à Deo impositum, quis verò in mora esset: Cùm autem per vices & decurias ministrarent sacerdotes, certè conjicere est non eosdem toto anno præfuisse pecuniis excipiendis, sed prout ordines & vices mutarentur, ita quoque mutatos fuisse Quæstores, & rei pecuniariæ Promos Condos. Quod facilè est colligere ex cap. citato 4. Reg. 12. vbi Ioas ita increpat sacerdotes, *Nolite amplius accipere pecuniam iuxta ordinem vestrum.*

Qua ratione primis temporibus pecunia colligebatur.

4. Reg. 12.

Post extructam vero arcam ligneam, vel populus suâ sponte pecuniam istam collatitiam in Gazophylacium immittebat: vel certè si quis nondum assuetus huic nouo mori in manus sacerdotum aliquid contraderet, illi tum primùm populi vota in Gazophylacium seu in Thecam ligneam inferebant. Omnino verò censendum est priusquam populus tributum Gazophylacio injiceret sacerdotes ipsos pecunias numerasse, quas census nomine, Deo viritim pendebant: ne populus Religionem

gionem falleret, aut certè ignoraretur quis tributo se exoluisset, & quis reus eiusdem ac debitor superesset.

Et hoc pacto conciliari possunt duo textus ad speciem contrarij, 4. Reg. 12. & 2. Paralipomenon. 23. quorum primus ait per sacerdotum manus pecuniam fuisse in Gazophylacium delatam: alter verò à populo nummos fuisse largissimè immissos. Nam priori loco mentio est de pecunia conditâ per legem & instar census impositâ, posteriori, de votiuâ & sponte oblatâ. Conciliatio locorum scripturę.

Quid autem deberent Templo Iudæorum singuli, constat ex eo quod habetur Exod. 30. *Quando tuleris summam filiorum Israël, iuxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram Templi: Siclus viginti obolos habet, media pars sicli offertur Domino. Qui habetur in numero, à viginti annis & supra dabit pretium: Diues non addet ad medium sicli & pauper nihil minuet, susceptámque pecuniam trades in vsus tabernaculi testimonij, vt sit monimentum coram Domino, & propitietur animabus eorum.* Tributum templo debitum quale fuerit.

Licet autem videatur lex ista ad tempus tantùm imposita, nec facile sit reperire præceptum aliud, quo in posterum Israëlitæ benigniores terras ingressi & desiderato tandem solo potiti, tenerentur siclum tributi nomine, pendere: Attamen tradunt Hebræi viguisse perpetuò legem Lex tributi Tabernaculo persoluendi an perpetua.

hanc apud Iudæos, vt singulis annis, qui vigesimum ætatis annum emersissent, illi dimidium sicli Tabernaculo soluerẽt & in ærarium sacrum ad instaurationem Templi, eiúsque suppellectilis, immitterent. Hoc autem officio pietatis perfungebantur in festo Expiationis, quæ decimo die mensis Tisri à sacerdote fiebat; vt totius populi sordes communi sacrificio elueret, & totam Iudæorum nationem vnâ victimâ Deo conciliaret.

Tributum pr pter numerationẽ populi, primo impositum.

Alioquin tributum istud à Deo primùm impositum est, propter numerationem populi. Quoties enim populus numeraretur, & si Deo annuente id fieret, attamen opus fuit placatione: Facile quippe erat populum, cum recenseretur, infinitâ sui copiâ ac multitudine in superbiam adduci, séque parem cæteris nationibus obruendis, etiam citra cœlorum opem credere: Ac proinde vt sceleratus iste tumor infringeretur & inanis audacia hebesceret, noluit Deus, vt vnquam ista lustratio nisi inter seruitutis monimenta institueretur, vt spes suas Iudæi non tam è populi freqẽutia quàm è Religionis & Numinis reuerentia metirentur.

Quare peccatum fuit numerare populum.

Oleaster. in cap. 30. Exod. p. 133

Aliam adducit rationẽ Oleaster. *Si quæras quare propter numerationem contingeret plaga in Israël nisi soluerent, quod hîc solui præcipitur lege cap. 27. Paralipomenon. Vbi describitur percussio grauis populi propter istam numerationem: & videbis quod promiserat Dominus Abrahæ Genesis 45. multiplicaturum se semen eius sicut stellas cæli, & arenam, quæ ad littus maris est absque*

numero, noluit supputari quod sine numero promiserat se multiplicaturum. : ideo tam grauem ferebat supputationem Israëlitarum, vt in eos sæuiret quoties numerabantur.

Neque verò grande fuit aut immoderatum precium, quod à singulis Deus exigebat, dimidium nempe siclj Sanctuarij: Duplex quippe apud Hebræos, vt ibidem notat Oleaster, erat siclus. Vulgaris, qui secūdum Rabbi Solomonem habebat quatuor aureos: alter Sanctuarij, qui duplus erat ad communem & vsualem. Alij dicunt Sechel Sanctuarij habuisse quattuor drachmas, quarum quælibet continebat quinque obolos, quare fiebat vt siclus Templi haberet viginti obolos, Idem dicunt euenisse in Templi talento capiebat enim centum & viginti libras, prophanum verò, sexaginta.

Duplex Siclus apud Hebrços. De Siclo & forma Sicli vide doctiss. Morin. exercit. 2. pag. 202.

Quàm verò Religiosi essent Iudæi in hac pecunia pendenda, hinc maximè patet, quod sparsi per vniuersas terrarum partes & longissimo interuallo ab Hierosolimorum vrbe dissiti, curarent tamen singulis annis, istum capitalem censum, in Vrbem Sacram importari, per constitutos huic negotio Quæstores. Vnde manauit in Flaccū crimen illud, quod Cicero *Crimen auri Judaici* appellat· vetuerat enim Flaccus, in inuidiam gentis Iudaicæ, & ne fortasse aduersus populum Romanum pecuniarum copia armaretur, vetuerat inquam, aurum istud Hierosolimam deferri, quod ei rapinæ & latrocinij loco objectum est: *cum enim in-*

Cicero orat. pro Flacco.

quit Cicero, *aurum, Iudæorum nomine, quotannis ex Italia, & ex omnibus vestris Prouincijs Hierosolimam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto ne exportari ex Asia liceret. Quis est, Iudices, qui hoc non verè laudare possit, exportari aurum non oportere, quod, sæpe antea Senatus tum me Consule grauissimè iudicauit. Huic autem Barbaræ superstitioni resistere, seueritatis, multitudinem Iudæorum flagrantem nonnumquam in Concionibus, pro Rep. contemnere grauitatis summæ fuit.* De illo verò auro, quod impensis & sumptibus templi pendebatur, loqui Ciceronem, satis patet ex eo quod ait Pompeium, victâ captâque Hierosolimâ, ab illius auri, quod in templo seruabatur congerie, manus & cupiditates continuisse. *At Cneius Pompeius captis Hierosolimis victor ex illo fano nihil attigit, &c.*

Durauit autem hæc annua pensitatio apud Iudæos, donec Vespasianus vltor nefariæ cædis aduersus Christum perpetratæ, captis euersisque Hierosolimis, & templo in tristissimam ruinam dissoluto, tributum istud, quod viritim Iudæi pendebant, Ioui Capitolino eiusque sacris addixit, vt testatur Dio Xiphilinus in eius vitâ, & Iosephus de Bello Iudaïco lib. 7. cap. 27.

Dio Xiphil. Ioseph. lib. 7. Bell. Iud. cap. 27.

Quamquam verò corruptis legibus & succedente in locum pietatis auaritiâ, Sacerdotes eam pecuniam in sua commoda traherent, & de Gazophylacio forsan luxuriarentur: attamen eam rebus templi componendis ornandísue ab initio consecratam satis patet ex eo loco Exodi 30. vbi

pro opere tabernaculi conferendam istam pecuniam Deus ipsemet admonet *Susceptamque pecuniam, quæ collata est à filijs Israël trades in vsus tabernaculi testimonij, vt sit monimentum coram Domino, & propitietur animabus eorum.* Exod. 30.

Cæterùm, quoniam hîc de instauratione templi sermo est, non incongruum erit annotare magnâ fuisse apud Iudæos Ædis Sacræ obseruátiam, ac præsertim eius partis, quæ Sancta Sanctorum dicebatur, & quam implere Deus credebatur augustæ præsétiâ Maiestatis. Nam siquid in ea sarciédum, purgandumue esset, sic inducebantur fabri atque artifices, vt arcis quibusdam inclusi, nil quidquam videre possent, præter eas partes, quæ aut fractæ aut violatæ eorum operâ arteque indigerent. Sic enim scribitur Midoth. cap. 4. sectione quarta *foramina etiam erant aperta in Cœnaculo ad Sanctum Sanctorum, per quæ eatenus demittebant fabros in arcis, ne eorum oculi nutrirentur è Sancto Sanctorum.* Ceremonia in resiciendo templo. Talmud in Midoth. cap. 4.

At verò præter istam pecuniam, quam capitatim templo soluebant Iudæi, plurimâ adhuc votiuâ & sponte oblatâ augebatur ærarium, vnde vis multa pecuniæ & sacræ supellectilis ingens atque illustris apparatus, quod sæpe multarum gentium auaritiam irritauit, quæ cupiditas nec aris parcit nec sepulchris. His autem pecunijs & vasis ac vestibus præfuit vnus è numero sacerdotum custos, vt patet ex Nehemiæ 13. *Erat super Elaiser Sacerdos, qui fuerat præpositus in Gazophylacio domus* Nehemiæ 13.

Dei nostri: fecit ergo sibi Gazophylacium grande & ibi ante eum reponebant munera.

Immo verò cum spurcissima habendi cupido omnia contaminasset, seruiréntque Sacerdotes altaribus, magis vt populi munera prensarent, quàm vt diuinos fauores mererentur: augendi istius census nefarias rationes inuenerunt, ac palam publicéque edixerunt, nullum esse pietatis genus, quo citiùs Diuina indignatio mitesceret, iustáque cœlorum iracundia mulceretur, quàm liberali pecuniarum in arcas sanctiores immissione. Quidquid sumptus in alendos pauperes & subleuandam parentum miseriam fieret, multùm abesse, ab illius pietatis merito dicebant, quæ Dei domum illustrando, ipsum met sibi constitueret debitorem: Et ea caussa ait Hieronimus Christum Dominum in corruptos sui sæculi sacerdotes inuectum, qui parentum egestati atque inopiæ liberorum officia subriperent, & callidissimo Religionis artificio dicerent nil esse parẽtibus etiam extremâ calamitate pressis tam commodum ac salutare, quàm si in Corbonam munera mitterentur, quasi miserorum viscera fame angi desinerent, cum frequentibus donis Gazophylacia implebantur, *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. Nam Deus dixit Honora Patrem & Matrem, & qui maledixerit Patri aut Matri morte moriatur Vos autem dicitis, quicumque dixerit patri & matri, munus quodcumque est ex me tibi proderit, & non honorificabit patrẽ suum & matrẽ suam.*

Sacerdotum antiquæ legis auaræ sordes.

Hieronimus in cap. 15. Math. tom. 9. lib. 2.

Matth. 15

&c. Quidquid enim ſit de aliorum opinione, qui volunt hoc eſſe execrationis genus, quo liberi in parentes vtebantur (quæ certe ſententia quomodo ſtare poteſt, quis enim crediderit ſacerdotes tam prauos fuiſſe vt docerent ſpecie pietatis poſſe liberos parentibus imprecari quidquid) inquam alii lucis afferant huic ſatis implicato textui. Certe Hieronimus Chriſti obiurgationem refert ad artem captandi donaria, quâ vaferrimi eius ætatis ſacerdotes vtebantur. *Præceperat* (inquit) *Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum conſiderans, vt filij honorarent etiam in vitæ neceſſarijs miniſtrandis parentes ſuos: Hanc prouidentiſſimam Dei legem volentes Scribæ & Phariſæi ſubuertere; vt impietatem ſub nomine pietatis inducerent, docuerunt piiſſimos filios, vt ſiquis quæ Deo offerenda ſunt, Deo vouere voluerit, qui verus eſt pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus, vel certè ipſi parentes, quæ Deo conſecrata cernebant declinantes, egeſtate cõficiebantur. Atque ita fierbat vt oblatio liberorum ſub oblatione templi & Dei, in ſacerdotum lucra cederet. Hæc peſſima Phariſæorum traditio de alia veniebat occaſione; Multi habentes obligatos ære alieno & nolentes ſibi creditum reddere, delegabant ſacerdotibus, vt exacta pecunia, miniſterijs templi, & eorum vſibus deſeruiret. Poteſt autem & hunc breuiter habere ſenſum, Compellitis filios vt dicant parentibus ſuis, quodcumque donum oblaturus eram Deo in tuos vſus cõſumo, & tibi prodeſt pater ac mater; vt illi timẽtes accipere, quod Deo mancipatũ videant, inopẽ magis velint vitam ducere, quã comedere conſecrata.*

Hinc triplex dolus in Pharisæis ad rem suam augendam deprehenditur. Primò docebant filios parentibus infestos vouere sua templo, vt hoc modo legi, quæ iubet succurendum parentibus fucum facerent. Secundò si quis à debitoribus pecuniam exigere non posset, stipulabatur cum Pharisæis, & pecuniam sibi debitam ea conditione vouebat, vt ipse aliquam eius partem perciperet. Tertiò docebant liberos, cum parentes aliquid subsidij postulabant, respondere omnes suas facultates Deo erat consecratum. His itaque astutijs crescebat pecunia sacerdotũ, & quæ specimen pietatis esse debuerat in oculis Dei, fiebat triste monumentum sceleris: cernebat in pecuniarum congerie, non tam populi largitatem quem sacerdotis auaritiam.

Quamobrem cum Deus turpes sacerdotum questus longe ante prospiceret, nossetq; Gazophylacia tandem fore sordidæ nundinationis aucupia, ea longissime à Sanctuario summouit, & extra templi pomœria ablegauit. Neque enim putandum, est intra ambitum templi fuisse Gazophylacia: nisi templi nomine totum istud spatium, quod in planitie montis iacebat, velimus intelligi; sæpe enim totus mons, præsertim area ista, quæ à reliqua montis parte sepimento ligneo secernebatur, Tẽplum vocatur & Sanctuarium.

Totus mõs pro templo nonnunquam sumitur.

Sic itaque constructa erant illa pecuniarum & vasorum receptacula, vt atrijs contigua essent, eisque adhærescerent à parte exteriori templi in

solo

ſolo prophano & non ſacro. Hoc certe colligi poteſt ex eo quod Marci cap. 12. v. 14. dicitur, quod Ieſus ſedens èregione Gazophilacij aſpiciebat, quod multa turba iactabat æs in Gazophilacium, & multi diuites iactabant multa. At veniã ſedendi intra ambitũ Ædis Sacræ ſeu in atrijs nunquam Chriſtus à Phariſæis impetraſſet, neque tacuiſſent violatam loci ſanctitatem. Etenim lex erat apud Iudæos, ne quis in atrio Templi ſederet præter Reges è Dauidis familia oriundos. At quamuis Chriſtus ex eo genere eſſet: nunquam tamen Phariſæi in eo Regiæ familiæ decus agnouerunt. Deinde Thalmudici in Midoth, ſectione prima, capite primo, receptaculum oblationum referunt inter ea loca, in quibus pro templi tutela & præſidio Leuitæ excubarent. At nemini dubium eſt extra atrium Leuitas ſolitos excubias agere. Tertio poteſt & hoc argumentum adhiberi, quod nemini olim liceret pecunias ſecum in templum deferre, ſaltem quæ linteo eſſent inuolutæ. Cum ergo pecunias Deus exhorreſceret, & quæcumque metalla in hominum perniciem è terræ viſceribus eruuntur, probabile, eſt locum & arcam pecuniarum à Sanctuario fuiſſe remotam. Hanc verò legem prodit Rabbi Moyſes, Ben, Mayemõ, in Halac Habbechira. *Nemo in montem templi veniat cum bacculo, aut calceamentis pedum, neque cum mantica aut pecunijs linteo inuolutis.*

Vbinam Gazophylacia.

Prærogatiua Regum ſedere in atrio.

Non licebat pecunias ferre in templum.

Ex his conſtat inanẽ eſſe & cõmentitiam eam, quam plurimi in veteris Synogogæ ſacerdotibus

somniant paupertatem: neque ad eorum exempla reuocandos esse nostræ legis Antistites. Quomodo enim sine scelere imitari eos possent, qui sacra omnia spurcissima cupiditate diuitiarum contaminauerunt? & cum Cæsaris ac Pompeji imagines in templo ferre respuerent, attamen fœdiori prope, licet non ita aperto, scelere, inter media sacra, aras Auaritiæ erexerant & Ambitioni.

CAPVT X.

DE BONIS IMMOBILIBVS Leuitarum. Leuitæ appellatione, officio & sedibus distincti. Eorum ordines & classes. Vrbes eis quo situ & quo numero datæ. Plures habuerunt ciuitates quam aliæ tribus. Earum priuilegia & de Asylis notanda quædam.

QVi Clericos & omnem Christi familiam ad studia paupertatis inflammãt, seu sinceriore zelo flagrantes, seu inuidia odioque Ecclesiasticæ Maiestatis vexati, omnes Leuitarum exẽpla memoriamq; importunâ declamatione ad nauseam vsque recãtant: Et quia Leuitas nihil habuisse proprium arbitrantur, concludunt opertere sacerdotes nouæ legis, non patrimonijs modo, sed villis quoque, prædijs ac ruribus quibus libet spoliari.

Digitized by Google

Isto ariete olim Vuiclepsus validissimè Ecclesiam incussit : eodem sæpius Lutherani vsi sunt, & nouissime Spalatensis, pertæsus Maiestatis Ecclesiasticę, ad cuius apicem prouehi posse desperarat, ijsdem machinis Clericorum dotem, sacrosq; prouentus conatus est expugnare.

Quã in rem vsus est præsertim Hilarij & Hieronimi patrocinio, qui Leuiticæ paupertatis præconium vbique iactant, & sacerdotibus quasi exemplar vitæ modestioris ingerunt. *Renunciandum est* (inquit Hilarius) *sæculo omnibusq; rebus, vt nobis Deus portio sit. Cæterùm, si nos ambitio detineat, si cura pecuniæ occupet, si illecebræ libidinum capiant, si negotia rerum familiarum demorentur : portio nobis Dominus non erit, sæcularium curarum atque vitiorum possessione detentis. Moysi cum iussum esset portiones incolatus distribuere duodecim gẽtibus Israël, ita de Tribu Leuitica præceptum est, Filijs Leui non erit portio neque sors in medio fratrum suorum, quia Dominus Deus pars eorum est, & rursum scriptum meminimus. Ego Dominus pars eorum : nullam ergo Deo seruientibus lex data, terrenam esse voluit portionem: quia pars eorum Deus esset. Meminit & Euangelij prædicator ille Petrus, nullam esse sibi portionem possessionis humanæ cum oranti alimoniam, respondit, Aurum & argentum, &c.* Hilarius in psal. 118.

Idem vbique fere, cum de Clericorum modestia & continentia ab opum & diuitiarum inanibus studijs agitur, repetit Hieronimus, *quasi Leuita & sacerdos viuo de decimis & altari seruiens altaris oblatione sustentor, &c.* Hiero. Ep. 2. ad Nepo.

Digitized by Google

Cum itaque supra ostensum sit à nobis, Leuitas omni genere redituum abundasse, & immensas pene opes collegisse ex primitijs, decimis, votis, oblationibus superest modò, vt discutiamus, num illis fuerint agri, villæ, domus & vrbes.

Vrbes proprias habuerunt Leuitæ.

Et habuisse quidem sibi proprias, longéq; meliori conditione ac sorte possedisse, quàm ceteri è Iudæis manifestum est, ex pluribus locis sacræ scripturæ. Leuit 25. dicuntur Leuitæ habere ædes, quæ in vrbibus sunt, & cum cæteræ domus redimi non possunt, nisi exacto Iubilæo, Leuitarum domus quouis tempore redemptioni patebant, *ædes Leuitarum quæ in vrbibus sunt, semper possunt redimi : Si redemptæ non fuerint in iubilæo reuertentur ad dominos, quia domus vrbium Leuitarum sunt pro possessionibus inter filios Israel :* Cum ergo Leuitæ, domos & vrbes alienare possent cum emendi vendendique libertatem obtinerēt, signum est eos vrbes possedisse atque obtinuisse non tantùm ratione vsus-fructus, sed etiam titulo dominii.

Ciuitatum suarum proprietarij vt fuerunt Leuitæ.

Præterea Numerorum secundo iubet Deus vt Israëlitæ dent Leuitis *de possessionibus suis vrbes ad habitandum & suburbana eorum per circuitum.* At vero ne quis dicat eas vrbes aut exiguo admodum numero fuisse, aut incultas ac steriles, aut incommodas & pauperes: excutiamus illarum splendorem, numerum, ornatum, priuilegia. Numerus vrbium, quæ Leuitis in patrimonium cessesunt, describitur Iosue 21. qui locus vt commode

possit ab omnibus intelligi, notandum Leuitas inter se fuisse triplici nota distinctos, primo appellatione, secundo officiis, tertio sedibus & domiciliis.

Appellatione distinguebantur. Alij quippe dicebantur Aaronitæ, alij vero Caathitæ, alii Gersonitæ, alii Meraritæ: cuius quidem appellationis variæ & dissidentis, ratio inde petenda est. Leui, vt constat ex Numerorum tertio capite, tres habuit filios Gerson, Caath & Merari. E Caath orti sunt Amram, Iesau, Hebron & Oziel. Ex Amram vero nati sunt Moyses, Aaron. Itaque cum initium sacerdotii Mosaici cepisset ab Aaron: hinc factum, vt qui ex Caath per Aaron originem ducebant dicerentur Aaronitæ, qui vero ex Caath per reliquos filios, nempe Iesau, Hebron & Oziel erant propagati, illi simpliciter dicebantur Caathitæ. Iam ergo habemus duas Leuitarum classes ex vno Caath, nempe Aaronitarum & Caathitarum, quibus si addas Meraritas & Gersonitas, consurgent omnino quatuor Leuitarum ordines Aaronitæ, Caathitæ, Meraritæ & Gersonitæ. Ordines & Classes Leuitarum.

Iam vero quoad distinctionem officiorum: certum est præstantissimam sacri ministerii partem penes Aaronitas constitisse, & Eleazarum eam dignitatem, ad quam defuncto Aarone prouectus est, ad posteros transmisisse, apud quos sacri apicis splendor continuâ serie permansit: donec ad Heli ventum est, qui non ex Eleazaro, sed ex Ithamare genus ducebat, à cuius subinde familiâ

prædaces filiorum astutiæ hunc honorem abstulerunt. itaut rediret denuo pontificatus ad Eleazari genus, Salomone regnante. Sadoc enim, qui in amoti Abiatharis locum suffectus est, erat ex Eleazari progenie: cæteri ergo præter Aaronitas, inferioris gradus onera, in rebus sacris obibant, & sacerdotibus quodammodo obnoxij, eisdem in suppellectile tabernaculi ornanda, ferenda, explicanda famulabantur. Ita tamen vt Caathitæ, quia propinquitate generis cum sacerdotibus erant coniunctiores, nobiliora etiam officia partesque obtinerent.

Officia Leuitarum.

Singulorum verò sortem & munera explicat sacer contextus diserte Numerorum 3. & 4. vbi Gersonitæ siue familia Lebnitica & Semeitica, quę nomen sumpserant à duobus filiis Gerson Lebni & Semei, adsciscuntur in curam operimenti tabernaculi tentorij, quod trahitur ante fores tecti fœderis cortinarum atrij, &c. Caathitæ præficiuntur ad excubias Sanctuarij, eisdem plaga meridionalis in castrorum situ adsignatur: his commendantur arca, mensa candelabrum, altaria, &c. Meraritis traduntur curandæ tabernaculi tabulæ, vectes, columnæ, bases, columnæ per atrij circuitum, illisque septētrionalis plaga deputatur.

Numer. 3. & 4.

Tertium discrimen quod ad rem nostram plurimum facit, petitur ex variis eorumdem Leuitarum sedibus. Vt enim sacerdotium cæteris longe officiis eminet & ad regiam quodam modo dignitatem accedit: ita prospectum est ne sacerdotum

genus cum cæterarum familiarum fæce misceretur, sed comunes haberet domos vrbesque cum ea tribu, in qua principatus residebat,& quæ singulari Dei beneficio ceteris reges erat paritura. Vnde in sortitione terrarũ Aaronitę seu sacerdotes non sunt per reliquas tribus admissi. Sed vrbes habuerũt in tribu Iuda, Simeon & Beniamin. *Egressaque est sors in familia Caath filiorũ Aaron sacerdotis magni de tribu Iuda, Simeon & Beniamin ciuitates tredecim.* Aaronitæ in tribu Iuda collocãtur.

Qui vero his genere erant coniunctiores, proximas quoq; illis sedes eas occuparũt, habuerũtque ciuitates in tribu Ephraim Manasse & Dan: *reliquis filiorum Caath id est, Leuitis qui superfuerant de tribubus Ephraim & Dan dimidiæ tribus Manasse, ciuitates decem.* Hos sequuti sunt Gersonitæ, qui ciuitates acceperunt in tribu Isachar, Aser & Nephtali & dimidia tribu Manasse, quorum ciuitates fuere tredecim. Denique Meraritæ vrbes sortiti sũt in tribu Ruben, Gad & Zabulon, eorumque ciuitates fuerũt duodecim. Ex quibus cõstat omnes ciuitates Leuitarũ fuisse numero 48. Ingẽs certe hæreditas, & quæ cæterarum tribuum patrimonia multis spatiis anteiret; præsertim si cogitemus Leuitas longe minori fuisse numero, quàm reliquas tribus. Nam dum recenseretur populus Numerorum vigesimo sexto, cæteræ familiæ visæ sunt Leuitico genere multo numerosiores. Etenim cum in tribu Gad numerentur quadraginta millia & quingẽti: in tribu Iuda septuaginta sex millia & quingenti, adeoq; in cæteris tribubus fre-

Iosue 21. v. 4.

Iosue 21. v. 5.

quens turba & populus infinitus: in tribu Leuitica numerantur tantum viginti tria millia.

Et tamen vrbes multo plures iis assignantur quam vlli ex tribubus: nam ad summum aliæ tribus dicuntur habuisse sexdecim, nouemdecim, vel viginti oppida: nisi forte censeamus Iosue 15. & sequentibus, quo loci enumerantur ciuitates, quæ vnicuique tribui contigerunt, non omnes exprimi, sed insigniores tantum: vel certe dicendum est Leuitis, ideo tot vrbes & ciuitates fuisse traditas, quod illis nefas esset habitare ruri & in suarum vrbium municipiis, pagis, & villis, commorari.

Iosue 15. & sequētibus

Præter vrbes vero, quas in vnaquaque tribu clarissimas & opulentissimas habuerunt, etiam vrbibus proxima erant suburbana, quæ vendi aut impignerari nulla conditione poterant, & hac parte ab vrbibus erant distinctæ, quas alienari à Leuitis, iura non vetabant. Spatium vero & ambitum suburbanorũ describit textus sacer, Numerorũ trigesimo quinto. *Præcipe filiis Israël, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitãdum & suburbana eorum per circuitum, vt in ipsis oppidis maneant & suburbana sint pecoribus ac iumentis, quæ à muris ciuitatum forinsecus, mille passuum spatio, tendentur, contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque quod respicit ad Occidentem. Eadem mensura erit & Septentrionalis plaga æquali termino continetur.*

Cæterùm, inter vrbes, quæ Leuitis in patrimonium

nium cesserunt sex constituit Deus, quæ supplicij metu fugientibus homicidis perfugium essent & asylum: iuxta illud *de ipsis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis sex erunt in fugitiuorum auxilia separata, vt fugiat ad ea qui fuderit sanguinem.* Num. 35. v. 6.

Licet autem ius asyli his vrbibus præcipuum fuisse & singulare videatur: attamen omnes ciuitates Leuitarum asyla fuisse Hebræi constanter affirmant, ita tamen vt aliquid esset discriminis, inter has sex vrbes & alias, nec vno modo homicidam à pœna & manu insequentis tuerentur. Omnes vrbes Leuitarum aliqua fuere asyla.

Nam priores sex, quemuis hominem, qui errore animi & præcipiti iracundia homicidium perpetrarat, ita inuiolatum præstabant; vt in eum sæuire nefas esset: hinc dicuntur præstare euasionem à redemptore. Ita enim habet Hebraica lectio, quam intelligere facile poteris si animaduertas eum, qui iusta indignatione commotus homicidam insectabatur, vt eius morte interfecti manes placaret, appellari ab Hebræis, Redemptorem. Vt enim qui pignus pretiumue agri distracti ac diuenditi tradebat, quò agrum aut villam, cognationis priuilegio reciperet, Redemptor dicebatur: sic qui cognati & propinqui cædem, internecione homicidæ expiabat, is propinqui animam redimere videbatur, eiusque redemptor audiebat: Poterat itaque redemptor impune homicidam vlcisci vbicumque cósisteret, nisi intra vrbes refugij etiam si intra istas vrbes peractum esset homicidium.

At verò reliquæ quadraginta duæ Leuitarum

vrbes, erant quidem receptui occiſoribus, ſed cum hoc diſcrimine, quod vt illum tuerentur debebat eſſe iuris & legis peritus, & eò confugiſſe ſecuritatis cauſſa. Nam ſi forte iuris foret ignarus, neque eo commigraſſet captandæ ſecuritatis ergò, carebat prærogatiua aſyli. Item qui in aſyla peculiariter à Deo conſtituta confugiebat, mercedem pro cómoratione patri-familias, ad quem diuertiſſet, ſoluere non tenebatur: in reliquis verò erat certa merces pro tecto & hoſpitij benignitate pendenda.

Addam inſuper, quod de iſtis aſylis in patrimonio Leuitarum patentibus refert Gemara in caput

Ad aſyla quæ ciuitates requiſitæ.

ſecundum tituli Sanhedrim: *Ad aſyla non deligunt caſtella, neque vrbes magnas, ſed oppida mediocria. Conſtituuntur eadem, nonniſi locis aquoſis, aut quo aqua deducci poſſit, nec niſi vbi ſit copia rerum venalium nec niſi populoſis: ſi populus eorum habitatoreſue diminuātur noui illi ex ſacerdotibus Leuitis Iſraëlitis cæteriſque deducuntur.*

In aſylis nefas eſt reſtes facere.

Non veneunt ibi arma aut venationis inſtrumenta ex ſententia R. Neemiæ quod tamen ſapientes permittunt: in eo tamen conſentiunt neque retia iſtic expandi, neque reſtes fieri, vti ne pes vindicis eò acceſſum habeat.

Patet itaque ex hoc capite Leuitas ne quidem rerum immobilium poſſeſſione caruiſſe, imo vero eorum ſortem & conditionem fuiſſe opulentiſſimam; ac, vt vno verbo dicam, minus obnoxias eſſe inuidiæ, quæcumque illuſtrant Eccleſiam noſtram facultates, quam quibus exoleta iſta & ſuis extincta ſceleribus Synagoga olim intumeſcebat.

Nam vt demus immensas esse in Ecclesia facultates & auctas pietate Christianorum, fortunas non modo suppeditare sacerdotibus, quæ necessitati sufficiant, sed quæ deliciis & ambitioni obsequantur: demus præ aris & templis squallere cætera, & paupertate Christi multo splendore obductâ, infamiam Crucis & suppliciorum iampridem euanuisse. Attamen quis propterea iure inuidere possit? Patent omnibus opes & fortunæ Ecclesiarum: nullus ab aditu sacræ domus arcetur: nō est certis hominibus adscriptum Christi patrimonium, neque Seruatoris empta sanguine bonorum vbertas, intra vnius familiæ aut Tribus cōmoda continetur. Quis ergo fortunis & opibus inuideat, quæ omnium esse possunt? Veniunt vndequaque ad aras, siue ex palatiis Regum, siue ex mapalibus subulcorum: nullus isto honore indignus est, nisi qui seipsum indignum vitiis & desidia fecerit. Quicumque purum adfert & innocētem animum, in eo virtus nobilitatem supplet, cuius vero illustrique stemmate, longe altius Ecclesia, quam inanibus Maiorum titulis gloriatur.

Sacerdotum legis nouæ opes, cum Leuitarum facultatibus comparantur.

At Leuitis tantum patebant opes sacri olim patrimonii, qui ex ea tribu nō esset, illi nec per virtutem ac rerum præclarè gestarum gloriam licebat ad sacri honoris fastigium anhelare. Secundò Leuitis erat certum tempus ministerio constitutum, quo exacto, in vrbes & ciuitates secedebant, forte otio atque altissima pace vitam

acturi. At ordo noster inducias nescit. Non amant altaria Christianorum desultorios & temporaneos sacerdotes. Quisquis se titulo vel Ecclesiæ consecrauit, eius saluti perpetuo viuat & vigilet necesse est; adeoque, vt idem sol mundum continuo circuitu lustrat, nec captandæ quieti alterum in vicem sufficit: ita oportet sacerdotem perpetuis & in se quodã orbe redeuntibus curis, in Ecclesia sua tuenda & amplificanda exerceri. Vt quid ergo leuis annonæ stipendia inuidemus, & diarium panem ab eorum manibus excutimus? quorum verbo panis ille diuinior in fœlicem mentium saginam crescit, & qui cibo tantum viliore donati, carnem Christi pretiosam diuidunt, qua accepta nefas est quidquam aliud aut amore prosequi aut inuidere.

Si enim Leuitis ad aliquod tantummodo tempus, in re sacra versantibus, communi ope Tribuum omnium victus pendebatur: quanto æquius est Sacerdotes nostros, quorum vita continua oratio & iuge sacrificium est, ex demenso publico victitare, & stipendiis eorum terrenis pasci, quibus immortalis vitæ delicias propinant?

Leuitarũ & Sacerdotũ discrimẽ in bonorum possessione.

Præterea Leuitarum hoc erat priuilegium vt rerum suarum hæredes filios relinquerent, adeoque in eadem semper familiâ sacrarum facultatum possessio, solatiúmque tam facilis ac læti prouentus consistebat. At Sacerdotibus nostris nefas est alios hæredes scribere quam pauperes: neque illorum tantum inopiæ morientes testa-

mento ſuccurrunt: verum & maximam ſui cenſus partem, deliciis & voluptati ſubſtractam egenorum leuandæ impendunt calamitati. Vnde enim tot Xenodochia, Gerontocomia, Noſodochia, aliæque domus iis patentes, quibus reliquæ clauduntur, quas implent miſeri, errones, morbidi, non gemitu magis quàm corpore, & vbi certiùs quàm in Æſculapij fano reuiuiſcunt. Vnde, inquam tot afflictorum perfugia niſi ex ſtudio & impenſis Epiſcoporum creuerunt? qui ea quæ Deo conſecrata erant, nunquam ſanctiùs arbitrati ſunt poſſe collocari, quàm ſi in remedia pauperum & egentium ſolatia cederent, ſub quorum miſeria & detrito centone, iterũ palliata Chriſti majeſtas & oculis hominum ſubducta deliteſcit. At nihil tale de Leuitis legimus: quin potius præter collatas decimas, nouâ in pauperum alimoniam penſitatione Iudæi premebantur, quibus etiam anni ſeptimi fructum reſeruabant.

Tandem impigneratio, venditio, diſtractio non erat Leuitis intercluſa. At res ſuas ab Eccleſia alienare Sacerdoti prohibetur, & cùm ei augendi cenſus Eccleſiaſtici facultas, imo (vt videbimus poſtea) neceſſitas impoſita ſit, libertas tamen erepta eſt minuendi. Non eſt itaque aduerſus Eccleſiæ facultates argumento veteris Synagogæ, vtendum, quæ inter delicias vixit, & molliore nutricatu pene ad luxuriam educata.

CAPVT XI.

AN ANTE CONSTANTINI tempora, Ecclesia opes aliquas habuerit.

QVicumque censurâ & rigido vngue dignum aliquid in Christi Sacerdotibus vestigant, & quçrunt materiam stomacho atque indignationi, nil habent antiquius, quàm vt nos ad maiorum exempla reuocent Petros, Paulos, aliosque martyres, qui sanguine Ecclesiam dedicarunt, constantissimè obiectant, quasi ab eorum ingenio, doctrinâ & moribus iampridem ipsa defecerit, nílque de tantâ sanctitate ac religione, per quam fundata est, aliud præter sterile præconium & inanem memoriam hac ætate retineat.

Fateamur nil esse tã salutare, quã Auos Ecclesiæ & Fundatores religiosè intueri: ad horum constantiam ac probitatem, vitæ cursum effingere. hoc præsertim tempore, quò extinctâ innocentiâ, & hominum commercio interclusâ, necesse est ad mortuorum imaginem sese componere, cùm inter viuos, rarus sit quem tutò possis imitari.

At istud quam religiosum, certè tam stolidum est velle Ecclesiam in eum statum ac conditionem reuocare, quo primis temporibus fuit, cùm publicâ omniũ inuidiâ laboraret, neq; Christiani aliter quã vulneribus & infamiâ noscerẽtur.

Qui ferunt patienter, vices annorum & seriem tempestatum; qui non indignātur Vere læto mutari hyemes procellosas, & terram exutis niuibus ac depositâ senili canitie, florum amœnissimo cultu splendescere. Qui arbores cernunt humilibus initiis, tandem in æquata nubibus fastigia distendi: qui viles familias è sordibus erumpere, & Sellis subinde Curulibus ornari ac superbire, sine strepitu felléque patiuntur: illi Ecclesiæ otium suum & quietem inuident: eorum iudicio non placent Sacerdotes nisi miseri, squallentẽs, cito morituri; falsò titulum Petri fert nauis, quam procellæ violentiores non allidunt: solus horror naufragij eam à piraticâ classe secernit, denique Christo fœderari Ecclesia non potest, nisi quamdiu hominibus fuerit inimica. Ita sponsæ vocem intercludunt, falliq́ue asserunt, cùm iucundiorem secessum sibi pollicetur & suauissimo affatu amicum compellat, *iam hiems transiit, imber abiit & recessit.*

At abutuntur inquiunt Sacerdotes & Ministri Ecclesiarum reditibus tam multis & censu tam opimo. Res ita se habeat, volo; quot sunt qui adolescentiam, florem optimum ætatis, in vitia & libidines exhauriunt? quot sunt qui oculis in alimenta vitiorum & incendia voluptatum vtuntur? quot sunt, qui melius animo haberent, si miseri languescerent & æternitatis memoriam tristi calamitatum disciplinâ docerentur? vt quid ergo iuuenes natura nos fecit? vt quid non oculis quoti-

Digitized by Google

die caliginem suffundit? vt quid non pestifera lue angit miserum corpus, cuius morbis & ruinâ animæ valetudo certissimè sarciretur.

Apage ergo tam supina argumenta. Qui Ecclesiam diuitem nolunt, hi certè nec mendicam & calamitosam ferrent, & dum Sacerdotum pingues reditus atroci stylo perfodiunt, aliunde Monachorũ piis sordibus obstrepunt & austeræ indignantur mendicitati. Eo animo fuit Vuiclepfus, de quo ita scribit Harspfeldius historiæ Vuiclepfianæ cap. 2. *Qui Monachos, qui possessionibus abundant, totúmque Clerum ob eandem caussam asperè inuasit, is nec fratrum inopiam atque mendicitatem ferre potest, nec mendicato eos viuere patitur, tam sibi bene constat*, & paulopost, *fratrum mendicantium nuditati atque mendicitati inuidet, quos omnes indiscriminatim ad manuum opera atque laborem, nisi velint æternâ salute excidere, reuocat, omnes inquit de ordine mendicantium sunt hæretici & dantes eis elemosinam sunt excommunicati.*

Harspfeld. hist. vuiclep c. 2. p. 171.

Ita insaniebat mendacissimus nouæ hæreseos antistes, qui Clerum & Monachos nec suo censu nec precario viuere patiebatur, ac præter famem atque inopiam nihil eis licere existimabat.

Quia verò sunt nonnulli mali Catholici, qui in eodem prope errore versantur, quíque nihil impatientiùs ferunt, quam opes & quietem Ecclesiæ & perpetuo gannitu nobis maiorum facta atque historiam obtrudunt, inquiramus an Ecclesia primis temporibus sine dote fuerit, atque ita opibus destituta, vt nec prædiis, nec reditibus vllis foret instructa.

CAPVT

CAPVT XII.

PROBATVR ECCLESIAM BONIS immobilibus instructam fuisse ante Constātinum. Proferuntur in hanc rem Pontificum Epistolæ, Constantini Edicta, Cypriani Testimonia, &c.

AC primum, si Pontificum summorum Epistolas consulamus, quamquam illæ, supra Syricium, suspicione non carent: attamen nobis eam, quam huc vsque habuerunt auctoritatem commodabunt, ad probandum, Ecclesiam primis temporibus, sine opibus & prædiis non fuisse.

Pius Papa epistola 2. *Prædia*, inquit, *diuinis vsibus tradita, quidam humanis vsibus applicant, & Deo cui tradita sunt, ea subtrahunt, vt suis vsibus inseruiant. Quod si quisquam præsumpserit, sacrilegus habeatur, & sacrilegus iudicetur: ipsos autem qui hoc agunt Cleros & Domini Sacerdotes persequi, eósque infamare audiuimus, vt malum super malum addant & deteriores fiant, non intelligentes quod Ecclesia Domini in Sacerdotibus consistit & crescit in templum Dei, & sicut qui Ecclesiam Dei vastat, & eius prædia & donaria expoliat & inuadit, fit sacrilegus: sic & ille qui eius Sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit & sacrilegus iudicatur.* Ex quibus verbis apparet Pij I. temporibus fuisse quosdam, qui Ecclesiæ prædia inuaderent, & eius census ac reditus etiā renitēte Clero & repugnāte occuparēt.

Pius 1. Epist. 2. ad Italos, anno 141.

Vrbanus Epist. ad omnes Episc. cap. 2. & cit. 17. q. 4. Can. attendendum

Citat eandem Pij sententiam collectio Cresconiana. Huic consentit Vrbanus I. ad vniuersos Episcopos: *Attendendum est omnibus & firmiter custodiendum, ne prædia vsibus sacrorum cælestium dedicata, à quibusdam irruentibus vexentur, quod si quis fecerit post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, perpetuâ damnetur infamiâ, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis vratur. Quoniam (iuxta Apostolum) tradere oportet huiuscemodi hominem Satanæ. Memoratis ergo augmentationibus & cultibus in tantum Ecclesiæ, quibus Episcopi præsident Domino adminiculante creuerunt, & tantis maxima pars eorum abundat rebus, vt nullus sit in eis communem eligens vitam, indigens, sed omnia necessaria ab Episcopo suisque Ministris percipit.*

Ex quo textu liquet anathemate perculsos, qui Ecclesiam suis opibus & facultatibus spoliabant. Quod si hæc constitutio facta esset pace reditâ Ecclesiis, & Principum purpurâ cruci famulante. Certè eorumdem auctoritas inuasores & raptores ab Ecclesia peculio continuisset, nec sacrilegium illud tam frequens aduersus sacra patrimonia foret perpetratum. Vnde colligo istam Vrbani constitutionm editam, inter Ecclesiæ persecutiones, & ante Constantinum, sub cuius patrocinio Ecclesia de hostibus suis gloriosissimè triumphabat, nec tam de ea spolianda quàm de instauranda agebatur.

Canon Apost. 39.

Succedit Canon Apostolorum trigesimus nonus: *Præcipimus, vt in postetate sua, Episcopus res Ec-*

clesiæ habeat: si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere; itaut potestate eius, indigentibus omnia dispensentur, per Presbyteros & Diaconos, & cum timore omnique sollicitudine ministrentur. Ex his autem quibus indiget ad suas necessitates & ad peregrinorum fratrum vsus, & ipse percipiat, vt nihil possit eis omnino deesse: Lex enim Dei præcipit, vt qui altari deseruiunt de altari pascantur, quia nec miles propriis stipendiis contra hostes arma sustulit. Qui Canon manifestè docet sacræ pecuniæ fundum, quondam apud Episcopos fuisse depositum, quorum arbitrio diuidebatur; ita tamen vt Presbyteri & Diaconi Episcopo, in dispensandis sacris reditibus ministrarét, & pauperes viduas cæterásq; personas, quas Ecclesię sua calamitas cómendabat, piâ sollicitudine & beneficentiâ solarentur. Cum verò ex hoc Canone, nó sine pecuniâ fuisse Ecclesiam constet, ex alio superiore hoc est trigesimo octauo apparet, sine prædiis & possessionibus non fuisse: nam præcipit, vt cùm primum Episcopus sedem capessit & Ecclesiæ præficitur, res eius & bona in commentarium referantur, fiátque descriptio & bonorum Ecclesiæ & bonorum Episcopi, ne confuso vtriusque patrimonio aut Ecclesia per hæredes spolietur, aut miseri affines, ac liberi gentilitiis opibus & auito fundo depellantur: *Sint autem manifestæ res propriæ Episcopi, si tamen habet proprias & manifestæ Dominicæ, vt potestatem habeat de propriis moriens Episcopus sicut voluerit, & quibus voluerit relinquere: ne sub occasione Ecclesiasti-* Canon Apost. 38.

carum rerum, quæ Episcopi esse probantur intercidant; fortasis enim, aut vxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut seruos: & iustum est hoc apud homines, vt nec Ecclesia patiatur detrimentum propter ignorantiam rerum Pontificis, nec eius propinqui sub obtentu Ecclesiæ proscribantur, & in lites incidant, qui ad eum pertinent, mórsque eius injuriis, & malæ famæ subjaceat.

Licet verò ab Apostolis istos Canones minimè conditos verosimillimum sit, & eorum antiquitati officiant plurima, vt quod de Paschate celebrando agitur ante æquinoctium vernum, quod de Episcopatu per fauorem sæcularium non ambiendo, quod de iis, qui seipsos exscindunt, constituitur: quæ omnia sunt Apostolis recentiora: attamen nō multopost, Apostolorum ætatem compositos fuisse, magni Authores firmissimis argumentis propugnarunt. Vide Baronium ad annum sti 102. numero 10. & sequentibus.

Baron. ad an. 102 nu. 10. & seq.

Sed ne dubiis quidem ac incertis argumentis videamur inniti: certè Ecclesiam bona & possessiones habuisse ante Constantinum, non alio certiori quam Constantini ipsiusmet testimonio probare opus est. Postquam enim sese ad fidem Christianam recepisset & atrocissimæ tempestati, quæ Ecclesiam tandiu vexauerat, fecisset inducias, Edicto constituit, vt abrepta Christianis bona etiam insoluto pretio restituerentur, & iustissime quidem: sciebat enim neminem posse in re sacra tutò nundinari. *Istud autem præter cætera nominatim Christianis decernimus, vt loca eorum, in quæ ipsis in more*

Imperatorium edictū Constātini,

positum erat antea conuenire, (de quibus quidem rebus, litteris superioribus ad tuam sanctimoniam datis, alia formulâ à nobis erat definita & præscripta) si qui vel à Quæstore nostro, vel ab alio quopiam ea emisse videantur, Christianis absque argento, absque vlla repetitione pretij, quod in illis emendis collocauerat, sine omni dubitatione restituant: aut si qui ea ipsa loca pro munere fuissent adepti, vt ipsis Christianis quàm celerrimè reddant: aut si qui ea, aut coëmerint, aut dono receperint, aliquid à nostra bonitate postulent, Præfectúmque, qui regioni, in qua habitant, præest, adeant: quo ipsorum etiam à nostra munificentia prouisio & cura suscipiatur. Quæ Constitutio multa illustrat. Primò ante Constantini tempora Imperatores Christianis infensos, non tantùm iniquissimis legibus supplicia & cruces denunciasse iis, qui Christum sequebantur, verùm etiam vniuersa eorum bona & facultates, & præsertim ædes sacras, vbi conuentus agebantur, fisco addixisse. Quare eueniebat plerumque vt Principis fisco Præpositus, siue Quæstor, inuentas Christianorum Ecclesias iuberet euerti, locúmq; siue aream nomine Principis priuatis quibusdam personis venderet. Quapropter sic vendita etiam à Quæstore Christianorum bona iubet restitui Constantinus. Prætereà, cùm vigeret persecutio, Aulici quidam siue Prouinciales Imperatoribus gratiosi, impetrabant ab iis nomine donarij ac muneris, quæcumque Christiani possiderent, agros & Ecclesias: atque ita freti diplomate, nutuque Principis, qui crudelitate in beneficentiam

& Licium apud Euseb. lib. 10. cap. 5. hist. Eccl.

vtebatur, grassantes per prouincias, quæcumque Christianorum esse dicebantur, temerè arripiebant. Ex horum itaque manibus extrahi quod erat ablatum, & Ecclesiæ restitui iubet Constantinus: ita tamen, vt moneant regionis Præfectum sibi ereptos fructus imperatoriæ beneficentiæ, vt, si opus sit, Imperator pro bonis Christianorum, alia ipsis munera impertiatur. At vix credibile est aulicos assentatores Principum, & omnes eos, qui caducis hæreditatibus inhiant, postulasse ab Imperatoribus Christianorum spolia & in gratiam rei benè gestæ ipsorum bona flagitasse, nisi eæ fuissent opes Christianis, quæ ambitionem allicere possent, & aulicorum auaras cupiditates incitare.

Sed ne quisquam asserat præter Ecclesias nil habuisse Christianos, & in sacro tantùm solo ac templo eorum opes omnes fuisse collocatas. Subnecto reliqua, quæ Constantinus Edicto suo complectitur. *At quoniam*, inquit, *Christiani non solùm ea loca, in quæ conuenire solent, sed alia etiam habuisse cognoscuntur, quæ non priuatim ad singulos, sed ad totam ipsorum communitatem spectabant, singulis qui ea possident, mandes, velim, vt omnia per legem quam suprà posuimus, absque vlla controuersiâ, Christianis, id est, Societati ipsorum & Conuentui reddant.* Idipsum repetit Constantinus in Edicto quod ad Auelinum dirigitur. *Est*, inquit, *hæc nostræ clementiæ ratio & modus, Aueline honoratissime, vt illa quæ ad alienum ius pertinet, non solùm non perturbari,*

Edictum Imperatorium in fauorē Christianorum, loco citato.

Edictum Auelino missum apud Euse-

sed etiam restituere quàm maximè cupiamus. Quare volumus vt simul ac hasce litteras acceperis, si quæ ex his possessionibus, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam, in quibusque ciuitatibus aut aliis locis pertinent, etiam adhuc a ciuibus aut ab aliis quibusdam retinentur, eas quamprimùm iisdem Ecclesiis facias restitui. Quandoquidem animo instituimus, vt ea quæ Ecclesiæ anteà possederant, ad ipsarum ius denuò reuertantur. Ita Eusebius Ecclesiasticæ historiæ libro decimo, cap. 5. Ex quibus apparet iam ante Constantini tempora Ecclesiam fuisse prædiis & ruribus instructam, nec tantùm communes domos aut templa habuisse, in quibus conuentus & synaxes fierent, sed etiam fundos & villas, quarum fructus Episcopi, Presbyteri cæterique è clero caperent, & in viduarum ac pupillarum solatia expenderent. Quod si præter hæc argumenta è gestis Imperatorum petita, alia quoque requiruntur, quibus Ecclesiam & Episcopos illo tempore bonis non caruisse ostendatur: Adeamus Cyprianum, & multa eius antiquitatis vestigia relegamus. Cypriani bona, vt quid tempore persecutionis proscribuntur, si nulla omnino habuit? At id factum narrat ipsemet Cyprianus Epistola sexagesima sexta ad Puppianum de obtrectatoribus. *Persecutio*, inquit, *veniens, te ad summam martyrij sublimitatem prouexit, me autem proscriptionis onere depressit, cùm publicè legeretur: Si quis tenet vel possidet de bonis Cæcilij Cypriani Christianorum Episcopi, proscribatur, vt etiam, qui non credebant Deo Episcopum constituenti, vel saltem*

bium, hist. Eccles. lib. 10. cap. 5.

Cyprianus Ep. 66. ad Puppianum de obtrectatoribus.

Diabolo crederent, Episcopum proscribenti. At ea bona non fuisse Ecclesiæ, sed Cypriani patrimonium, fortasse aliquis dicet: proindéque non rectè inferri Ecclesiam iis temporibus, censibus & facultatibus fuisse dotatam. Verùm huic opinioni obsistit quod scribit Pontius in eius vita: nimirùm Cyprianum, etiam antequam ad Baptismum peruenisset, omnes suas facultates & fortunas exuisse, & alendis pauperibus consecrasse. *Nondum*, inquit, *secunda natiuitas nouum hominem splendore toto diuinæ lucis induerat, & iam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat, &c. cũ tota prædia propria dispensans, duo bona simul iunxit, vt & ambitionem sæculi sperneret, qua pernitiosius nihil est, & misericordiam quam Deus etiam sacrificiis suis prętulit, quam nec ille qui legis omnia mandata seruasse se dixerat, fecit, impleret.*

Pontius in vita Cypriani.

Vnde verò constabant sportulæ menstruæ, quas viritim Clericis & Presbyteris diuidebat Cyprianus? vnde quotidianus victus & certa pensio, nisi ex ruribus, prędiis, villisque aliquibus, quas Ecclesia possideret. Neque enim ex oblationibus aut collatitia tantùm pecunia poterant ea omnia, quæ ad vitam necessaria erant, comparari. At sportulas solitas dari Clericis per menses singulos, & sportulantium, seu eorum qui sportulis donabantur, certum ac constitutum fuisse numerum docet Cyprianus epistola 27. ad Presbyteros, Diaconos, & plebem Furnis consistentes. *Quæ nunc ratio,* inquit, *in Clero tenetur, vt qui in Eccl. sia Domini ordinatione Clericali promouentur, in nullo ab administratione*

De fratribus sportulantibus Cyprianus, ep. 27.

ministratione diuinâ auocentur: sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab Altari & sacrificiis non recedant.

Illas verò sportulas & stipendia, quibus Clerici Deo militantes fruebantur, Episcopi suo nutu atque arbitrio diuidebant: Vberiores ac pinguiores vni indulgebant, quàm alteri: prout nempe officij, gradus, ordinis, & rei bene gestæ ratio postularet. Cuius œconomiæ insigne exemplum extat apud eundem Cyprianum Epistola 62. in qua Aurelium & Celerinum propter insignem constantiam, qua Tyrannorum feritati non semel illuserant, ait se Presbyteros designasse, iisque interim pares cum Presbyteris sportulas decreuisse: propterea, quod in ipsis, virtus ordinem supplebat, meritóque Sacerdotes censebantur, qui seipsos immolandos generoso consilio deuouerant. *Ceterùm Presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur & diuisiones mensuræ, æquatis quantitatibus partiantur,* &c.

Sportulas diuidunt Episcopi.

Cyprianus Epist. 62.

Earundem sportularum ac stipendiorum meminit Epistolâ quinquagesimâ quintâ, vbi quod sibi obtigerat stipendiorum, in alendos pauperes, iubet expendi. *Peregrinis*, inquit, *si qui sunt indigentes, sumptus suggeras de quantitate mea propria.*

Cyprianus Epist. 55.

Ea vero stipendia, quæ statis diebus, per menses singulos, Clericis dabantur, vnde colligi poterant, nisi ex agris, prædiis & possessionibus Ecclesiarum? Quomodo enim fortuitæ obuentiones & oblationes fidelium inter sacra mysteria col-

Ecclesiam in Africa agros habuisse & reditus, probatur.

lectæ, tantis sumptibus sufficere potuissent? præsertim eo tempore, quo sine periculo Christiani conuenire non poterant, cogebanturque diu aliquando à cœtibus habendis abstinere.

Adde quod eâ ætate non modo Ecclesiæ censu viuebant Clerici, verùm & impensis eiusdem alebantur pauperes: in tutelam Christi ac clientelam Sacerdotij cooptabantur viduæ ac pupilli: denique quos infidelium nefanda crudelitas carceribus & hypogæis conclusisset, eos Diaconi & Ministri, furtiuo pietatis officio adibant, & necessariis vitæ subsidiis solabantur. Itaque vt hæc omnia stato ordine & tempore fierent, necesse fuit in Ecclesia certos esse reditus, nec omnia ex casu & fortuitâ obuentione pendere.

Subjungamus aliud argumentum, quo probetur clarissimè Ecclesiam illis temporibus agris & possessionibus non omnino caruisse. Istud verò Acta Cypriani martyris subministrant. Cum enim Beatus Athleta multos dies in exilio transegisset, tandem reuersus dicitur habitasse in hortis suis. At horti in quos se recepit Cyprianus, non erant proprij, gentilitij seu patrimoniales. Nam vt ait Pontius in eius vita, Christianam disciplinam sic aggressus est, vt initium duceret ab opum & diuitiarum contemptu, suaque omnia in sustentandos pauperes erogaret. Cum ergo patrimonium Cyprianus, in gratiam pauperum, longè antea distraxisset, concludendum hortos, in quibus latuit Cyprianus, non ipsius fuisse, sed Ecclesiæ.

Acta Cypriani martyris per Pontium eius Diaconum conscripta.

Tandem generoſus Martyr in procinctu mortis ſuæ, aliquid induciarũ poſtulauit à tortoribus, eo tantum conſilio, vt rebus Eccleſiæ proſpiceret & de eius bonis ac facultatibus ſtatueret: erat ergo eius Eccleſia bonis aliquibus inſtructa. Id autem refert Pontius eius Diaconus hoc pacto. *Dilationem petit in craſtinum cum de paſſionis ſententia cogitaretur, poſtulans vt res ſuas, die illo quo impetrauerat, ordinaret, &c. Dilationis autem petendæ ratio de ordinatione rerum & de voluntatis diſpoſitione veniebat. Quæ vero res illi aut quæ voluntas ordinanda, niſi Eccleſiaſtici ſtatus. Summa idcirco accepta dilatio eſt, vt quidquid circa pauperum fouendorum ſuprema iudicia diſponendum fuerat, ordinaretur, & puto propter nil aliud, imo vero propter hoc tantum, etiam indulgentia ab his qui ejecerant, & qui occiſuri erant admiſſa eſt, vt præſens & præſentes pauperes nouiſſimæ diſpenſationis extremis, & vt plenius dixerim, totis ſumptibus releuaret.*

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Quibus in partibus potissimùm Ecclesia primis temporibus possessiones habuerit: In Gallia, Tungris & Treueris opes Ecclesiæ quales: Treueris Galliæ Ciuitas: Primæ Decimæ vbi solutæ: Miseria Ecclesiæ Romanæ: Locus Theodori Lectoris explicatur: Catabulum quid sit, &c.

NIl certius ac constantius dici potest, quàm Ecclesiam, dum irrigua sanguine Martyrum cresceret, & splendorem suum ab infamia ordiretur, non eodem modo sese in omnibus locis ac regionibus habuisse: Vbi enim Imperatores Romani sedem fixerant, vigebátque maximè sæua eorum auctoritas, ibi periculosiùs degebat Christiana Religio: illic bonis omnibus & fortunis interclusa, præter tenuem censum & angustos reditus nil habebat, quos, vbi Quęstores Imperiales, seu potiùs prædones publici inuenissent, confestim populabantur.

At vbi pax erat, & fauebant Alcyonia, illic luculentiores erant Ecclesiarum fortunæ: quod in Galliis maximè euenisse comperi. Nam in Treuerensi, Tungrensi, & Coloniensi territorio (quas sedes Deus ad pacem Ecclesiæ secreuerat) altero post Christum sæculo res Christianæ in tantum

florebant, & alta pace fruebantur, vt gradus & ordines Clericorum omnes distincti essent, & seorsim suis muneribus fungerentur. Illic Parœciæ certis erant limitibus definitæ, ciuitates integræ Christum colebant: Adeóque publicè Decimæ & Primitiæ in iis partibus primùm cepêre persolui. Ita enim habet Harigerus Abbas in vita sancti Materni Treuerensis, Tungrensis & Coloniensis Episcopi, (his enim tribus ciuitatibus vnicus primùm præfuit Episcopus.) *Hic*, inquit, id est, *à parte Materni contra infideles paganæ superstitionis, Mystas pugnantis, prodigiorum, signorumque cælestium splendor: donec pondere veritatis attrita est ciuitas falsitatis, vt non solùm reciperet signa militiæ Christianæ, sed confregerit quoque signa fallacis idololatriæ. Instruebantur Tungrenses iugum Domini ferre, qui consueuerant inferre. Facta est ciuitas Decimis & oblationibus Christo tributaria, quæ tributa prouinciarum exegerat temeraria:* Et paulò pòst, *Dānatur cultura Iouis, Iunonisque ac Veneris, emundantur delubra dæmonum, dedicantur* Ecclesiæ *Sanctorū, vsque ad numerum septuaginta duarum Congregationum.* Hæc de Materno, cuius obitus incidit in annum centesimum trigesimum.

Harigerus Abbas in vita S. Materni cap. 13.

Primæ Decimæ.

Maternus obiit anno Chr. 130.

Ex quibus patet eo tempore apud Gallias Ecclesiam multis ceptam opibus ornari & latifundiis ditescere. Nam cum tantus Ecclesiarum numerus Christianâ pietate consurgeret, ac de nouo fundaretur, oportuit necessariò concedi Ecclesiæ fortunas non mediocres, quibus Ecclesiarum Clerici alerentur, & sacra Christi familia victita-

ret. Quippe templa & ædes sacras sine dote fundari Ecclesiæ disciplina perpetuo interdixit.

Meritò itaque Gallia antiquitatem Religionis Christianæ sibi vendicat, & Primogenitæ prærogatiua gloriatur. Nam ante alias regiones Christum complexa, Ecclesiam insigni opum ac diuitiarum prouentu ornauit, cum ipsa in aliis terrarum partibus vix spirare sineretur.

Gallicanæ Ecclesiæ antiquitates.

Hinc primores illi Christianæ Religionis vindices scriptis suis Galliarum Ecclesias commendant, & earũ authoritate doctrinam Catholicam, hæreticorum contumacia arietatam defendunt.

Irenæus l. 1. cap. 30.

Irenæus Ecclesiarum quæ apud Gallos sunt meminit lib. 1. cap. 3. aduersus hæreses. *Nam* (inquit) *& si in mundo loquelæ dissimiles sunt: sed tamen virtus traditionis una & eadem est: Et neque hæ quæ in Germania fundatæ sunt* Ecclesiæ, *aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Iberia, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente.* Cæterum Tungros & Treueros inter ciuitates Galliæ, Belgicæ, numerant Plinius lib. 31. cap. 2. Cæsar lib. 2. de Bello Gallico, Ausonius in Epigrammate de Treuirorum vrbe. Ipse etiam Tertullianus, vt Messiæ imperio gentes paruisse ostendat Galliarum meminit, quæ in Christi fidem iampridem repudiata superstitione commearant. Etiam, inquit, *Getulorum varietates Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini & Galliarum diuersæ nationes & Britannorum inaccessi Romanis loca Christo subdita.*

Plin. lib. 31. cap. 2. Cæs. lib. 2. belli Gallici. Ausonius in Epigr.

Tertullian. aduersus Iudæos, c. 3.

Neque ab hoc studio Christianæ Religionis

prima Gallia seu Diœceses istæ cis Rhenum, desciuerant Hieronymi temporibus, nam & illic dies complusculos ipse moratus est, vt constat ex Epistola ad Florentium, in qua refert, se Treueris degentem librum de Synodis ab Hilario confectum descripsisse: Et rursus Epistola ad Suniam & Fretelam, *De Psalmorum interpretatione*, laudat Germanorum studium & contentionem in addiscenda Hebraica lingua. *Verè*, inquit, *in vobis Apostolicus sermo completus est, In omnem terram exiuit sonus eorum. Quis hoc crederet, vt barbara Getarum lingua Hebraicam quęreret veritatem, & dormitantibus Gręcis, ipsa Germania Spiritus sancti eloquia scrutaretur?* Aduerte autem per Germaniam, tam apud Hieronymum quàm Irenæum intelligi eam Galliæ partem, quæ cis Rhenum est, quæ diœcesim Treuerensem continet, apud quam etiam Athanasius pulsus Ariano furore, & è sua sede deiectus, constitisse memoratur.

Hieronym. epist. ad Florentium.

Hieronym. ad Suniam & Fretelam

Ferunt & in aliis Galliarum partibus Religionem Christianam nobilium studiis ac largitatibus decoratam, Druides à Potentiano ad fidem fuisse traductos, & quidquid in terris habebant apud Carnutas (quam maximè regionem incolebant, teste Cæsare) Ecclesiis illis constructis consecrasse. Item Priscum eius prouinciæ Comitem dominio suo in fauorem Ecclesiæ cessisse. De quibus consulantur vita sancti Potentiani & Carnotenses tabulæ, &c.

Lege Partheniam Rouillardi.

Cùm itaque in Galliis, in Africa, cæterisque

terrarum partibus Ecclesiæ aliquid pacis & quietis spirarent, neque omni ornatu ac subsidio diuitiarum essent destitutæ; sola Romana Ecclesia diutissimè tempestatem passa est: nec nisi meliori sydere Constantini affulgente, ex iis, quibus continuè iactabatur fluctibus, emersit. Interclusa erat illi omnis opum ac diuitiarum possessio; in solis doloribus & suppliciis patrimonium versabatur. Nam si quando Christiani stipendia Clericis & dotem Ecclesiis è suo fundo ac patrimonio constituerent: tum Aulicorum rapacitas fero vngue in prædam irruebat, & tenues Sacerdotum reditus vnà cum eorumdem sanguine exorbebat. Quapropter cùm opes & facultates Christianorum, arcessendæ tantummodo & inflammandæ Imperatorum crudelitati vtiles viderentur; hine factum est, vt istis temporibus Romana Ecclesia omnes immobilium rerum possessiones respueret, & quæcumque donarentur venderet, ac collectum pretium in Clericos partiretur. Eorum tẽporũ calamitatem respexisse mihi videtur Theodorus lector collectaneorum Historiæ Sacræ sub finem, vbi ait ab immobilium possessione Romanam Ecclesiam abstinere. Ἔθος λέγεται τῇ Ἐκκλησίᾳ τῆς Ῥώμης ἀκίνητα μὴ κρατεῖν δίκαια, ἀλλὰ εἰ καὶ περιέλθωσιν εὐθέως πιπράσκεται καὶ εἰς μοίρας τρεῖς διαιρεῖται. *Romanæ* Ecclesiæ *mos esse fertur, vt iura non sint immota, sed etiam si cuipiam contingant statim vendãtur, & in tres partes diuidãtur, ita vt* Ecclesiæ *vna,* Episcopo *altera, tertia Clero diuidatur.* Qui locus de primis temporibus

Quare Romana Ecclesia immobilia nõ habuit.

Theodorus lector in collectaneis Hist. Eccles.

ribus

ribus, quibus feruebat persecutio, intelligendus est. Nam si posteriora tempora respicias, certè omnino falsum est Ecclesiam Romanam bona immobilia non habuisse.

Ex illa autem venditione rerum immobilium grandes conflabat pecunias Ecclesia Romana, quas non sibi tantùm reseruabat, sed aliis quoque Ecclesiis impertiebatur; prout eas nouerat grauiùs premi. Ita apud Eusebium libro quarto, cap. vigesimo tertio, legimus Epistolam Dionysij, in qua commendat Ecclesiæ Romanæ charitatem, quæ cæteris largissimè succurrere solita erat, & pecunias in solatia pauperum toto orbe languentium erogare. Sed eam pecuniarum copiam non fuisse constantes, & perpetuos reditus, imò Ecclesiam Romanam quibusdam temporibus inopem ac calamitosam fuisse, probamus hoc argumento. In cæteris Ecclesiis eo tempore pauperes, Clerici, & qui in carceribus fidei caussâ languescerent, solebant communibus impensis subleuari: ad subitos euentus & solatia miserorum ærarium erat commune. At verò in Romana Ecclesia nullum publicum & commune ærarium fuisse, inde patet quod Marcelli Papæ temporibus, quidam Thrason nomine, de proprio censu ministrabat victum Martyribus omni ope destitutis. *In ipso tempore* (sic habent gesta Marcelli) *erat vir Christianus, nomine Thrason, vir potens, & facultatibus locuples, & vitâ fidelis, hic cùm vidisset affligi Christianos fatigatione & labore,*

Ecclesia Romana in cæteras liberalis.

Euseb. lib 4. cap. 23

Cyprianus monitis iussit Diaconis vt speculatori persoluerent viginti aureos stipendij nomine ex ærario Ecclesiastico.

Gesta Marcelli Papæ apud Suriũ 16. Ianu. p. 249.

de sua facultate Sanctis Martyribus alimoniam & victum ministrabat, per viros Christianos Sisinnium & Cyriacum, Smaragdum & Largum. Hoc audiens beatus Marcellus Vrbis Romæ Episcopus, gaudio repletus est: cúmque ab illis ad se accersitis rem omnem didicisset, consecrauit Sisinnium, & Cyriacum Diaconos Ecclesię Romanæ. Factum est autem, vt vna nocte, dum deferrent humeris suis Sanctis Martyribus victum quem Thrason ministrabat, retenti sunt à militibus, &c.

Nec mirum quod tanta egestate premeretur Romana Ecclesia, nec haberet Marcellus, vnde Martyres aleret: nam eo tempore aliquid opis contulisse Christiano, & fundum aliquem aut prædium Ecclesiæ donasse piaculum erat: nam si eadem gesta peruoluamus, apparebit Lucinam nobilem Romanam, ea sola de caussa, in exilium deportatam, quòd bona sua Ecclesiæ tradidisset. *Beata Lucina eo tempore fecit donationem de facultate sua & ex omnibus quæ habuit, Ecclesiæ Catholicæ. Hoc audiens Maximianus Augustus indignatus, proscriptione eam damnauit.* Imò verò nec Ecclesias suas & Cœmeteria tutò obtinebant Christiani apud Romanos: nam si quando locum conuentus sacri, Imperatores nanscíscerentur; vt rem omnem Christianorum, ludibrio & contumelia inquinarent, solebant Ecclesias in stabula & vilissimarum animantium hospitia commutare: ac ne quid atrocitatis deesset, cogebant sacratissimos Pontifices, ibi sordidis gregibus pascen-

Romanæ Ecclesiæ penuria temporibus Marcelli Papæ.

dis curandisq; inseruire, vbi sacris apicibus fulgẽtes paulò antè Deo ministrassent. Itaq; Ecclesias inuentas complanari, & plancis, hoc est, tabulis ligneis insterni curabant, in dedecus sacræ Religionis. Hoc est, quod de eodem Marcello refert Anastasius Bibliothecarius, vbi eum iussu Imperatoris in catabulum detrusum asserit, pro quo malè Platina scripsit, Cacabulum: est autem κατάβολον, Suidæ emporium quodlibet & forum rerum venalium, apud Papiam verè catabulum sic exponitur. *Catabulum clausura animalium vbi desuper aliquid iacitur.* Verba autem Anastasij sunt: *Marcellus semper contemnens & deridens pręcepta Maxentij damnatus est in catabulo, qui dum multis diebus seruiret in catabulo,* &c. Et hoc certè Anastasius expressisse videtur è gestis rebus Marcelli, vbi hæc ita habentur: *Rogauit Lucina Sanctum Marcellum Episcopum, vt domum eius Ecclesiam consecraret, quod cum omni deuotione fecit Marcellus Episcopus. At vbi frequenter in eadem ciuitate Missas celebrasset in Via Latina, & audiret hoc Maximianus Augustus, iratus præcepit, vt in eadem Ecclesia plancæ sternerentur, ad animalia stabulanda, & eumdem Marcellum Episcopum ad seruitium animalium deputauit, cum custodia publica.* Sic amor Petri etiam in successoribus tentatus, diúque atroci suppliciorum serie probatus est, vt Ecclesia Romana non imperando tantùm, sed patiendo Princeps existeret, nec inuidere ipsi quisquam posset eum splendorem, quem nonnisi flammis, cædibus,

Anastasius Bibliothecarius in vita Anastasij.

Suidas in voce, ἐμπόριον.

Papias in Glossis.

Acta Marcelli Papæ vbi supra.

equuleis, & longissima vexatione est consequuta.

Capvt XIV.

QVAS PRIMVM OPES COMPARArent Christiani. Ecclesiæ primũ emptæ ornatus. Ecclesiarum primis temporibus. Quo loco constructæ. Ecclesiarum vsus etiam Apostolorum ætate, &c.

CVm primum Christiani Antistites atque Episcopi ad vrbem aliquam peruenissent, id imprimis curabant, vt si quos ad fidem Christi conuerterent, ex eorum numero Clericos eligerent, & Sacerdotes, qui rem sacram obire, & diuinis muneribus possent castè defungi.

Sæuiente namque persecutione, & mortis periculo vndequaque imminente, non vltra annos aliquot duratura erat Religio, nisi Antistites primi, successuros sibi Sacerdotes prospexissent, qui post ipsorum mortem rei sacræ præficerentur. Ita apud Gregorium Turonensem legimus Trophimi, Astremonij, Pauli, Martialis aliorumque, discipulum quendam, Bituricensem ciuitatem, aggressum *salutare omnium Christum Dominum nuntiasse.* Ex *his Bituricensibus* (inquit) *pauci admodum credentes Clerici ordinati, ritum psallendi suscipiunt & qualiter Ecclesiam construant, vel omnino potenti Deo solemnia celebrare debeant, imbuuntur.*

Greg. Turon. hist. lib. 1. cap. 29.

Clero itaque composito ac descripto prima subinde cura veterum Christianorum erat, vt Ecclesiam construerent, ac compararent: vbi aduertendum, plerumque nō fuisse opus Ecclesiam emi. Nam si qui nobiliores & opulentiores Christum amplecterentur, illi sacra ambitione feruentes, nil amplius optabant, quam vt domus sua in Ecclesiam cederet, eamque Christiani Pontifices legitimis ceremoniis inaugurarent. Argumentum est, quod de Blandina legimus in actis Marcelli, & multa eius generis reperiuntur in Sanctorum historiis. Sin vero nullus esset è Christianis, cuius domus satis ampla & commoda esset, vt Ecclesiæ construendæ sufficeret, etiam à Paganis & infidelibus emebant, quâ fieri poterat prudentiâ. Ita domum Leocadij Senatoris antequam Christianus esset, emptam, Ecclesiæ componendæ gratiâ, legimus apud eundem Gregorium libro primo, capite vigesimo nono. *Senatores* (inquit) *Bituricenses, vel reliqui meliores phanaticis erant tunc cultibus obligati: qui vere crediderant, ex pauperibus erant, hi vero non obtenta à quo petierant domo, Leocadium quendam & primum Galliarum Senatorem, qui de stirpe Vecti* Epagati *fuit, &c. repererunt. Cui cum petitionem suam & fidem pariter intimassent, ille respondit, si domus mea, quam apud Bituricam vrbem habeo, huic operi digna esset, præstare non abnegarem: illi autem audientes, pedibus eius prostrati, oblatis trecentis aureis, cum disco argenteo, dicunt eam, huic ministerio esse congruam, qui acceptis tribus aureis pro benedictione, clemen-*

Ecclesiæ locū primo comparabāt Christiani.

Acta Marcelli Papæ apud Suriū 16. Ianu.

Greg. lib. 1. cap. 29.

ter indulgens reliqua, cum esset adhuc in errore idololatriæ implicitus, Christianus factus, domum suam fecit Eccle*siam. Hęc est nunc* Ecclesia *apud Bituricam vrbem prima, miro opere composita, & primi Martyris Stephani reliquiis illustrata.*

Interdum vero, vbi Ecclesiæ alibi ædificandæ facultas non esset, eam in loco publico erigebant. Sic Beatum Clementem audimus, cum ciuitatem Metensem appulisset, nec aliud potuisset hospitium nancisci, sub arenis theatralibus habitasse, ibique paruulam Ecclesiam construxisse. Ita Harigerus Abbas Historiæ Leodiensis cap. 6. Sic etiam legimus apud Lampridium in vita Alexandri, Christianos in loco publico Ecclesiam constituisse, ac motam aduersus eos litem à popinariis, qui sua illic gurgustia, euersis Christianorum ædibus, collocare nitebantur. *Quum Christiani* (inquit Lamprid.) *quendam locum qui publicus fuerat occupassent, contra popinarij dicerent, sibi eum deberi rescripsit melius esse, vt quomodocunque Deus illic colatur quam popinariis dedatur.*

Harigerus Abbas hist. Leodiensis cap. 6.

Lampridius in vita Alexandri.

Etsi vero communis ea foret consuetudo, vt Episcopi in vrbes recepti Ecclesias fundarent ac dedicarent: tamen si quando ab vrbibus arcerentur etiam in campis, & sub dio verbum Dei prædicabant & sacris mysteriis operabantur. Ita Petrus Venerabilis libro primo, Epistola secunda aduersus Petrobusianos refert Trophimium Arelatensium Episcopum numquam oratorium habuisse, *Nunquid apud Arelatem, quam nec*

Petrus Venerab. lib. 1. Epist. 2.

dum per Dei gratiam vester sordidus error infecit, Pauli Apostoli discipulus Trophinius de cuius fonte, vt Papa Sosimus scribit, omnes Galliæ, fidei riuulos acceperunt, semper in campo aut in foro prædicauit, baptizauit, orauit, & nunquam domum orationis, vel ipse habuit, vel alios haber instituit.

Non est autem, quod quis existimet incuriosos omnino fuisse primores Christianos in construendis ædibus sacris, eorumque Ecclesias tumultuariâ operâ conditas, omni ornatu caruisse. Huic opinioni expugnandæ sufficere posset, quod apud Gregorium Turonensem, de prima Christianorum Ecclesia legimus, cuius structuram ita depingit. *Sanctus vero Namarius post obitum Rustici Episcopi, apud Aruernos, in diebus illis octauus erat Episcopus. Hic Ecclesiam quæ nunc constat, & veterrima intra muros ciuitatis habetur, suo studio fabricauit, habentem in longum pedes centum quinquaginta, in latum pedes sexaginta, in altum infra Capsum vsque cameram pedes quinquaginta, in ante absidam rotundam, habens ab vtroq; latere astellas eleganti opere constructas, totumque ædificium in modum crucis habet expositum. Habet fenestras quadraginta duas, columnas septuaginta, octo ostia*, Ex quibus apparet, sub initia fidei Ecclesias Christianorum satis elegantes fuisse, cultumque animi & feruorem pietatis è profundo pectoris, etiam in ædificia templorumque ornatum redundasse.

Greg. Turonens. lib. 2. cap. 16.

Forsan autem arbitrabitur aliquis, studium istud Ecclesiarum ornandarum apud Gallias tan,

tum viguisse, vbi omnia quietiora & magis pacata: At in Italia quoque, & intra Imperij Romani viscera, Christum luculentas & splendidas ædes habuisse satis commonstrant ea, quæ de feritate Diocletiani scribit Theodoretus libro quinto Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 38. sub finem, *Quotquot*, inquit, *Imperatores ante Imperium Constantini magni regnarunt, contra veritatis professores insanâ rabie furere non desierunt. Atque Diocletianus, ipso salutari Passionis die, cunctas Ecclesias, quæ in toto erant Imperio Romano demolitus est. Verùm, vix nouem iam anni intercesserant, cùm & illæ ipsæ denuo florere & multo maiore amplitudine atque splendore quàm anteà enitêre ceperunt.* Quæ verba satis ostendunt etiam persecutionis tempore ornatum ab Ecclesia non abfuisse. Quamobrem non possum satis demirari quorumdam cæcitatem, qui Ecclesias & templa primis illis temporibus apud Christianos non agnoscunt, eosque temerè ac passim vbique sacra fecisse arbitrantur, vt ab infidelium nefaria superstitione longiùs recederent, quorum templis infami deorum farragine squallentibus, non tam colebatur diuina Maiestas, quàm vilescebat.

Theodoret. lib. 5. Hist. Eccl. c. 38.

Eruditissimus scriptor Vicecomes, de antiquis Missæ ritibus lib. 2. cap. 21. scribit ante Constantini tempora, Christianos Ecclesias non habuisse, nec in iis sacra fecisse. Ac vt eius doctrinæ nil officiam, per quam orbis in dies proficit: videtur cōtraria sententia non obscuris niti rationibus: nam & Ecclesias habuisse Christianos sub exordia nascentis

Vicecomes de ritibus Missæ.

centis Ecclesiæ probant sacri codices Actorum vigesimo, conueniunt Apostoli vna Sabbathi ad frangendum panem in commune cœnaculum. *Vna autem Sabbathi cùm venissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, protraxitque sermonem vsque in mediam noctem, erant autem lampades multæ in cœnaculo, vbi eramus congregati*, quid autem aliud frangere panem, quàm synaxim celebrare ex mẽte Augustini epistola 96. Apud Paulum, *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare*, Et posteà, *an non domos habetis ad manducandum, aut Ecclesiam Dei contemnitis*, vbi nomine Ecclesiæ templum significat, in quo peracto Missæ sacrificio Eucharistiam sumebant. Ignatius epistola sexta, iubet omnes ad orandum in eumdem locum commigrare. πάντες ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν τῇ προσευχῇ ἅμα συνέρχεσθε, μία δέησις ἔστω κοινὴ, &c. Epistola vndecima ad Polycarpum, iubet vt sæpiùs celebrẽtur conuentus: πυκνότερον συναγωγαὶ γινέσθωσαν, ἐξ ὀνόματος πάντας ζήτει. Accedunt his quæ diximus de Edicto Diocletiani, de responso Alexandri, quæ si non faciant satis, audiatur Cyprianus de Ecclesia, altari, oblationibus, & toto Missæ negotio disertè loquutus epistola 27. aduersus Victorem, qui contra Canonem Ecclesiæ, Geminium Faustinum Presbyterum testamento tutorem scripserat, *Neque enim*, inquit, *apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes suos & ministros Leuitas voluit auocare, & ideò Victor cùm contra formam nuper in concilio à Sacerdotibus datam, Geminium*

Act. 20.
Aug. ep. 96
1. Cor. 11.
ibidem v. 22
Ignatius ad Magnes. ep. 6. p. 11.
Ignatius ep. ad Polycarpum, p. 32.
Cyprian. Epist. 27

Faustum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur. Apud eumdem Cyprianum, liquet ita constitutas fuisse Ecclesias Christianorum, vt in iis sedes & pulpita altiora eminerent: vnde lectores, sacros codices aut memorias Martyrum populo legentes audirentur. Ita de Aurelio & Celerino epistola 62. *Hos tamen Lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, & gloriosos vultus in loco altiore constituti, vbi ab omni circumstante fraternitate conspecti, incitamentum gloriæ videntibus præbeant*, & eadem epistola ante verba allata, *Quid aliud*, inquit, *quam super pulpitum, id est, super tribunal Ecclesiæ oportebat imponi, vt loci altioris celsitate subnixus, & plebi vniuersæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta & Euangelium Domini.* Concilium Iliberitanum circa Constantini tempora Ecclesiarum meminit: *Placuit picturas & imagines in Ecclesia non esse, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Vbi vetat pingi in parietibus imagines, ne sæuiente barbarie & in Christianorum templa scelerato impetu irrumpente, sacræque effigies polluãtur, atq; infideles contaminent quod Christiani colunt. Itaque si quando Christiani authores videantur ab Ecclesia Catholica omnem templorum vsum remouere, nil aliud sentiunt, quàm Christianos longissimè ab infidelium stultissima crudelitate recedere, qui Deum nullis finibus aut terminis comprehensum, mundo non parem tantùm, sed maiorem

Cyprianus epist. 62.

Concilium Iliberitanũ can.

exiguis templorum ſpatiis exiſtimabant poſſe contineri, quique virtutis & bonæ mentis parum curioſi, credebant templorum luce atque ornatu longè fœliciùs, quàm compoſitis moribus vitáq; ad ſanctitatem efformatâ deos conciliari. Ita Arnobius libro octauo aduerſus Gentes: *Putatis nos occultare quod colimus, ſi delubra & aras non habemus: quod enim ſimulachrum Deo fingam? cùm, ſi rectè exiſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulachrum, templum quod ei extruam? cùm totus hic mundus eius opere fabricatus eum capere non poſſit.* Arnobius l.8. aduerſus Gentes.

Patet itaque primas Chriſtianorum opes in comparandis Eccleſiis fuiſſe collocatas, & fideles ſacri patrimonij primitias ad ædium ſacrarum ornatum & ſtructuram inter perſecutionum æſtus dedicaſſe.

Capvt XV.

De vasis sacris. Vaſa aurea & argentea primis temporibus. Epiſcopi, theſauri ſacri cuſtodes. Seruant veſtes erogandas pauperibus. Calices vitrei & lignei. Impoſtura Marci hæretici, qui tranſmutationem vini in ſanguinem Chriſti fingebat.

COmpoſitis Eccleſiis altera ad ſacræ ſupellectilis comparationem cura pertinebat, falsò

enim imaginantur nonnulli aurum argentúmq; nonnisi postremis temporibus in templa inuectū, cùm pulsæ pietati & eiectæ, fastus & ambitio successissent. Numquam enim sordibus & squallore Religio gloriata est. Imò verò sanctissimi omnium veteres Christiani in eo curam omnem collocabant, vt splenderent templa & speciem quamdam referrent cœlestis Hierusalem, cui lapides pretiosi pro fundamento substernuntur. Ita legimus Pontianum Pontificem, omnia ministeria Ecclesiæ fecisse aurea, argenteáque, & præ cæteris viginti quinque Patenas argenteas, tanto fortasse numero Patenarum, egente Ecclesia, quia tunc temporis mos erat, vt oblationes fidelium Patenis impositæ ad altare deferrentur per manus ministrorum.

Vnde cùm scirent pagani pretiosa supellectile vti Christianos, in re sacra obeunda: non modò in corpora sæuiebant, sed priusquam Episcopos aut Diaconos trucidarent, cogebant eos vasa sacra & ornamenta Ecclesiarum prodere, vt inde turpem auaritiam saginarent. Ita in Concilio Cirtensi, cuius exemplar partim extat apud D. Augustinum contra Cresconium, libro 3. cap. 29. partim è Bibliotheca Pithœana editum est à Baronio, damnantur Episcopi vasorum sacrorum & librorum proditores. Vt autem cōstet quantæ fuerint opes in vasis sacris & ornamentis, legendus est indiculus rerum, quas Paulus Cirtensis Episcopus tradidit Fœlici Flamini Curatori: *Calices duo aurei, item*

Aug. contra Cresconium lib. 3. cap. 29

Baronius ad annum 303. num. 1 & seq.

Calices sex argentei, cucumellum argenteum, lucernæ argenteæ septem, cereofala duo, candelæ duæ breues aneæ, cum lucernis suis septem. Item lucernæ aneæ vndecim, cum catenis sui; Quibus enumeratis recensentur & plura vestium prophanarum genera, quas Episcopus vna cũ reliquo Ecclesiæ thesauro seruabat, vt pro arbitratu, eas pauperibus Christianis erogaret, qui inopia & nuditate premebãtur. Tunicæ nempe muliebres 82. mafortea 38. tunicę viriles 16. caligæ viriles paria 13 caligæ muliebres paria 47. coplę rusticanæ 19. Legimus etiã apud Optatũ Mileuitanũ Mensurium Episcopũ Carthaginensem cum ex vrbe fugere cogeretur diu anxium & dubium hæsisse cuinam Thesaurum sacrum committeret. Ac tãdem Sacerdotibus dedisse relicto eius inuẽtario aniculæ cuidam, eâ lege, vt desinẽte persecutione, illud aut sibi restitueret, aut ei, quẽ populus Episcopũ nominaret. *Erãt enim,* inquit Optatus, *Ecclesiæ, ex auro & argento quamplurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum poterat asportare.* Tacerem quæ de Laurentio sacris Ecclesiæ Thesauris præfecto memorãtur; propterea, quod satis nota sint, nisi Prudentij lepôres vetarent, qui comptoadmodum carmine diuitias sacræ suppellectilis expressit.

Optatus lib. 1. aduers. Par. p. 41.

Hunc esse vestris orgiis
Morémque & artem proditum est
Hanc disciplinam fœderis:
Libent vt auro Antistites.

gyris à Beato Hieronymo conſcripta, qui graſſante fame, & publicâ calamitate Tholoſatium regionem vaſtante, ex ſumptibus Eccleſiæ pauperes paſcebat, nil ſibi retinens præter corpus, & ſanguinem Chriſti, ingentes ſane diuitias, quæ nec tempori cedunt, nec raptori. *Sanctus Exuperius Tholoſæ Epiſcopus Viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens, paſcit alios, & ore pallente ieiuniis, fame torquetur alienâ, omnémque ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogauit, nil illo ditius qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.* Legatur Concilium Triburienſe cap. 18. Radulphus Tungrenſis lib. de Canonum obſeruantiâ propoſit. 23. Athanaſius Apolog. 2. Epiphanius in Panario, Hæreſi 34. refert, Marcum quendam Hæreticum & à fide extorrem, cùm Chriſtianorum ritus imitari vellet & ſpeciem quandam tremendi illius referre myſterij, quo vinum in ſanguinem Chriſti conuertitur, vſum fuiſſe calice vitreo, in quo affuſum vinum albi coloris, poſt verba quædam à Marco prolata, in modum ſanguinis rubeſcebat: impoſtore iſto & ſycophantâ, fraudem oculis ſubtiliter faciente. Ita enim refert ex Irenæo lib. 1. cap. 9. ποτήρια οἴνῳ κεκραμμένα προσποιούμενος εὐχαριστεῖν, καὶ ἐπὶ πλέον ἐκτείνων τοῦ λόγου τῆς ἐπικλήσεως πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ. *Pocula vino temperata gratiarum actionem ſimulans & ſolemnem precationis formulam extendens purpurea rubráque appareant efficit, cœleſtémque gratiam, ad eius inuocationem, ſuum in illa vaſa ſanguinem inſtillare putes,* &c. At ſpeciem ſanguinis

Concil. Trib. c. 18. Radulph Tungrenſis propoſit. 23. Athanaſ. apol. 2.

Epiphan in Panario hæreſi 34.

exhibere oculis sumentium non poterat, nisi calice vitreo vsus fuisset, vt satis constat. E quo, vt obiter dicam, apparet Orthodoxos, transmutationem vini in sanguinem Christi perpetuò credidisse.

CAPVT XV.

DE SEPVLCHRIS ET COEMETERIIS & domo Sacerdotum tempore persecutionis. Christiani etiam Imperatores extra Ecclesiam sepulti. Sepultura Christianis prohibita. Quo consilio, numerus Cœmeteriorum ingens. Canones Eleberitani de Cœmeteriis explicantur. Domus Ecclesiæ ad Sacerdotum habitationem. Domus & mansio quomodo differunt

VEteres Christiani Ecclesias in quibus mysteria celebrantur, quas Christi præsentia venerabiles facit, tantâ religione colebant, vt in iis nefas esset quemquam sepeliri: nondum enim eò progressa fuerat hominum ambitio, vt ibi sua condi cadauera vellent, vbi pretiosum Christi corpus ab Angelis colitur, nondum contaminata fæce libidinum viscera iubebant illic reponi, vbi Majestas iudicis sedet, & caro Virginis sanguine concreta, ad hominum salutem immolatur. Nec Imperatoribus quidem, initio Ecclesiæ nascentis ea priuilegia concessa sunt. Nam ante fores & porticus

Imperatores extra Ecclesiam sepulti.

porticus Ecclesiæ D. Petri, corpus Magni Constantini collocatum docet D. Chrysostomus, asseritque, eius filium existimasse, se paternæ gloriæ plurimum consuluisse, si eum, Ianitoris in morem Diui Petri foribus præficeret. *Constantinopoli*, inquit, *Constantinum Magnum ipsius filius honore magno censuit haberi, si pro foribus Piscatoris paternum corpus collocaret, &, quod in regiis sunt Ianitores regibus, hoc sunt in monimento Piscatoribus Reges.* Theodosium iuniorem vnà cum auo suo Patre Arcadio, & Matre Eudoxiâ in porticu D. Petri sepultum meminit Nicephorus Historiæ Ecclesiasticæ lib. 15. cap. 58. *Theodosius autem postea mox in paterno monimento, Romani lapidis repositus est, in dextrâ sublimi Sanctorum Apostolorum templi porticu, eodémque lapide Pater quoque Arcadius & Mater Eudoxia, nec non Auus Theodosius siti sunt: In sinistra verò, quæ ex aduerso est porticu eius sacri templi, Iouinianus iacet.*

Chrysost. hom. 66. ad populum Antiochenum.

Niceph. hist. Eccles. lib. 15. c. 58.

Omnino verò non licere in templo sepelire corpora docet Concilium Triburiense cap. 17. Moguntiacum cap. 51. Pelagius 2. vt ex manuscripto docet Garcia. Concil. Braccarense primum Canone 18. *Placuit vt corpora defunctorum nullo modo in Basilica sanctorum sepeliantur, sed si necesse est, deforis circa murum Basilicæ vsque, adeo non abhorret.*

Concil. Tribur. c. 17. Mogunt. c. 51. Braccar. 1. c. 18.

Ab hac tamen lege postea excepti Pontifices, Abbates & Sacerdotes, personæ Religiosæ & spectatæ virtutis, vt videre est in Triburiensi & Moguntiaco citatis: Immo verò & Imperatoribus concessum postea, vt in Ecclesia sepeliri pos-

Licuit Sacerdotes in Ecclesia sepeliri.

Euag. hist. Ecclesiast. lib. 4. c. 30. sen, vt imaduerte ex Euagrio, Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap. 30. vbi ait, commune templum fuisse, in quo Imperatorum simul & Sacerdotum corpora conderentur. *Ab eodem*, inquit, *Iustiniano ædificatum est templum Sanctorum Apostolorum, quod omnium facile primas fert, in quo Imperatores & Sacerdotes sepeliri solent.*

Cum ergo Christianorum corpora in Ecclesiis recondi Religio prohiberet: aliũde vero iura ciuilia iuberent cadauera efferri, & extra vrbem condenda deportari, vt idem Canon Braccarensis primæ Synodi, rectissimè annotat: hinc post Ecclesias constructas atque ornatas, necessitas incumbebat Christianis nouum aliquod prædiũ agrumue cœmendi, in quo fidelium cadauera deponerentur. Quippe exhorrescebant plurimum cõmunes habere cum Paganis tumulos, & eorum societatem etiam mortui execrabantur, à quorum superstitione viui sese subtraxerant. Cœmeteriorum verò curam augebat maximè apud veteres Christianos, spes secundæ illius vitæ, quam corpora ad vocem Christi resument; vbi mors in victoria absorbebitur. Quapropter Gentiles, vt gloriosæ isti Christianorum expectationi insultarent, & omnem resurrectionis spem ex animo eorumdem reuellerent, concessam etiam sceleratis sepulturæ humanitatem iis intercludebant: Ita corporum tormentis miserè dissipatorum Reliquias, aut igni absumebant, aut certè immittebant in flumina. Sic cùm grandis tempestas

Quare curam cœmeteriorum tantopere gerebant.

Digitized by Google

Viennæ & Lugduni aduersus Christianos esset concitata, plurimíque fideles cæsi ac trucidati sparsim per vicos iacerent, fœda sæuitiæ monimēta: vetuerunt quemquam ex iis sepeliri. *Martyrum corpora, sex dies continuos sub dio iacentia & maximâ ignominiâ affecta, post autem ab impiis illis & facinorosis carnificibus exusta, inque cineres redacta, in Rhodanum fluuium, qui illic in proximo defluit, spargebantur, quò nullæ quidem ipsorum reliquiæ amplius super terram restarent. Ista eo consilio patrabant, quo demum se posse vincere & illis regenerationem corporum prorsus eripere arbitrati sunt, quò ne vlla quidem, sic enim dicebant, spes resurrectionis illis reliqua fieret, qua freti (inquiunt) non solùm peregrinam quandam & nouam nobis induxerunt religionem, verum etiam neglexerunt penitus tormenta, &c.* Eusebius lib. 5. cap. 1. sub finem. Imo verò non tantùm in corpora recens enecta sæuitum est, iísque tumuli clausi, quibus vita nuper erepta fuerat: verumetiam inualescentibus Paganorum furiis violata est humanitas & effractis sepulchris dissipati Christianorum cineres: vt in persecutione orta Nicomediæ, factum refert Eusebius lib. octauo cap. 6. Cùm ergo sepulchrorum religione & sanctitate spem futuræ resurrectionis ali & foueri maximè arbitrarentur, hinc in cœmeteriis erigendis studiosi apprimè fuerunt; adeo vt ingens fuerit eorum locorum numerus, & longè major quàm Ecclesiarum.

Euseb hist. Ecclesiast. lib. 5 c. 1.

Euseb lib. 8. c. 6. hist. Ecclesiast.

Baronius ad annum 226. sub Calixto Papa catalogum texit Cœmeteriorum Romanæ vrbis, &

Baronius ad ann. 226.

Digitized by Google

enumerat quadraginta tria: Cœmeterium Callisti, Callepodij, Ostianum viâ Salariâ: Cœmeterium ad Nymphas, viâ Numentanâ: Soteris, haud longè à Cœmeterio Callisti: Zephyrini Cœmeterium: Cyriacæ Matronæ, in agro Verano: Lucinæ, viâ Aureliâ: Priscillæ, viâ Salariâ: Thimothei, viâ Ostiensi: Vbi nunc Basilica sancti Pauli: Nouellæ Cœmeterium, viâ Salariâ: Balbinæ seu Marci Papæ, inter viam Appiam & Ardeatinam: Iulij, viâ Flaminiâ: aliud eiusdem nominis, viâ Aureliâ: & tertium eius quoque cognominis, viâ Portuensi: Cœmeterium Damasi: Anastasij Papæ; Hermetis: Nicomedis, viâ Ardeatinâ: Agnetis, viâ Nomentanâ: Sanctæ Fœlicitatis, viâ Salariâ: Cœmeterium Iordanorum: Nerei: Felicis, & Adaucti: Tiburtij & Valeriani: Sanctorum, Petri & Marcellini, viâ Lauicanâ: Marci & Marcelliani: Quarti & Quinti: Sanctæ Agathæ, viâ Aurelia: Cœmeterium Vrsi: Cardianum Cœmeterium, inter duas lauros ad cliuum cucumeris, via Salaria: Thrasonis ad sanctum Saturninum: Cyriaci, via Ostiensi: Petronilli: Ianuarij: Simplicij: & Seruiliani. E tanto Cœmeteriorum numero, coniicias quæ fuerit Martyrum turba, quibus sepeliendis tot loca vix sufficerent, cùm in amplissimis ciuitatibus sex, aut quatuor Cœmeteria morientibus tumulandis sufficiant.

Cœmeteriorum variæ appellationes.

Ea vero fuit erga Cœmeteria veterum pietas, vt statos illic conuentus haberent, & noctes aliquando integras decantandis Martyrum laudibus,

Conuentus in Cœmeteriis.

Deoque in eorum memoriam adorando transigerent. Quare cùm Imperatores nossent conuentus Christianorum maximè in cœmeteriis agitari, solemni Edicto prohibuerunt sæpiùs ne cœmeteria à Christianis adirentur. Eusebius lib. 7. Hist. cap. 10. scribit, inter cętera ab Æmiliano Præfecto Alexandriæ interdictum fuisse Dionysio Episcopo, Fausto, Marcello Chœræmoni, ne cœmeteria ingrederentur: Sic enim habet sententia in eos prolata: *In hac ciuitate non erit liberum vobis versari: sed eritis relegati in parte Lybiæ in locum videlicet qui Cephro nuncupatur. Neque vsquam omnino vel vobis, vel aliis quibusq; potestas erit aut celebrandi conuentus, aut in ea quæ appellãtur cœmeteria ingrediẽdi.* Ita etiã Tertullianus ereptam Christianis sepulchrorum libertatem queritur, sed eius sæuitiæ vltorem Deum adfuisse, immissã nempe sterilitate. *Doleamus*, inquit, *necesse est, quod nulla ciuitas impunè latura sit sanguinis nostri effusionem, sicut sub Hilariano Præside, cùm de Areis sepulturarum nostrarum acclamassent, Areæ non sint; Areæ ipsorum non fuerunt, Messes enim suas non egerunt.* Vbi alludit Tertullianus ad nomen Areæ, quod & locum vbi teruntur frumenta, fruges verberantur, & sepulchra etiam Christianorũ significat, cœmeteria enim dicuntur Areæ, tumbæ, catatumbæ, Cryptæ, Arenariæ, &c.

Euseb. l. 7. Hist. Eccles. cap. 10.

Prohibẽtur adire cœmeteria.

Tertull. ad Scap c. 3.

Mitiores & humaniores Imperatores permiserunt Christianis sepeliendi facultatem ex lege Diocletiani, quæ non prohibet reos sepeliri. Ita apud Eusebium lib. 7. cap. 12. legimus sub Galieno,

Leg. ob nox. Cod. de Rel. sumpt. fun.

restincto tantisper persecutionis feruore restituta Episcopis Christianorum & permissa Cœmeteria. *Aliud porrò illius decretum esse dicitur, quod ad alios Episcopos dedit, per quod quædam loca, illa quæ cœmeteria nominabantur, integram adeundi occupandique fecit potestatem.*

Et si verò in eos, qui cœmeteria colerent, sæpiùs Imperatorum indignatio eruperit, numquam tamen auitæ pietatis studium elanguit. Imò verò erga Martyres semper Christianorum increuit reuerentia, donec in superstitionem etiam effunderetur. Hinc factum est, vt cùm conciliandis sibi Martyrum fauoribus, nonnulli faces & lucernas in cœmeteriis accenderent, putarentque isto peregrino cultu Sanctorum spiritus euocari in suam opem. Propterea Concilium Iliberitanum sanxit, ne faces in cœmeteriis die accenderent, néue illic conuentus nocturni à mulieribus haberentur: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi, inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt.* Vult enim Canon, prophano hoc ritu, quo etiam hodie vtuntur Persæ, Sanctorũ spiritus offendi potiùs quàm honorari: & canone trigesimo quinto, *Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmeterio peruigilent, ne sub obtentu orationis, scelera latenter committant.*

Concil Iliberitanum, can 34.

Idẽ can 35.

Cæterùm, cœmeteriorum figuram & structuram depingit accuratè Hieronymus in caput quadragesimum Ezechielis: *Dum essem Romæ puer, & à liberalibus studijs erudirer, solebam cum cæteris eiusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepulchra Aposto-*

Hier in cap. 40 Ezech.

lo um & Martyrum circumire, crebroque Cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex vtraque parte ingredientium, per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, vt propemodum illud propheticum compleatur, descendant in infernum viuentes, &c. Cœmeteriorum forma & structura.

Post Cœmeteria coempta, si quid Ecclesiæ facultates aliquid amplius sinerent, nec inuidia paganorum officeret, quominus Christiani Sacerdotum ac Clericorum quieti consulerent, tum publico sumptu domos illis comparabant, in quibus commodè degerent, ad officij suas partes piè & religiosè obeundas: & hæ domus dicebantur Ecclesiasticæ siue domus Ecclesiarum. Cuius rei insigne vestigium extat apud Eusebium lib. 7. historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. Nam cùm Paulus Samosatenus ob nefariæ hæreseos crimen, Episcopatu amotus, nollet Ecclesiæ domo abire, eámq; Domino (ita enim vocabatur qui ei suffectus fuerat) relinquere, interpellatâ à Catholicis, in eâ rem, Aureliani Imperatoris Maiestate, iussum est ab Imperatore, vt is domum possideret, cui Romanus Episcopus decerneret: ἀλλὰ γὰρ μηδαμῶς ἐκστῆναι τοῦ Παύλου, τοῦ τῆς ἐκκλησίας οἴκου, θελόντος. Βασιλεὺς ἐντευχθεὶς Αὐρηλιανὸς αἰσιώτατα περὶ τοῦ πρακτέου διείληφεν τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν οἶκον, οἷς ἂν, οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν Ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν. *Verùm cùm Paulus ex Episcopi domo eius Ecclesiæ propria exire nollet, Imperator Aurelianus de ea re rogatus sententiam, sanctissimè quid esset agendum decreuit: præcepit enim vt domus Ec-*

Euseb. lib. 7. hist. Ecclesiast. c. 24.

De domo Ecclesiæ orta controuersia.

clesiæ ijs tribueretur, quibus Christiani Italiæ & vrbis Romæ E*piscopi tribuendam pr̃scriberent.* Sicdemùm Paulus de quo docuimus cum summo dedecore, sæcularis Imperij ac potestatis authoritate ab Ecclesia penitùs extruditur. Apud Gregorium Turonensem extat mentio domus Ecclesiasticæ. Vbi de Vrbico sermo est, Aruernorum Episcopo. Cùm enim relicta vxore, vt canones ferebant, continẽtiæ daret operam & in Ecclesiastica domo seorsim habitaret, tandem misera coniux facibus libidinis incensa, eam domum noctu adit, & mille vsa lenociniis tandem euicit, vt maritus spurcissimæ cupiditati obsequeretur, *Mulier*, inquit, *succensa libidine, operta peccati tenebris, pergit ad domum Ecclesiæ per tenebras noctis, cúmque obserata omnia reperisset, pulsare fores* E*cclesiasticæ domus cœpit, ac voces eiusmodi dare, Quousque Sacerdos dormis? quousque clausa ostia non referas?* &c. Cæterùm, animaduertendum domum Ecclesiæ à manso, siue à mansione Sacerdotali differre. Nam domus Ecclesiæ arcta & exigua, Ecclesiæ parietibus adhærescebat. At verò crediderim mansionẽ habuisse ædes laxiores, & fuisse areâ, impluuio, hortis & aliis eiuscemodi instructam, nec ita Ecclesiæ contiguatum hæsisse mansum, quin aliquo spatio ab eius parietibus abesset. Coniecturæ argumentũ præbet, quod refert posteà Gregorius Turonensis lib. 2. cap 21. de Eparchio eorumdem Aruernorum Episcopo, qui successit Namario. Ait enim eius temporibus auctam & ornatam bonorum accessione, Aruernorum

Gregorius Turonensis l. 2 cap 39.

Gregorius Tur l. 2 c 21

rum

rum Ecclesiam prædiolũ habuisse intra vrbem, in quo mansionem Sacerdoti suo códuxerat: *Defuncto*, inquit, *apud Aruernum Namario Episcopo, Eparchius successit vir sanctissimus, atque religiosus, & quia eo tempore Ecclesia, paruam intra vrbis muros possessionem habebat, ipsi Sacerdoti in eo quod modo Saluatorium dicitur, mansio erat, atque ad gratias Deo nocturno tempore reddendas ad altarium Ecclesiæ consurgebat.* De manso verò & Ecclesiæ domo, suo locò prolixiùs agetur.

Saluatoriũ locus Ecclesiasticæ immunitatis.

Capvt XVII.

De ærario Christianorvm, tempore persecutionis. Pecuniæ post synaxes datæ. Quibus diebus colligerentur. Conuiuia Clericis & Sacerdotibus data à Christianis. Quinam essent ærario Præfecti. Conuersi ad fidem ex eo alebantur. Pax empta pecuniis à Quæstoribus & Imperatoribus.

Tempore persecutionis certum habebant ærarium Christiani, è quo promebantur communes impensæ, ad Clericorum alimoniam, & pauperes leuandos, cuius historiam hanc accipe. Peractâ sacrâ synaxi, Diaconi, qui paulò antè populum sanctissimo munere Corporis Christi pauerant, ab eodem colligebant quidquid spontaneâ charitate libêret in communem fundum, æra-

Digitized by Google

Iustinus Mart. apol. 2. sub finem

Intelligit dona facta, seu Eucharistiam.

riumque publicum conferre. Eius rei testis est, secundo sæculo, Iustinus Martyr, Apologia secunda, quam ingeniosè edidit, pro Christianis, *Distributio*, inquit, *communicatioque fit eorum in quibus gratia sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per* Diaconos *mittitur; subinde qui copiosiores sunt, & volunt pro arbitrio quisque suo quod visum est, contribuunt:* καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. οἱ εὐποροῦντες καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται δίδωσι. Tertullianus verò huius pecuniariæ collationis meminit, videturque refellere nequissimam Gentilium calumniam, qui fingebant Sacerdotes Christianos, sacrorum specie & nouæ religionis aucupio, pecunias suorum emungere, ac veluti vectigali imposito in eorum fortunas grassari:

Tertul. apologetici aduers. Gẽtes, cap. 39.

Si, inquit, *quod arcæ genus est, non de oneraria summa quasi redemptæ Religionis congregatur: modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cùm velit, & si modò possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert.* Partem verò plurimam eius æris ex symbolis Christianorum collecti, cessisse in commoda Episcoporum docet nos Cyprianus; à quo prætereà discimus moris fuisse in Africa, vt Sacro confecto, plebs suum Episcopum ac Clerum liberalibus honestisque epulis exciperet. Nam cùm perduellis Fortunatius, eam manum, quam sacrilegio incestauerat, vellet illotam sacris admouere, & Sacerdotem se gerere Christi, qui modò thura Idolis adolendo, fuerat mancipium diaboli, Cy-

prianus in eius audaciam inuehitur, & temerariam redeundi ad altaria pruriginem non tam fidei & pietati adscribit, quàm libidini & auaritiæ: Ægrè siquidem ferebat Fortunatius sibi lucella excidere, quæ priùs è symbolica Christianorum stipe corradebat: dolebat se arceri à conuiuiis, in quibus aqualiculo tam incontinenter famulabatur. *Nec mirum*, inquit Cyprianus, *si consilia nostra, aut Domini præcepta nunc abnuunt, qui Dominum negauerunt. Stipes & oblationes & lucra desiderant, quibus priùs insatiabiles incubabant, & cœnis atque epulis etiamnunc inhiant, quarum crapulam superstite in dies cruditate ructabant, nunc manifestissimè comprobantes nec antè se Religioni, sed ventri potiùs & quæstui, prophana cupiditate seruisse.* Cæterùm, quis huic ærario præfectus esset, & apud quem pecunia deponeretur, indicat Iustinus Martyr loco citato, vbi præpositum, seu προεστῶτα, (quo nomine Episcopum seu Christiani cœtus præsidem intelligit) notat eius esse pecuniæ sequestrum ac dispensatorem, τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, &c. *Quod collectum est, inquit, apud præpositum deponitur.*

Cyprianus epist. 26.

Quis præfectus ærarij Christianus

Iustinus Mart. apol. 2.

Probabile est autem, successu temporis, Episcopos in grandioribus negotiis occupatos, Ecclesiasticæ pecuniæ curam & œconomiam in Diaconos reiecisse: nam Diaconos sua ætate huic sacro ærario præfectos docet Origenes Homil. 15 in Matth. vbi Christi, mercatoribus & nummulariis, qui templi vestibula occuparant, indignantis censuram torquet in Diaconos sacra pecunia abutentes,

Origenes Homil. 15. in Matth.

Diaconi, inquit, *qui non benè tractant* Ecclesiasticarum *pecuniarum mensas, sed semper de ijs fraudant, & ipsas quas dispensant non secundum iustitiam dispensant, & diuites fiunt de rebus pauperum, ipsi sunt nummularij pecuniarum mensas habentes, quas* Christus *euertit.*

In quos vsus sacrum patrimonium expendebatur.

In quos verò vsus insumerentur communes pecuniæ prælaudati authores satis produnt, qui omnes annotant ex ærario Ecclesiæ nutritos pauperes, defensos orphanos, Martyres in carcerum fœtore iacentes, petitis inde subsidiis leuatos, & eorum, qui ad metalla damnati essent, calamitatem delinitam. Ita enim ait Iustinus apologia citata. *Prepositus*, inquit, *inde opitulatur pupillis, viduis, & his, qui propter morbum vel aliam caussam egent, quique in vinculis sunt, & peregrè aduenientibus hospitibus, & vt simpliciter dicam* : πᾶσι τοῖς ἐν χρεία οὖσι κηδεμὼν γίνεται: *omnium in egestate versantiũ curator est* : Similia habet Tertullianus in apologetico. *Hæc, inquit, deposita pietatis sunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque & pueris ac pupillis re ac parentibus destitutis, ætatéque domitis senibus: item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex caussa sectæ* Dei.

Iustinus apol. 2.

Tertull. in apologetico

Imo vero si qui, antequam fidem Christo darent, fœdis artibus victum quærebant, illi tandem in Christi familiam adlecti, cum ab istis artibus nefariis cessare cogerentur, ex publico Ecclesiæ demenso victitabant: ne incommodum suis rebus Christum quererentur, qui fauentem an-

Digitized by Google

tea dæmonem erant experti. Ea propter Cyprianus increpat histrionem quendam, qui repudiato theatro, cum Christianus factus fuisset, attamen vicarios ludiones sibi suffecerat, qui eius in locum Comœdias populo darent. nam frustra huic arti spurcissimæ excusationem paupertatis obtendi, ait Cyprianus. *Si*, inquit, *penuriam talis & necessitatem paupertatis obtendit, potest inter cæteros, qui Ecclesiæ alimentis sustinentur, huius quoque necessitas adiuuari, si tamen sit contentus frugalioribus & innocentibus cibis. Nec putet salario se esse redimendum, vt à peccatis cesset, quando hoc non nobis, sed sibi præstet.* Licet vero communis hic riuus Ecclesiasticarum pecuniarum in omnes difflueret, non tamen æquis portionibus & paribus sportulis, omnes Ecclesiæ pauperes donabantur. Ratio habebatur ab Episcopo, ætatis, conditionis, ac dignitatis. Si quos enim, in odium fidei, Gentilium furor, ex opulenta & illustri fortuna in calamitatem extremam cōpegisset, illis quia liberalius & honestius essent educati, largior quoque & amplior annona pendebatur. Ita etiam senibus ætate aut morbo confectis victus parabatur mitior & delicatior: & hoc est quod diserte docet Origenes Homilia trigima prima in Matthæum. *Non enim simpliciter*, inquit, *de rebus Ecclesiasticis dare oportet, vt vnum hoc obseruemus, & ne quæ pauperum sunt deuoremus, aut furtum faciamus, de eis: sed vt prudenter intelligamus indigentium caussas, propter quas sunt indigentes, & vnusquisque dignitatem, quomodo aduocatus est, quantum ne-*

Cyprianus Epistola 38. ad Eucrat. 1.

Origenes hom. 31. in Matthæum.

cessarium habet, vel propter quam caussam indiget. Non *ergo similiter agendum est in iis, qui ab infantia duriter sunt educati, & stricte, & in iis qui large & delitiose nutriti sunt, & postea ceciderunt. Nec eadem sunt ministranda viris & mulieribus, aut multum senibus & iuuenibus & debilibus, & qui propterea non possunt sibi acquirere escas, & iis qui vel ex parte possunt sibi succurrere. Requirendum est autem, & si multos habeant natos non negligentes, sed omnia facientes, & non sibi sufficienter occurrentes, & ne plura dicamus multâ sapientiâ opus est ei, qui vult bene dispensare Ecclesiasticos reditus, vt etiam in istis fidelis & prudens dispensator inuentus, beatus efficiatur.*

Stipes collatæ ad ornatum Ecclesiarum.

Cum itaque feruerent apud veteres Christianos pauperum studia, & in eorum gratiam maxime, ærarium publicum haberetur: aliunde tamen reperio etiam in ornatum & splendorem Ecclesiarum stipes ab eis collatas: ne quod hominum miseriæ liberaliter indulgebant, illud diuinis honoribus amplificandis viderentur denegare: Testem cito eius consuetudinis Origenem Homilia decima in Iosue, qui studium ornandarum Ecclesiarum inutile esse Christiano dictitat, nisi præcordia virtutum ornamentis fulgeant & mens studiis rerum optimarum simul exculta, quasi iucundissimum hospitium, diuinæ Majestati, sua amœnitate blandiatur. *Si qui,* inquit, *sunt in nobis, quorum fides hoc tantum modo habet, vt ad Ecclesiam veniant & inclinent caput suum Sacerdotibus, officia exhibeant, seruos Dei honorent, ad ornatum quoque altaris &*

Origenes homil. 10. in Iosue.

Ecclesiæ aliquid conferant, non tamen adhibent studium, vt etiam mores suos excolant, &c. sciant sibi partem esse à Iesu Domino cum Gabaonitis tribuendam.

Inuenio & alium sacræ pecuniæ vsum. Nempe cum dira æstuaret persecutio, & Christiani scirent iram tyrannorum aliter placari non posse, quàm si eorum auaritiæ litaretur; non nunquam, vt sese ex graui & diuturna iactatione colligerent, & aliquid captarent quietis, solebant tributum & vectigal ex cõmuni ærario pendere sicq; fortunarum dispendio aris & sacris securitatem impetrabant. Id vero potissimum haurio ex Tertulliano, qui morem hunc quasi inlicitum & Christo iniuriosum carpit, quia nimirum eo census genere, infames quoque sectæ & turpissimorum hominum collegia, solerent artium nefandarum licentiam emereri ac impetrare. *Quid non timiditas persuadebit quasi & fugere scriptura permittat & redimere præcipiat. Parum denique est si vnus aut alius ita eruitur. Massaliter totæ Ecclesiæ tributum sibi irrogauerunt. Nescio dolendum an erubescendum sit? cum matricibus beneficiariorum & curiosiorum, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones, Christiani quoque vectigales continentur.* Verum hoc vectigal recens & sua tantum ætate Christianis impositum liquet ex eodem Tertulliano, qui paulo ante ait à nemine vnquam Imperatorũ Christianos factos esse vectigales. Hæ fuerunt opes, hæc œconomia nascentis Ecclesiæ; his initiis in eum splendorem eue cta est, quem inuidia

Alius vsus sacræ pecuniæ in placandis tyrannis.

Digitized by Google

sæculi lacessit, cui etiam boni aliquando, & Religiosi viri obstrepunt: ne si diuitias & opes Ecclesiæ defendant, videantur nata ex iis vitia luxuriem, fastum, contentiones & dissidia propugnare.

Interim vero referamus assidue oculos in majorum nostrorum imaginem, quibus in tenui fundo, angustáque recula, tanta pauperum vigebat sollicitudo: Erant illi in sordibus generosi, in vulneribus fortes, in penuria liberales. Habuit inuictos athletas, indomitos milites Ecclesia, quamdiu stipendiis caruit, nec sincerioribus votis vlli Christum coluerunt, quam quos ad nobilem militiam sola impellebat suppliciorũ expectatio.

Nunc animum nobis mentemque fregere diuitiæ: prodidit seipsum largitate stipendiorum & honorum profusione Imperator noster: deumque pertæsus calamitatis Ecclesiasticæ, otium Clero & quietem indulget, tam illustri munificẽtia milites suos nó magis opulentos habuit quá vecordes. An nulli sunt, qui inanibus honorum aucupiis deliniti, Christum abjurant, qui amplissimas dignitates, scelere & perfidia sectantur, quas non possunt virtute ac doctrina promereri. Majorum nos pudeat necesse est: & tamen quid sumus nisi illis succedimus? Quoties Petri, quoties Pauli, quoties Apostolorum nomina reclamamus, si dignitatis nostræ & honoris fundamenta tentantur? Filij sanctorum sumus, reuera filij: sed tamen rebelles, ingrati, contumeliosi, nisi patrum vitam amplectimur, nisi diuitias in pauperes spargimus, nisi

nisi vt in dignitate constitutos veneramur : ita in imis subselliis languescentes erigimus, nisi quos Sacramentis & Christi corpore pascimus, eosdem necessariis vitæ præsidiis instruamus, ne pluris facere pecuniam, quam Christi corpus & caduca fortunæ membra, supra sanguinem Agni immaculati videamur æstimare.



Digitized by Google

Digitized by Google



LIBER SECVNDVS.

DE BONIS ET POSSESSIONIBVS ECCLESIARVM A TEMPORE Conſtantini Magni.

PRÆFATIO.



ATIS hactenus cum mala fortuna luctatum: quas enim vires populorum odia & tyrannorum furor huc-uſque in Eccleſiam non armauit? quibus artibus dæmonum inuidia naſcentem Chriſti gloriam non aggreſſa eſt? vicit tamen patientia Martyrum, dumque Eccleſia ſuorum cladibus creſcit, dum viuit mortibus, & per ſupplicia ac carceres illuſtratur; tamdem excuſsâ freneſi orbis reſipiſcens adorare cogitur, quod expugnare non potuit. Quas enim vltra machinas ſtrueret in Eccleſiæ ruinam, Principum ingenioſa ſæuities? Quos faceret in poſterum in ea euertenda conatus? Agnoſcant neceſſe eſt

ſub Conſtantino fruitur, eius conſtantiæ ac generoſis facinoribus quaſi præmium reſeruaſſe.

Verùm quid præmij nomine, diuitias, pacem, & otia amœniora complector. Hoſtes ſunt, ſed blandioribus machinis armati, qui eò facilius vincunt, quo videntur non tam ad nocendum quàm ad delectandum comparati. Non caret itaque inſidiis bona fortuna, cum hac quoque pugnandum eſt: parum eſt Eccleſiæ infortunati ſæculi viciſſe tempeſtatem & iniurias, ſi in otio & rerum omnium vbertate pereat, ſi quam odia Principum debilitare non potuerunt, ea amoribus ac beneficentia opprimatur. Spectandæ itaque ſunt Eccleſiarum opes, vt patrimonium aliquod ſacrum, partum ſanguine Chriſti & Martyrum. Quis vero de doloribus Chriſti luxuriam ſuam ſine atroci ſcelere nutriat? quis de contumelia Sanctorum ſine ſacrilegio inſoleſcat? quis eorum tormenta in delicias mutet? & quod Deo ac Religioni dicatum eſt, velit impuro facinore vitiis ac libidini conſecrare? Olim grande piaculum fuit & monimentum eiuratæ impietatis, cùm nefarius quidam ſtatuam Herculis ligneam incideret, & eiuſdem fragmentis ad rapas coquendas vteretur: creditus eſt Deum neſcire, qui deorum ruinâ prandium ſibi componeret, & Herculem tot monſtrorum victoria ſuperbum ſordenti culinæ tam turpiter immolaret. Athenagoras in legatione pro Chriſtianis.

Quis ergo Chriſtianos eſſe meritò non dubitet, qui pacem & quietem Eccleſiæ emptam tot cla-

dibus ac tormentis ſpurciſſimis ſceleribus fœdant, & populorum vota ac pietatem cogunt vitijs ac impietati ſubſeruire.

Nouerint ergo ſacrorum Præſides quid ſibi in rem & dominium Chriſti liceat, quos in vſus ſacræ opes erogandæ, ſic pecunias & reditus Eccleſiarum quaſi Chriſti ſanguinem curent, quem nefando ritu dæmoni libant, quotquot de altarium fructibus luxuriantur.

Atque vt olim malitiam Principum & populorum ſæuitiam vicit conſtantia Præſulum; ita de eorumdem amicitia, & beneficijs triumphum inſtituat moderatio: doceat Eccleſia ſe nec aduerſis premi, nec ſecundis intumeſcere, quia res ſuas vel proſperas vel aduerſas, vnius Chriſti vel iactura vel poſſeſſione metitur. Sic inſolens quorumdam furor facilè retundetur, qui ſuas opes perpetuò Eccleſiæ improperant. Sic Politicorum artes omnes & machinæ corruent, qui Eccleſiam Imperijs infeſtam & rebus publicis ominoſam perpetuò obſtrepunt, quaſi Principum maieſtatem prędata, de Regnorum ſpoliis, ſuum ipſa ſplendorem conſarcinarit.



LIBER SECVNDVS.

DE BONIS ET POSSESSIONIBVS ECCLESIARVM, A TEMPORE Constantini Magni.

CAPVT PRIMVM.

Qui Reges & Principes in Ecclesiæ bona, eorumque incrementum leges tulerint.



AC ne videamur quidquam dissimulare, earum rationum, quibus Ecclesiæ pacem ac diuitias incessunt: prodeant in medium omnes, si fieri potest, Reges ac Principes, qui Edictis suis prohibuerunt, quominus Ecclesia bonorum accessione cresceret, aut qui in eius patrimonium manus immisêre: videamus quamdiu hæc Edicta durauerint, quibus caussis proclamata, qua ratione abrogata, ac tandem quibus præmiis cœlitùs donati, qui aris & templis dotes condictas, & sacerdotibus constituta stipendia minuerunt.

ex lege Constantini acceperant, ita demonstratæ restituerentur, de his quæ erāt à Iuliano exacta, testificari possunt.

Ex quibus patet, Iulianum Ecclesias repetundarum postulasse, & vindicasse à Clericis, non solū ea quæ possidebant ex donatione Constantini, sed etiam omnes fructus & census anteactorum temporum crudeliter exegisse, adeò vt Ecclesia cogeretur tantùm restituere, quantùm percepisset.

Et ne quid opum ac fortunarum Christianis relinqueret, illorum libertatem tributo compescuit, & constituit, ne cui liceret palam esse Christianū, nisi qui eius nominis licentiam pecuniâ emisset ab Imperatore Ita Socrates, *Cùm sine pecunia bellum geri nō posse animaduerteret, pecuniā veteratoriè extorquere cogitauit. Nam illis, qui sacrificare renuebant, mulctam imposuit pecuniariam: ipsaque exactio in verè Christianos seuera & exquisita fuit, nam quisque pro facultatum proportione tributa pensitauit,* &c. Apud Socratem libro tertio, cap. 11. Socrates l. 3. hist. Eccl, cap 13 Niceph. lib. 10. c. 4. & 5.

Impius ille Barbari furor cita morte restinctus est, nec diu permisit cœlum desertorem fidei Imperatorem, de Christianorum seruitute gloriari. Successit Iouinianus, qui iura & libertates Ecclesiæ restituit, & acceptas clades à Iuliano, liberaliter iuxta ac religiosè instaurauit. Nec quidquam posteà in Ecclesia tentatum: donec auaritiâ quorumdam è sacerdotali catalogo, passim in simpliciorum opes inhiāte, & meticulosas anus spoliante, Valens & Valentinianus largitioni publicæ,

Cod. Theodos. lib. 16. tit. 2. l. 20.

qua omnes Ecclesiam certatim ornabant, modum imposuerunt lege latâ, quæ extat in Codice Theodosiano, lib. 16. titulo 2. in qua sic rescribunt Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus ad Damasum Vrbis Romæ Episcopum. *Ecclesiastici, aut ex Ecclesiasticis, vel qui continentium se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillarum domos non adeant, sed publicis exterminentur iudiciis, si posthac eos ad fines earum, vel propinqui putauerint deferendos: Censemus etiam vt memorati nil de eius mulieris, cui se priuatim sub prætextu Religionis adiunxerunt, liberalitate quacumque, vel extremo iudicio possint adipisci, & omne in tantum inefficax sit, quod alicui horum fuerit derelictum, vt nec per subiectam personam valeant aliquid, vel donatione, vel testamento percipere. Quinetiã, si fortè post admonitionem legis nostræ, aliquid iisdem ex fœminæ, vel donatione, vel extremo iudicio putauerint relinquendum, id Fiscus vsurpet, & cætera. Lecta in Ecclesiis Romæ 3. Kalend. Augusti. Valentiniano & Valente iij. A. A. Conss.* Qua lege videmus prospectũ imbecillitati muliercularum, quæ superstitioso metu vexatæ, Sacerdotes ad speciẽ seueros, muneribus ac congiariis demulcent, & quidquid longâ serie curarum & annorum simul congesserunt, id illis liberalissimè impertiuntur, dummodo velint anxium & nutantem earum animum certa expectatione æternitatis delinire. Tales erant quidam Valentiniani temporibus, hæreditatum aucupes mulierum (vt ita dicam) pædagogi, quibus inferorum horror metusque pro fundo erant, qui ve-

lutinito cum Numine pacto, æternitatem vendebant, & cœlum, quod gratis fuso sanguine vniuersis quæsitum est, turpi nundinatione mercabantur.

Non ergo in aras & in templa lex lata est, sed in auaritiam & sordes, in præstigias quorumdam, sub specie pietatis, turpissima lucra sectantium, qui fabulosi instar Mercuri animas pro libidine orco immergunt aut excitant, Deum aut placant aut incendunt, & quasi fulminum arbitri, simulque serenitatis diribitores, pacem cœlorum & fauorem pretio distrahunt: denique simplicissimis mentibus facillimè persuadent Deum iis non posse irasci, quos amicè appellant, & benignè complectuntur. In eos verò scriptam hanc legem docet Hieronymus ad Nepotianum: *Pudet dicere, Sacerdotes idolorum Aurigæ, Mimi, & scorta hæreditates capiunt: solis Clericis id lege prohibetur: & prohibetur non à persecutoribus, sed à Principibus Christianis: nec de lege conqueror, sed doleo cur meruimus hanc legem: Cauterium bonum est, sed quo mihi vulnus, vt indigeam cauterio: & tamē nec sic frænatur auaritia: per fidei cōmissa, legibus illudimus,* &c. Addit subinde artes sordidas, quibus plerique Clericorum viduas & simpliciores matronas æruscarent & hæreditates aucuparentur. *Audio præterea in senes & anus absque liberis, quorumdam turpe seruitium: ipsi apponunt matulam, obsident lectum, purulentiam stomachi, & phlegmata pulmonis manu propria suscipiunt, pauent ad introitum Medici, trementibusque labijs an commodiùs habeant sciscitantur,*

Hieron. ep. ad Nepot.

& si paulum senex vegetior fuerit, periclitantur, simulataque lætitiâ mens intrinsecus auara torquetur, timent enim ne perdant ministerium. Vnde apparet Patres non tam Imperatoribus, quàm nequitiæ suorum temporum indignatos, quibus & Monachi & Clerici Christianæ simplicitatis immemores diuitias sub Christo captabant, quas in sæculo non habuissent. Et certè Ambrosius, vbi istius legis meminit, non tam iniustitiæ damnat, quàm eâdem vtitur ad refellendas Gentilium querelas qui alimenta publica suis eripi sacerdotibus impatientissimè vociferabantur. *Sacerdotibus quoque suis queruntur alimenta publica non præberi: quantus hinc verborum tumultus increpuit? At contra nobis etiam priuatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur: non enim putamus iniuriam quia dispendium non dolemus.*

Ambrosius aduersus Symmachum.

An vero vltra fœminarum testamenta legis vigor extendatur, dubium esse potest. Nam vbique dum vetant leges, aliquid Ecclesiæ testamento legari, loquuntur tantummodo de testamentis fœminarum, quarum facilitati Imperatores fræna iniecerunt. Dum enim religiosis personis omnia temere profundunt, religionem qua posteris iubentur consulere, violant: & dum pietati student, in pietatem, qua vniuersos natura informauit videntur peccare. Et certe lex 27. de testamentis fœminarum tãtummodo mentionem facit. *Nulla nisi emensis sexaginta annis, cui votiua domi proles sit, secundum præceptum Apostoli ad*

Cod Theodos. lib. 16. tit. 2 l. 27.

Diaconissarum consortium transferatur : tum filiis suis (si idætas poscit) curatore petito, bona sua idoneis sedula religione gerenda committat, ipsa tantum prædiorum suorum reditus consequatur, &c. *Nihil de monilibus & supellectili, nil de auro, argento, cæterisque claræ domus insignibus, sub religionis defensione consumat, sed vniuersa integra in liberos proximos, vel in quoscunque alios, arbitrij sui existimatione transcribat : si quando diem obierit, nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum pauperem scribat hæredes.* Lata est lex ista à Valentiniano, Theodosio & Arcadio vndecimo Calend. Iul. Mediolani Valentiniano Aug. IIII. & Neotherio Consul.

An vero lex ista diu viguerit, an contraria consuetudine populi indignantis pietati suæ fræna iniici, sit abrogata, nescitur. Certum est tamen eas leges non fuisse in Codice Iustiniani comprehensas sed reuulsas, quasi Ecclesiæ, cuius gloriæ boni Principes seruiunt, ignominiam adferrēt: E contra vero Iustinianus sanctissimo Edicto, quod habetur lege quadragesima sexta Codice *de Episcopis & Clericis*, constituit ratas esse eorum voluntates, qui supremo & vltimo mandato Ecclesiæ, aut Xenodochio, aut omnino religiosis domibus aliquid reliquissent. *Sancimus si quis moriens, piam fecerit dispositionem, vel per institutionis modum, vel per legatum, aut fidei commissum, aut mortis caussa donationem, vel alium quemcumque modum legitimum, siue iniunxerit Episcopo curam gerere vt impleantur, quæ ipse voluit, siue hoc reticuerit, siue etiam*

L. 46 Cod. de Episc. & Clericis.

Lex ista habetur in recēs excusis codicibus non alibe desideratur.

in contrarium prohibuerit, necessitatem habere hæredes facere, & adimplere omni modo, &c.

Qui Iustiniani gradum locumuè tenuerunt successores, non omnes pietatem sunt assequuti. Ex his enim, complures Ecclesiam atrocibus edictis vexarunt, eiusque diuitias ac facultates quasi crimen & piaculum sunt execrati.

Anno 717. Leo Iconomachus non mitior in Ecclesiæ bona fuit, quam in imagines: has enim euertit, illa vero tributo annuo oppressit; constituit quippe, vt omnia Patrimonia Ecclesiarũ Romanæ ciuitatis, & maxime Sanctorum] Apostolorum Petri & Pauli vectigalis nomine taléta tria cum dimidio, fisco importarent. Τὰ δὲ λεγόμενα, πατριμόνια, τῶν ἐν Ῥώμῃ ναῶν τῶν ἁγίων καὶ κορυφαίων ἀποστόλων ἐκ παλαι τελούμενα τάλαντα τρία καὶ ἥμισυ τῷ δημοσίῳ λόγῳ τελεῖσθαι προσέταξαν. Vt est apud Bonefidiũ pag 3. Post hunc Nicephorus Primus, anno 801. tributum vniuersis Ecclesiarum domibus ac prædiis imposuit, quod καπνικὸν dictum est, seu fumarium, quia per fumaria pendebatur. Idem quoque religiosis domibus cruento diplomate bona vniuersa ademit, mali certe exẽpli Imperator. Cui successit in feritate & Imperio Theophilus, qui disciplinæ Ecclesiasticæ contemptor, Monasteria solitudini, ac silẽtio dicata cótuberniis sæculariũ ac prophanę turbæ commercio inquinauit, anno circiter 824.

Sequentibus annis non inuenio modum esse Neceph. Phoc. circ. an. 963. impositum piæ testatorum dispositioni, nec prohibitum Ecclesias hæredes, scribere, ant etmpora Nicephori Phocæ. Is enim circa annum 963.

ab ortu Christi, constitutionem edidit, ne cui religiosas domos liceret de nouo condere, aut antea conditas bonorum incrementis locupletare: si quas vero eiusmodi domos iniuria temporum afflixisset, permisit instaurari, & suffecta ad Monachorum, aut Clericorum alimoniam dote ornari: Qua autem ratione pressus, publicam largitatē à Monasteriis & sacris domibus auerterit, ipse explicat dicta nouella, quæ extat apud Leunclauium, lib. 2. Iuris Orientalis, pag 114. & seq. *Quum, inquit, Monasteriorum sacrarumque pietatis officinarum manifestissimum morbum intueor: morbum enim appello, hanc insatiabilitatem, quod huic malo remedium excogitem, nescio, quaue ratione modi excessum coerceam. Quibus enim patribus obsequentes, aut vnde nacti occasiones, ad tantam superfluitatem & vanam insaniam, vt cum Dauide loquar, exorbitarunt: dum infinita terræ iugera, structuras ambitiosas, greges equorum, boum, camelorum, iumentorum, aliorum innumerabilium, singulis horis acquirere student, totamque animi curam in hæc intendunt: adeo vt ista studia Monastica, nihil à vita mundanâ, multisque sollicitudinibus æstuante differant.* Queritur itaque Imperator turgere bonis Monasteria, auaritiæ cupiditatibus religiosos abripi, fucum fieri consilio Christi, dum relictis pauperibus, quos fames premit, latifundia iis erogantur, qui iāpridem diuitiis & omni bonorum genere superfluunt. Vnde ita concludit ὥστε ἀπὸ τοῦ νῦν μηδενὶ ἐξέστω μὴ ἀγροὺς μὴ τόπους, μοναστηρίοις ἢ γηρωκομείοις ἢ ξενῶσιν ὁπωσοῦν παραπέμπειν, ἀλλ' οὐδὲ μητροπόλεσιν ἢ ἐπισκοπείοις,

Leunclauius tom. 1. lib. 2. Iuris Orientalis pag. 114.

οὐδὲ γὰρ οὐδὲν ἐκείνοις λυσιτελεῖ. *Itaque ab hoc tempore nemini liceat, nec fundos agrosue, nec loca Monasteriis aut Gerocomiis, aut Xenonibus quocunque modo transmittere, adeoq; nec alicui metropoli, vel Episcopatui, nec enim hæc illis quid conducunt.* Cæterùm euanuit citissimè dura ista Phocæ Imperatoris constitutio. Nam à tempore istius legis, res Imperatorum pessimè ire ceperunt: indignata seueritati Prncipum bona fortuna auolauit. Successere calamitates, morbi, clades & miseriarum omne genus, quas vt auerteret Basilius qui Porphyrogonetes est appellatus, & iram Numinis sedaret, ignominiosam hanc Clero & Monachis legem meliore sanctione abrogauit. In hac imprimis agnoscit constitutionem Nicephori Phocæ fontem & originem malorum extitisse, quibus ab eo tempore res Imperij vexata est. *Diuinitus, inquit, constituta Maiestas, quam & à Monachis quorum testata pietas, & ab alijs multis cognouerit legem à Domino Nicephoro vsurpatore Imperij de Ecclesiis Dei Religiosisq; domibus latam, tum præsentiū malorum, tum vniuersalis huius subuersionis, atque confusionis caussam extitisse, veluti, non ad injuriam contumeliamque dumtaxat Ecclesiarum & Religiosarum domuum, sed ipsius quoque Dei conditam.* ἅτε μὴ πρὸς ἀδικίαν καὶ ὕβριν τῶν ἐκκλησιῶν μόνον καὶ τῶν εὐαγῶν οἴκων, ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ τοῦ θεοῦ γενομένην, &c. de eodem quoque Nicephori Edicto, & contraria Basilij constitutione vide Balsamonem in Canonem primum Synodi Constantinopolitanæ. Cæterum in Græcia non reperio Principum deinceps odiis laborasse Eccle-

Basilius Porphyro. apud Lenucla. p 117. tom. 1 l. 2. Iur. Orient.

siam

siam antequam Saracenorum infami iugo subderetur. Nisi quod apud Innocentium III. lib. 5. Epistolarum, Epistola 110. legimus quendam Otonem de Roca, Dominum Athenarum, aliosque milites & Barones Imperii, atroci Edicto vetuisse, ne quis de possessionibus suis in vita sua Ecclesiæ quidquam conferret, vel in vltimo consilio testamento relinqueret. Eâ causâ mandat Innocentius Archiepiscopo Thebano, Daualiensi & Synodiensi Episcopis, vt compellant præfatos nobiles Edicta sua reuocare, alioquin Ecclesiasticam censuram in eosdem exerceant.

CAPVT II.

DE LEGIBVS FRANCIÆ, BELGII, *Angliæ, Hungariæ circa bona Ecclesiæ.*

QVod verò ad alias regiones pertinet, certè nemini prohibitum est vnquam Ecclesiam hæredem testamento scribere: nam si Galliam adeamus, iam ante tempora Clodouei, opibus abundasse Ecclesias in Gallia, satis produnt ea quæ passim à Gregorio Turonensi referuntur. Cap. 23. libri secundi refert potestatem bonorum Ecclesiæ fuisse, Sidonio Auernorum Episcopo ablatam malis artibus & calumniis quorumdam Presbyterorum, qui eius innocentiam rapinæ & auaritiæ

In Gallia opes habuit Ecclesia ante Clodoueum.

falsis accusationibus lacessebant, *Surrexerunt*, inquit, *contra eum duo Presbyteri, & ablata omni potestate de rebus Ecclesiæ, arctum ei victum & tenuem relinquentes, ad summam eum contumeliã redegerunt.* Ex quo patet res Ecclesiæ alicuius fuisse nominis & momenti. Quis enim in paupere fundo rapinam exerceret? Cap. 7. lib. eiusdem, refert exercitum Clodouei in Ecclesias irruisse & multa ex eis vasa pretiosa abstulisse: at nisi Ecclesiæ apud Gallos diuites extitissét, non fuissent tanta multitudine pretiosæ suppellectilis instructæ, quæ ad irritandam militum rapacitatem sufficeret. *Eo tempore multæ* Ecclesiæ *ab exercitu* Clodouei *deprędatæ sunt: quia erat ille adhuc fanaticis erroribus inuolutus. Igitur de quadam* Ecclesia *vrceum miræ magnitudinis ac pulchritudinis hostes abstulerant cum reliquis* Ecclesiastici *ministerij ornamentis*, &c.

Greg. Tur. lib. 2 c. 23.

E testamento verò D. Remigij liquet complures per Galliam Ecclesias bonis ac fortunis non mediocribus ornatas fuisse: quippe illic D. Remigius profitetur se, dum Clodoueus adhuc cæcâ perfidiâ laboraret, nil quidquam voluisse de eius beneficentia in proprium commodum vertere, aut Ecclesiæ suæ vindicare, donec vniuersis Galliarum Ecclesiis, quæcumque fuerant ablata restituerentur. *Et quia*, inquit, *ex omnibus Episcopis Galliarum, pro fide & conuocatione Francorum potissimùm me laborare cognouit, dedit mihi Deus tantam gratiam in conspectu eius, virtusque diuina, quæ per Spiritum sanctum me peccatorem plurima signa ad salutem prefatæ*

Gentis operari fecit, vt non solum ablata omnibus Ecclesiis regni Francorum restitueret, sed etiam de proprio, gratuitâ bonitate plurimas ditaret Ecclesias. Neque prius de Regno eius, quantum passus est pedis Ecclesiæ Remorum iungere volui, donec vt hoc omnibus Ecclesiis adimpleret, obtinui.

Recepto tandem in familiam Christi Clodoueo, constat ipsum non modo non prohibuisse, quominus Ecclesiæ testamento aliquid caperent, aut donatione ad pias caussas ditarentur. Imò verum apparet ipsummet exemplum præbuisse populis piæ largitionis: nam vt constat eodem testaméto D. Remigij apud Flodoardum multa Ecclesiæ prædia, multa sacra ornamenta donauit, quibus æternitati pietatem suam consignaret Ita & Ecclesiam Arelatensem à B. Hilario legimus numerosis hæreditatibus à populo receptis ampliatam.

Flodoardus

Prosper de vita contéplat lib.2 c. 9. & refert 12 qu. 1.c. expedit.

Licet verò passim omnibus liceret apud Francos patrimonium in Ecclesias profundere, & pietatem largitate testari: attamen quod prophanas possessiones Ecclesia capere possit, id inter beneficia & concessiones Principis enumerat Faber ad leg. *quoties, de rei vindicatione*, qui cùm legem eam apud Francos vigere asserat, ne Ecclesia absque priuilegio, laicorum donis augeatur: attamen Legis & Edicti istius caput non citat: sed allegat Legem *Sacra loca, ff. de rerum diuisione*, de qua suo loco dicemus.

Igitur primis illis temporibus, in Gallia nilten-

tatum est, quod bonis & facultatibus Ecclesiarum officeret, ante Decretum Clotarij, qui Clodoueo successit. Is fortè rerum angustiis pressus, & inopia pecuniarum, in qua vires Imperij maxima ex parte versantur, indixerat vt omnes Ecclesiæ Regni sui, tertiam partẽ fructuum Fisco dissoluerẽt, illud verò licet inuiti omnes Episcopi cõsensissent, atq; subscripsissent, Attamen *Beatus Iniuriosus suspiciens subscribere dedignatus est, dicens, Si volueris res Dei tollere, Deus regnum tuum velociter auferet, quia iniquum est, vt pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur: Et iratus contra Regem nec valedicens abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem beati Martini, misit post eum cum muneribus veniã precans, & hoc quod fecerat, damnauit, simulque rogauit, vt pro se virtutem Beati imploraret.* Post Clotarium, Chilpericus vetuit, ne testamento fas esset aliquid Ecclesiæ relinquere. At ea lex citò extincta per Guntranum, qui cùm Clericis & Sacercerdotibus impensè fauisset, res sacræ in tuto fuerunt ad ætatem vsque Caroli Martelli, quem primum in Ecclesiæ patrimonium vngues immisisse omnes ferè antiqui authores conqueruntur. Quippe inter æstus bellorum cùm ærarium Principis militaribus impensis non sufficeret, coactus est ex Ecclesiæ reditibus stipendia militibus & tribunis petere, iisdemque decimas in congiarium & beneficium impertiri. Eam ob rem laceratur eius nomen: nec vllus est tam infœlix stylus, quo non pungatur eius memoria, adeo vt ipsum istius

Clotarii Edictũ apud Greg. Tur. lib. 4 cap. 2.

sceleris pœnas dare apud inferos prædicent, & flammas voraces pascere, qui incontinenti voracitate Ecclesiarum facultates exedit: Magnum Chronicon Belgicum, *Sanctus Eucherius, quem idem Carolus in exilium miserat, & qui in Monasterio sancti Trudonis requiescit, in oratione positus & ad alterum sæculum raptus, inter cætera, quæ Domino ostendente conspexit, vidit ipsum Carolum in inferno torqueri: Cui caussam interroganti, responsum fuit ab Angelo ductore, Sanctorum iudicio, quorum res abstulit vel diuisit, ante illud iudicium anima & corpore sempiternis suppliciis fuisse deputatum.* Nec facto tantùm suo Ecclesiam vexauit Martellus, verùm etiam reliqui optimates, qui faciliùs vitia Principum imitantur, quàm virtutes colunt, ad eius exemplum res Ecclesiarum auferebant, & leui stipendio Sacerdotibus relicto, opimiores eius census ac reditus absumebant. Vnde Carolus magnus, vt Ecclesiæ spoliatæ inuidiam à se repelleret, & nefariam hanc bonorum Ecclesiasticorum partitionem intercluderet, vetuit in posterum res Ecclesiæ diuidi & militibus assignari. Ita enim habetur titulus cap. 83. lib. 2. Capitularium:

Magnum Chronicum Belgicum

Eam narrationem cõtinet Epist. Episcoporũ Franciæ ad Ludouicũ

Anno Dominicæ Incarnationis D. CC. LXXIX. *Indictione xij. anno xxi. regni nostri actum est huius legationis Edictum, in Aquisgrani Palatio publicè, data est hæc xiij. die Kal. April. tempore Adriani Papæ, & Caroli Magni Imperatoris, quando Paulinus Episcopus tenuit vices Apostolicæ Sedis, in Aquis fuit factum Capitulum, propter hoc, quia Laici homines solebant diuide-*

De Ecclesiasticorũ prædiorum libertate, cap. 83 lib. 2.

re Episcopia & monasteria ad illorum opus, & non remansisset ulli Episcopo, nec Abbati, nec Abbatissæ, nisi ut velut Canonici & Monachi viuerent. Capitulum autem est eiusmodi, *Quia iuxta Sanctorum Patrum traditionem nouimus res Ecclesiæ vota esse fidelium pretia peccatorum & patrimonia pauperum cuique, non solum habita conseruare, verùm etiam multa Deo opitulante conferre optamus. Tamen ut ab Ecclesiasticis de non diuidendis rebus illius suspicionem amoueremus, statuimus, ut neque nostris, neque filiorum, & Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint ullam penitus diuisionem aut iacturam patiatur.*

Lib. 1. c. 83. pag. 844.

Omnes subinde Reges ipsius exemplum secuti, Ecclesiam multis opibus & priuilegiis ornarunt, adeoque liberam fecerunt potestatem prophanas possessiones adeundi, & relicta sibi prædia capessendi, modo tamen morticinij ius à Principe impetrarent: pro quo iure obtinendo, in fiscum principis certam pecuniarum summam Ecclesiæ olim intulerunt; ita legimus anno 1470. quadraginta septem millia librarum à Clero Neustriaco in fiscum Principis allata, vt iure manus mortuæ frueretur. Eadem morticinij prærogatiua Turonensium Clero concessa est mense Nouembri anno 1480. Confirmauit eam libertatem Normaniæ Clero Franciscus primus mense Iunio anno 1522. Clerus quoque Burgundiæ, Matisconêsis & Antisiodorensis pro eodem priuilegio impetrando fisco Regis intulerunt quinqua-

Ius morticinij quomodo à principe impetratum.

Renatus Chopinus de dominio Franciæ.

gena librarum millia mense Maio anno 1521. quod diploma Regis lectum fuit & probatum in suprema Curia Parisiensi anno 1523. leguntur & plurima eiusmodi in tabulis & scrinijs Cameræ rationum, de quibus dicendum nobis erit alio loco.

Cùm ergo in Galliâ nil decretum sit, quod Ecclesiarum ornamento & fortunis communibus officeret, priuatim tamen cautum est, ne aliqua collegia haberent facultatem coemendi Laicorũ prædia & possessiones. Sic à supremo Senatu olim statutũ est, ne liceret passim Cartusianis & Celestinis venália rura & fundos mercari: forsan ne in vnius aut alterius domus cómodũ, omniũ opes transirent, & earum frugalitas publicæ luxuriæ spoliis opimioribus ditaretur. Ita refert Papus in sylloge Arrestorum, titulo 7. Arresto. 3.

Quod verò ad alias nationes pertinet, video pace lætissima florentes Ecclesias bonis omnibus ad maiestatem vsque & pompam abundasse. In Anglia vix quisquam percensere possit Abbatiarum multitudinem, opes, priuilegia, quæ omnia intacta permanserunt vsq; ad Eduardum I. an. 1292. Is enim, suadente Guillelmo Marchiano, belli violentiâ pressus, sacras pecunias templis extulit, & militaribus impensis addixit, mediam quoque partem Ecclesiasticorum redituum occupauit: annuentibus tamen Prælatis, qui ab eo in fauorem Ecclesiæ, ius manus mortuæ postularunt.

In Belgio vero Carolus V. constitutione editâ anno 15.8. x. Kalend. Martias edixit, ne liceret in

posterum Sacerdotum Collegiis prophanas emere possessiones, alioquin si emerentur, aliter retineri non possent, quàm iure manus mortuæ à Principe impetrato.

Ante hoc tempus, nil duri molitum in Ecclesiam, nisi quod refert Meyerus Arnulphum comitem, si credatur Monasteriorum Chronicis, *multa Cœnobijs detraxisse, quę suæ diuisit nobilitati, vt in Cœnobio Gandensi, in pago Curtracensi Elisachiam Aldenghen, & Holthen*, &c. *Referunt Marsanienses ablatas sibi apud Baianas ab Arnulpho possessiones suas, quas eo defuncto, mox intercessione* Emmiæ *Reginæ, à Lothario receperunt. Eamdem ferre Bertininiani canunt cantilenam, quanquam illis penè omnia ante obitum restituerit.*

Meyerus 2. annalium Flandriæ ad ann 956. pag. 18.

Vt verò apud eas nationes, quæ idolorum frenesi maturè excussâ, Christum primis temporibus agnouerũt, Ecclesiarum opibus & latefundiis ornandarũ feruor incaluit. Vt Principes illi Constantinus, Clodoueus, aliique ignominiosam sibi purpurã duxerũt, quãdiu Sacerdotes Christi & sacræ legis Interpretes, in squallore & sordibus versarentur. Ita qui tardiùs Euangeliũ amplexi sunt, ad eorum exempla vitam instituentes, nil habuerunt antiquius, quàm Maiestatem Christi illustri loco ponere, per quam regnare, & in cuius vicẽ populis dominari se faterentur. Pudebat eos maiestatis suæ, quamdiu Christus inopiâ marcesceret, & verebantur ne magnitudine opum suarũ cum Religionis tenuitate comparatâ, non tam potentes

potentes in homines viderentur; quàm erga Deum ingrati.

Hac mente Stephanus, qui prophanum & insolentem cultum, nefariamque polytheiam ex Hungaria amandauit, sanctissimis legibus coli Sacerdotes & Religionum Præsides edixit, eorúmque dotes permisit, collatis prædijs & vniuerso bonorum genere amplificari. Ita enim habet decreti sui capite tertio, in quo capite filium hortatur ad reuerentiam & cultum gradus Sacerdotalis, *Regum*, inquit, *solium ornat ordo Pontificum, ac per hoc in Regali dignitate tertium possident locum Pontifices. Charissime fili, seniores illos ita custodias sicut oculorum pupillas: si illorum beneuolentiam habes, neminem aduersariorum timebis. Illis quidē te obseruantibus, eris securus in omnibus, illorum precatio commendabit te omnipotenti Deo. Illos enim Deus constituit Diuini generis custodes, fecitque speculatores animarum, ac totius Ecclesiasticæ dignitatis, ac diuini Sacramenti dispositores, & datores. Sine illis nec constituuntur reges nec principantur.* Stephan. Hungariæ Rex, Decretil. lib. 1. c. 3.

Regio certè digna pectore iudicia: quomodo enim populi principibus pareant, qui Deum nesciunt, aut quomodo vectigal pendent homini, qui se Deo vectigalem esse negat, & natiuis coloribus exaratam eius imaginem in sacerdote non veneratur. Omne sub regno potiore regnum est & Regum timendorū in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Iouis. Inde est quod idem Stephanus, lib. secundo Decreti, se tutorem ac defensorem rerum Ecclesiasticarum profite-

Stephanus Rex Hungariæ l. 2 decreti cap. 1.

tur. *Quisquis fastu superbiæ elatus domum Dei ducit contemptibilem & possessiones Deo consecratas, atque ad honorem Dei, sub Regiæ immunitatis defensione constitutas, inhoneste tractarit, vel infringere præsũpserit, quasi inuasor & violator domus Dei excommunicetur. Decet enim vt indignationem ipsius Domini Regis sentiat, cuius beneuolentiæ contemptor, & constitutionis præuaricator extitit.* Et capite quarto libri eiusdem concedit omnibus facultatem donãdi, & alienãdi quam voluerint bonorum suorum partem, etiam in fauorem Ecclesiarum. *Decreuimus Regali nostrâ potentiâ vt vnusquisque habeat facultatem sua diuidendi, tribuendi, vxori, filiis, filiabusque, atque parentibus, siue ecclesiæ, nec post eius obitum quis hoc destruere audeat.* Cum itaque Stephanus, qui postea sanctorum Catalogum auxit, multa Ecclesiæ contulisset, posteri eius & nepotes, ne à maiorum pietate deficerent, sed regni simul ac virtutum hæredes viderentur, Aui sui largitatem, magnis in Clerum effusis opibus cumularũt. Inde cum ex iure fisci multa in Ecclesiam transcripta fuissent, Regiumque domanium maximâ ex parte immiũtum, Colomannus Rex, tam immensas largitiones castigauit receptis sibi, & vindicatis quibusdam iuribus piscinarum & lacuum, quæ monasteriis antea concessa fuerant. Quamobrẽ reuocauit omnes donationes factas in fauorem Monachorum, præter donationem sancti Stephani. Id vero elicitur ex eiusdem Decreto. Nam capite primo confirmat donationem Stephani. *Placuit Regi & communi concilio, vt dotes*

cuiuslibet possessionis, seu Ecclesiis à Beato Stephano disposita inconuulsæ remaneant. Et cap. decimo quinto eiusdem Decreti, irrita decernit quæcumque ab alio quā à Beato Stephano essent donata Monasteriis. *Quia communis videtur valere curia, quominus suppetant necessaria, ne nostra abundantia in eius superfluat penuria, placuit omnes piscinas, præter quas Stephanus donauerit, summæ regali reddere. Quia indignum erat nobis recedentibus curialem nobiscum honorem recedere, vbi præstat nos & venientes copiam honoris inuenire. Similiter decreuimus piscinas monasteriis, vel Ecclesiæ datas, alias quidem reddere, sed necessarias quotidiano fratrum vsui relinquere: nullas vero nisi superfluas auferre.*

Hic locus corruptus est.

Licet vero Colomannus multa ab Ecclesiis receperit præsertim lacus & piscinas, quæ fortè maximum erant, & præcipuum fisci ornamentum: attamen sanctissime edixit, vt res Ecclesiæ immunes essent ab omni Comitum & militum violentia, qui vt plurimum rapinis & litibus Ecclesias vexāt, & inermen Clerū metu atq; auctoritate adoriuntur: & cum in hominū opes ac fortunas freti bellorum licentiâ grassari non possunt, Deum in pace prædantur: *Nullus* (inquit) *Comitum in Ecclesia præsumat sibi vindicare potestatem, præter solum Episcopum.*

Post Colomannum Ecclesiam illustrioribus priuilegiis quam antea ornauit Andreas eius nominis secundus, qui vixit & imperauit circa annum 1205. Is enim nobilibus Imperij sui indulsit singulari Decreto, vt si filios non haberent, quorum

commodis paterna pietas iuberet prospicere. possent Ecclesiam, & Monasteria vocare ad hæreditatem, illisque fundos & villas relinquere.

At Andreæ Regis beneficentiam, & singularem, in Ecclesias affectum repressit Lodoicus primus anno 1551. Is enim quęcumque priuilegia nobilitati concessa fuerant, nouo diplomate comprobauit. Et hoc vnum abrogauit quod ad Ecclesiarum emolumentum, & splendorem pertinebat *Prædictas* (inquit) *litteras ipsius Domini Andreæ secundi Regis Aui, & prædecessoris nostri charissimi, aureâ suâ bulla roboratas. &c. Acceptamus, excepto solummodo vno articulo prænotato, de eodem priuilegio: excluso videlicet quod nobiles homines, sine hærede decedentes possint, & queant Ecclesiis, vel aliquibus aliis quibus volunt in vitâ, vel in morte dare & legare, possessiones eorum, vendere, vel alienare. Imo ad ista omnia facienda, nullā omnino habeant facultatem: sed in fratres, proximos, & in generationes ipsorum possessiones eorumdem de iure, & legitime, pure & simpliciter absque aliquali contradictione deuoluantur.*

Confirmatio Ludouici probantis Decretum Andreę anno 1551.

Idem verò decreto singulari constituit, ne possent Abbates & Episcopi aliquid nouarum possessionum adipisci absque Regis, aut Reginæ priuilegio; *Episcopi quoq; Capitula, Abbates, Præpositi, & cæteræ possessionatæ personæ* Ecclesiasticæ, *possessiones nec requirere, nec retinere possunt, nisi cum litteris priuilegialibus Regiis, vel Reginalibus, aut iudicum vicem gerentium Regiæ maiestatis.*

Hæc sunt, maximâ ex parte, quæ de bonis ac

facultatibus Ecclesiarum Principes censuerunt, hæc Edicta quibus eius fundum opesque populorum pietate crescentes præciderunt; E quibus, si monimenta historiarum consulamus, constabit eos demũ fuisse inuictissimos ac fortunatissimos Principes qui in Ecclesiæ patrimonio defendẽdo, auctoritatis suæ neruos ac Imperij vires collocãdas esse duxerũt: Vnde enim Carlomanorum familia splendorem suum exorsa est? Vnde tot triumphorum sumpsit exordia, nisi ex Pipini in Ecclesiam Romanam affectu, ac propensione. Huius caussâ Galliam deserit, & ingenti exercitu è regni sui finibus educto, Astulphum Longobardorum Regem sedis Romanæ iura violantem compressit, adeóque Papiæ inclusum coegit fidem suam de non lacessendo amplius S. Põtifice datis quadraginta obsidibus obstringere. Quis non opes, fortunam, & felicitatem huic Principi spondeat, qui initia Imperij simul ac militiæ, in Vicario Christi propugnando, ac defendendo collocat, per quem felicitati nobis aditus patet. Nec semel verò hoc officio defunctus est. Iterum Astulphum res Italiæ turbantem, & noui aliquid aduersus Romanæ sedis priuilegia molientem aggressus est, & perfido ac rebelli superato, Exarchatum Rauennæ, S. Pontifici, vti decebat, victoriæ suæ fructum consecrauit. *Rauennam* (inquit Otho Frisingensis) *cum aliis plurimis vrbibus Italiæ Beato Petro designauit.*

Otho Frisingens. lib. 5. cap. 25. Abbas Vspergensis in Chronico. Sigonius de regno Italiæ.

Otho Frising. loco citato.

Nec religiosum minus, aut constantem in Ecclesiæ defensione Carolum Magnum Leo subin-

de Pontifex expertus est, qui ad iniuriam & contumeliã Christianæ genti in suo Præsule exoculato inflictam animatus & in Italiam profectus, & locum & dignitatem pulso atque exuli reddidit, ac tandem lætus de obsequio Religioni notis tam illustribus consignato, Galliam reuertitur: Lætior tamen futurus si vt dignitatem Leoni, ita oculos quoque suos reddere potuisset.

Iam verò Capetiorum familia, quibus initiis æternitatem famæ atque Imperii, quam ei spondent fata, auspicata est, nisi in rebus Ecclesiæ componendis, in cogendis militibus ac Imperii Proceribus, ad restituendum Sacerdotii patrimonium. Comitatus, Marchionatus, cæteraque honorum insignia, quæ infulas illustrant, prima sunt Capetiorum in Ecclesiam beneficia. Taceo tot profectiones bello sacro aduersus impios Christi hostes institutas, cæteraque eiusmodi propensioris in Ecclesiam animi monimenta: quibus esset vltra addendum nihil, nisi inuictissimus nepos LVDOVICVS *decimus tertius*, Auorũ pietatem & victorias simul vincisset, & hæresim pace daturus insolentem, multitudine copiarum superbam, exterarum gentium fœderibus, ac patrocinio exultantem, suis quibus ipsa incubuerat rupibus ac præsidiis, Magnanimo consiliorum Duce RICHELEO adiuuante, eiecisset. Sic optimi semper Reges Ecclesiam ornandam iuuandamque censuerunt, sic existimarũt annitendum esse bono Principi, vt res sacræ in tuto sint, neque cuiusquam prædaci; &

ſacrilegâ manu ſpolientur. Ea cauſsâ Dagobertus referente Trithemio cum meminiſſet res Eccleſiæ à ſe quondam turbatas, vt damnum, fortaſſe iuuenili ardore & tumultu militari inflictum ſarciret, Monaſteria plurima conſtruxit, & inter cętera Vaſſenburgẽſe. In cuius fundationis diplo-te, ipſe ſe diuino iudicio per viſionem adfuiſſe memorat, & ob violatas Eccleſias grauiſſime correptum. Merito itaque Gunthranus videns omnia ſibi præter ſpem ac deſiderium contingere, atque exercitus ſuos ſæpius pulſos, aduerſa ſemper fortunâ vexari: tandem pœnitudine ductus, & rerum præteritarum memoriam refricans, calamitatis ſuæ cauſam, Eccleſiarum cladibus ac ruinis per milites ſuos allatis, adſcribit: atque ita Duces ſuos alloquitur.

Trithem. lib. 1. Compendij Analium.

Qualiter nos hoc tempore victoriam obtinere poßimus, qui ea, quæ patres noſtri conſecuti ſunt, non cuſtodimus. Illi vero Eccleſias ædificantes, in Deum ſpem omnem ponentes, Martyres honorantes, Sacerdotes venerantes victorias obtinuerunt, genteſque aduerſas diuino opitulante adiutorio in enſe, & per arma ſæpius ſubdiderunt. Nos verò, non ſolum Deum non metuimus, verumetiam ſacra eius vaſtamus, miniſtros interficimus. Ipſa quoque ſanctorum pignora, in ridiculo diſcerpimus ac vaſtamus, non enim poteſt obtineri victoria, vbi talia perpetrantur. Ideo manus noſtræ inualidę ſunt, Enſis hebeſcit, nec Clypeus nos, vt erat ſolitus, defendit.

Apud Greg. Turonenſ. lib. 8. cap. 30

Iuſtiſſima certè Principis indignatio, qui res ſuas vitio militum, & inſolentiâ Tribunorum cer-

nebat afflictas: Vnde merito Rex Gothorũ Theodoricus, vt suis consulat fortunis iubet Ecclesiarum fortunas restitui, & Narbonensem Ecclesiam suis prædiis spoliatam, instaurari. *Præsenti tibi auctoritate præcipimus, possessiones Narbonensis Ecclesiæ secundum præcelsæ recordationis Alarici præcepta, à quibuslibet peruasoribus occupatæ teneantur, æquitatis facias contemplatione restitui. Quoniam versari nolumus in Ecclesiæ dispendio præsumptiones illicitas. dum nostra deceat tempora sedare confusa.* Apud Cassiodorum lib. 4. Epistol. 17.

CAPVT III.

De diuisione bonorũ Ecclesiæ. Diuisio bonorum in mobilia & immobilia. Quænam sunt mobilia, aut immobilia Ecclesiarum. Vasa Ecclesiæ, in quo bonorum ordine numerentur.

QVoniam omnis de re qualibet disputatio debet esse, certis cancellis ac limitibus circumscripta, nihilque est, doctrinæ tàm incommodum quàm vaga & incondita rerum multitudo, sine iudicio, & ratione glomerata; ideo bonorum Ecclesiæ meditationem adeunti placet vti methodo & à diuisione bonorum auspicari. Vniuersim ergo præmittendum bona in genere diuidi in mobilia, & immobilia. Immobiles res sunt,

Diuisio bonorum in mobilia & immobilia.

quæ

quæ moueri omnino non possunt, & talia sunt res soli, de quibus Vlpianus l. *à Diuo Pio. §. in venditione. ff. de re Iudicata.* Non solum autem quæ nullatenus moueri possunt, siue solum ipsum: verum etiam quæ solo adhærescunt, & destinantur vt ei perpetuo inseruiant, ea immobilium nomine censentur. Ita coloni, domus, casæ, mancipia rustica ad res immobiles spectant. Authentica *de non alienandis rebus Eccles. §. vult enim.* Nam eiusmodi mancipia prædium sequuntur, prædio vendito, venduntur, retento retinentur. Ita Valent. Valens, Grat. A.A.A. rescripserunt, l. *quemadmodum. C. de agricol. & censitis*: Ideóque Valentinianus & Valens scripserunt, factâ donatione seruorum fundi, per Principem, videri & fũdum donatum. l. *quisquis*. C. eodem tit. Adeóque is cui facta est donatio seruorum prædij, tenetur ad pensitationes fiscales, quibus prædium est obnoxium. Fructus etiam, quandiu adhuc hærent solo, inter immobilia reputantur. l. *fructus pendentes. ff. de rei vendicatione.* l. *arboribus. §. Julianus. ff. de vsufructu*: Item vsusfructus ex re immobili percipiendus, est ex numero immobilium, quia est ius in corpore, & sublato corpore tollitur. l. *Est enim ff. de vsufructu*, & propterea pensiones quæ ad longum tempus pendi debent Ecclesiæ, inter immobilia reputãtur, item annonæ à Principibus concessæ, & iura similia, cap. querela *de electionibus.* Mobiles autem res illæ sunt proprie, quæ facile à loco moueri possunt, tradi & transferri de manu

Vlpianus lib. 42 legé 15. tit. 1.

Authentica de non alienand. rebus Ecclesię §. vult enim.

L. quemadmodum C. de agricolis & censitis, lib. 11. tit. 49.

L. quisquis Cod. de agricol. & censitis.

L. Est enim. ff. de vsufruct. lib. 7. tit. 1.

in manum, etsi seipsas non moueant.

Sūt & alia apud Iurisperitos dubiæ cuiusdā naturæ, quæ nec mobilia, nec immobilia sunt, cuiusmodi vocātur, nomina debitorū, seu debita ipsamet: nā si debita sint rerū immobiliū, immobilibus adscribūtur, secus mobilia iudicantur. Rursus inter mobilia, quæ ad Ecclesiā pertinēt: quædā sunt, quę faciunt partem dotis Ecclesiasticæ, quædam verò non. Partē dotis faciunt vasa sacra & ornamenta, quorum omnium venditio, & alienatio non est in potestate Episcopi, aut Ecclesiarum iudicio, nisi in casibus à Iure memoratis, puta ad subleuandam pauperum inopiam, ad redemptionem Captiuorum. Vnde si quid olim earum rerum incuriâ Episcopi, aut certè auaritiâ deperiret, ex rebus Episcopi propriis, indemnis præstabatur Ecclesia, eo fere pacto, quo res quædam mobiles quæ partem dotis vxoriæ faciunt, si distrahāntur à marito, tenentur hæredes alias eiusdem quantitatis & qualitatis reddere. *l. res in dotem.* ff. de *Iure dotium.* Imo verò si panni in dotem dati æstimati sunt, & mulier eos consumpserit, ad æstimationem maritus tenetur, quia res mobiles in dotem datæ periculo mariti deteriores fiunt.

Mobilia Ecclesiæ quoduplicis sunt generis.

Iustinianus Nouella 7. de non alienandis, aut permut. reb. Eccl.

l. Æstimatæ. ff. soluto matrimonio.

Quin potius vasa & ornamenta Ecclesiarum videntur efficere partem immobilium. Nam etsi instrumenta rustica partem prædij & fundi non faciant, adeóque legato fundo suppellex rustica non censeatur legata: *l. fundo legato. ff. de suppellectile legata.* attamen longè dispar est ratio sacræ suppel-

Vasa Ecclesiæ sunt res immobiles.

l. fundo legato. ff. de suppellect. legatâ, lib. 33. tit. 10.

lectilis: siquidem videtur Ecclesiæ tradita, vt illic perpetuo maneat: quæ sic prædio aut fundo insunt, vt perpetuo mansura sint, faciunt partem prædij, vt colligere est ex antedictis & ex l. *si fundus legatus. ff. de legatis & fideicommissis.*

Alia verò mobilia quæ non sunt dotalia, nec dátur Ecclesiæ, vt illic perpetuo insint, sunt ea quæ à fidelibus offeruntur sacerdoti, sacra facienti, nempe oblationes quæ fiunt inter Missarum solemnia, aut quæ dantur intuitu alicuius officij sacri & religiosi, vt intuitu funeris, matrimonij &c. quarum rerum, potestas mera & summa, est penes sacerdotem; Alienare enim & vti iis rebus ad arbitrium potest, detractâ Clericorum sorte, & pauperum vt infra dicitur, rerum enim mobilium vilis & abiecta æstimatur possessio. *l. si rem mobilem. ff. de acquirenda possessione.*

Itaque hîc tractationem de bonis Ecclesiæ instituere possemus, vt initio ducto à speculatione rerum immobilium ad mobilia fieret progressio.

Verum libet alio itinere progredi, & eum ordinem sequi, quo bona in Ecclesiarum nomen, & potestatem transcripta sunt. Vno verbo ordinem sequemur acquirédi, non conditionem rei possessæ. Ita autem acquiruntur bona Ecclesiæ, vt vel ex primâ constitutione & fundatione Ecclesiæ siue ædis sacræ, ad eam pertineant, vel post fundatam Ecclesiam parta sint, & comparata: Quæ competunt Ecclesiæ ab initio, & à prima illius origine, Alia diuisio bonorum Ecclesiæ.

sunt ea quæ dotem eius conficiunt, vt Ecclesiæ ædificium sacrum, mansus Ecclesiasticus, cum seruis, colonis & mancipiis: reditus & obuentiones ad luminaria & sumptus sacrorum. Quæ verò post constructã Ecclesiam de nouo acquiruntur, vel ex oblationibus sacris constant, vel ex votiuis donationibus: vel certe sunt sportulæ Clericales, & stipendia quę ministris conferũtur ratione muneris alicuius Sacri. Ministri autem, alij maiores, vt Episcopi & Parochi, alij minores, vt Diaconi, Clerici. De quorum omnium Iuribus, & stipendiis quacunque ex caussa, nobis erit ordine, & methodo pertractandum.

CAPVT IV.

De origine oratororium. Quid differant prophanum, sanctum, sacrum. Oratoria apud Hebraos. Theraphim in oratoriis condita. Quo ritu fierent Theraphim. Oratoria Persarum, & veterum Christianorum. Constitutiones Iustiniani, & Leonis de oratoriis.

LOca omnia in Iure, vel sãcta sunt, vel prophana, vel sacra ac Religiosa. Sancta dicũtur, quæ Sanctione quadam subnixa sunt, adeóque violare nefas est. Hinc muri Ciuitatis sancti sunt, quia neque pertransilire licet, nec perfodere, nec ædifi-

cium coniungere, nec tignum immittere, *l. sacra loca. ff. de rerum diuisione*. Pari modo personæ sanctæ dicũtur, quibus nefas est iniuriam facere, vt legati. Sacra autem plus habent Religionis, & venerationis quã sancta. Nam ea proprie sacra dicuntur, quæ certis ceremoniis vel à Principe, vel à Sacerdotibus sunt consecratæ, l. eadem tit. eod.

Sacrum ergo nemo sibi voluntate propriâ constituit, quia cum Religio vinculum sit societatis publicæ, debet quoque manifestis, & probatis publico suffragio ceremoniis peragi. Cum ergo loca sacra triplicis generis apud Christianos veteres reperiantur, nempe Oratoria, Basilicæ, & Ecclesiæ: Oratoria dicuntur, quæ intra priuatos parietes extruũtur sacella, caussa pietatis & orationis. Basilicas appellant maiores Ecclesias antequam consecrentur. Peracta vero consecratione dicuntur Ecclesiæ. Quia eò libere confluere, ac coire possit populus, & sub vno pastore, ac præside Religionem profiteri.

Quid Sacrũ & quomodo fit.

Hãc distinctionem affert Glossa in cap. Nunc autem. De Religiosis domibus.

Oratoriorum vero antiquitas si altius repetatur, patebit eum priuata sacella condendi pruritum, non tam profuisse pietati quam nocuisse. Etsi enim clauso ostio moneat Christus orandum Patrem, cui, inter serras, & ferrea domorum munimẽta pectus patet, & animi penetralia pandũtur. Attamen sæpissime in superstitionem abit libera illa, & quę testes non admittit, religio, præsertim si vltra orationem excurrit, & in Numine aliis ceremoniis, quam pura sinceraque prece deliniendo

occupatur. Propterea putauerim oratoria manasse primùm, ab insita libertatis cupidine, quâ homines ita aguntur, vt nil nisi quod suum est existiment, dominatum etiam in Religione auersentur, & eam non ament pietatis formam, nisi quam de proprio cerebro sibi confinxerunt.

Oratoria antiquissima.

Nam vt historiam edamus. Primum oratorium nunquid fluxit à superstitioso cultu idolorum, quo Hebræorum primi & maiores, veram sinceramque de Deo notitiam infecerant? Nunquid Theraphim, quibus seruiebat Laban, domi colebãtur; eratq; illis sacellũ extructum in effossi parietis sinu. Sic de Theraphim scribit Elias Thesbites in Lexico, pag. 173. *Mactabant hominẽ primogenitum, cuius caput torquendo præscindebant, quod postea sale & aromatibus condiebãt, scribebantque super laminam auream nomen spiritus immundi, qua supposita capiti eius, ponebant illud in pariete, incendentes coram eo candelas, & adorantes coram eo.*

Elias Thesbites in Lexico. pag. 173.

Imo vero Thare, pater Abraham superstitiosum eiusmodi oratorium habuit, si credimus Cedreno, qui è veterum monimentis refert Abrahamum, cum natus esset annos sexaginta, sæpius de abdicandis idolis patrem interpellasset, tandem eius Larario incendium immisisse, quo conflagrante, cum Aram eius frater simulachra vellet flammis liberare, igni absumptum interiisse. Ritus hic colẽdorum priuatim Theraphinorum confirmari potest, ex eo quod legimus Iudicum decimo septimo de Micha; *Quæ tulit di:*

Cedreni traditio, & oratorio Thare.

Iudicum 17. v. 4. & 5.

centos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis sculptile, atque conflatile: quod fuit in domo Michæ, quæ ædiculam quoque in ea Deo separauit, & fecit Ephod, & Theraphim, id est vestem Sacerdotalē & idola, &c. Apud exteras gentes fuerunt, & priuatæ eiusmodi ædiculæ. Apud Persas singulæ fere domus sua habebāt πυραθεῖα, in quibus æternum ignem seruabant, quem nonnisi extincto Rege fas erat emori. Testis Strabo lib. 15. vbi loca illa appellat σηκοὺς, Socrates in domo Regis Sacrarium ignis æterni agnoscit Historiæ Ecclesiast. lib. 7. cap. 8. Apud Romanos licebat priuato cuique suum habere lararium, vbi Deorum & illustrium virorum, quos maxime colebant, imagines seruabantur, ideoque in Larario quorundam Imperatorum, Christi effigiem fuisse reperimus, vt de Alexandro Seuero prodit Ælius Lampridius. *Si non cum vxore cubuisset matutinis horis in Larario suo, (in quo Diuos Principes, sed optimos electos, & animas sanctiores in queis, & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dixit Christum, Abraham, & Orpheum, & huiusmodi Deos habebat ac maiorum effigies, rem diuinam faciebat.* Omnino vero locus ille priuatus, quem sibi quisque domi struebat, videtur Delubrum ab initio dictum Nam licet delubrum nonnulli lignum siue hastile interpretentur, delibratum, ac cortice exutum, quod Græci ξοάνον dicunt, vt annotat Scaliger, in notis ad Festum attamē vero similius Delubrum locum dici, vbi Deus ponitur, vt à candela candelabrum.

Strabo lib. 15. Geograph.

Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri.

Scaliger in notis ad Festum.

Digitized by Google

Apud Christianos vero quam diu publice precari,&Synaxes agere nefas erat,certe oratoria domestica in vsu fuisse quis inficiabitur?Et si locus est coniecturæ:quãdo sacrum Christi corpus domum comportabant fideles, nunquid illud certo loco ceteris multo religiosiore condebant? vbi etiam Dominicum, id est velum, quo sacra pignora à sacerdote excipiebant, mulieres solebant reponere.

Plato priuata sacra prohibet.

Quidquid sit de antiquo ritu; certe sublatâ necessitate nullus videtur priuatis oratoriis locus relinquendus. Ideoque Plato domesticam Religioné,& priuatas ceremonias damnauit, vt est apud Clementé Alexandrinum lib. 5. Stromatum. Plato inquit, ἓν ἀπέδειξεν χωρίον τῆς πόλεως, ἵνα ἔμελλεν ἀνακεῖσθαι αὖθις τὰ εἴδωλα, ἰδίᾳ δὲ ἀπεῖπεν μηδὲν κεκτῆσθαι θεῶν ἀγάλματα. *Ciuibus ostendit vnum locum ciuitatis vbi eis essent reponenda simulachra: priuatim autem prohibuit, vt nemo haberet* D*eorum simulachra.*

Clemens Alexander, lib. 5. Stromaton.

Adeoque cum sanctissimi Imperatores animaduerterent domestici oratorij priuilegio plurimos à sacris ædibus abduci; & sacram hanc Societatem, cui cæmentandæ Christus sanguinem impendit, priuatæ pietatis specie dissipari, sanctissime edixerunt,ne quis domesticum oratorium sibi construeret, eóque ad sacra mysteria celebranda vteretur. *Omnibus interdicimus magnæ huius ciuitatis habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis, in domibus suis habere quasdam quasi orationum domos, &c.* Permittit tamen ibidem Iustinianus, haberi loca eiusmodi religiosa: modo illic, præter orationem nihil

Iustinian. nouellâ 57. alias 58.

eo-

eorũ ageretur quæ ad sacra mysteria pertinerent, quam suam voluntatem longe solemnioribus, licet breuioribus verbis expressit nouella centesima trigesimâ primâ §. *si quis.* *Si quis* (inquit) *domi suæ, aut in suburbio; prædione Ecclesiasticum celebrare ministerium præsumpserit, aut alijs celebrandum nisi clericis Religiosiss. locorum Episcopo subditis concesserit: Iubemus, vt ea domus aut suburbiũ aut prædium, vbi tale aliquid admissum fuerit, sacrosanctæ eius loci Ecclesiæ per Dei amantiss. Episcopum, & œconomum eius ciuilémque magistratum, vindicetur.* Qua in parte quæ pœnam indicit differt nouella 131. à nouella 58. aliàs 57. Nam in priore hac denunciat fore, vt domus in qua sacra mysteria priuatim celebrata sunt, deducatur in fiscum & ærarium Principis: posteriore verò, vult ea prædia domosuè cedere in commodum & compendium Episcopi locorum, in quibus scelus priuatæ Religionis fuerit admissum. Iustinianus nouell. 131.

Cum ergo priuata sacra his legibus cohibuisset Iustinianus, neque vllam reliquisset facultatem in domestico sacrario mysterijs operam dandi, nisi vocatis in eam rem Clericis Ecclesiæ maioris Constantinopolitanæ, aut alterius Ecclesiæ in cuius Diocesi Oratorij locus versaretur, contingebat vt potétiores solum Patricii, Nobiles & Senatores, qui sumptus & impensas sacrorum ferre poterant & sportulas in Clericos erogare domi sacella sibi construerent & clandestinæ precationis ac sacrifi-

cii beneficio fruerentur: tenuioris vero fortunæ homines plerumque sacris abstinere cogerentur siue quod sumptibus in Clericorum stipendia præstandis pares non essent, siue quod Clerici Diocesani alibi mysteriis obeundis essent occupati. Atque ita fiebat, vt memoria defunctorum plerumq; cessaret, nec ad clementiam Numinis pro eorumdem salute interpellanda, oblationes institui possent, propter defectum Sacerdotis: cum tamen mos vellet defunctorum memorias, maximè in domesticis oratoriis & sacellis celebrari. Itaque his rationibus motus Leo Imperator, non modo vnicuique, priuatim sibi lararium extruendi, facultaté dedit: verum etiam quos vellent Clericos ad mysteria obeunda euocandi. *Verisimile est* (inquit) *nonnunquam defunctorum memoriá instanti, præsentis memoriæ diem nullo facto sacrificio elabi, vt inde, & qui hîc viuunt, & quos altera vita tenet, vtrisque non exiguum damnum obueniat. Statuimus igitur, vt non solum generalis Ecclesiæ Sacerdotes, sed etiam qui ad quãcumque aliam Sacerdotum domũ pertinent quibuscumque cuiuscumque domus dominis accersitis, accessum ad sacratoria & sacrarum rerum functionem dare voluerit, in quibuslibet ædibus sacrificandi, Deique arcana enarrandi facultatem.* Ac nequid libertati aut potius licentiæ sacrorum domi peragendorũ deficeret, idem Imperator nouella 15. constituit, vt sacrum fontem liceret, etiam in oratoriis domesticis habere, & baptismum in illis celebrare. *Statuimus igitur quemadmodum de sacrificijs sic quoque de salutifero baptismate vt*

Leo Imperator Cõst. 4.

ipsum in quolibet sacro oratorio quibuslibet peragere licitum sit, &c. An vero potuerit Imperator vnicuique priuati sacri facultatem indulgere, viderint eruditi & probi omnes. Quid enim est aliud domesticis ceremoniis frænum laxare, nisi Religionem quam in scrinio pectoris Pontifices gestare oportet, arbitrio inconsultissimæ plebis, & inanibus superstitionum commentis sacra optima corrumpentis permittere. Sic pietas quæ ad animos ciuium colligandos plurimum valet, in discordiarum ac rixarum semen vertitur: dum quisque ritibus suis præsidium quærit, & mauult suâ sententiâ falli, quam alienâ sapere. Imo vero quis tam pure ac innocenter sacris domesticis, quàm publicis interest? Audiunt ne domi declamantē in vitia sacerdotem, & suos mores duro vngue carpentem? Clericos quasi seruos admittunt, nec honestius plerumque tractant quam artifices qui ad opera conducenda spe mercedis inuitantur. Adulari Sacerdotes insolenti & incompositæ familiæ necesse est, & eodem ore quo Christi corpus conficiunt, lasciuiam & petulantiā Matronarum fractis oculis libidinem & insanos plerumque amores meditantium collaudare. Hæc sunt aliquando in priuatis sacellis tremendorum mysteriorum initia, his ceremoniis Clerici vtriusque notæ compositi, ad aras temere prosiliunt, precantur virtutem, & mentis sanitatem illis, quorum vitiis fauent, veniamque iis dari tacitâ prece à Deo supplicant, quos non audent in tanta scelerum licentia, peccatores nominare.

Sic ad infame seruitium descendunt, quos sua dignitas supra Angelorum sortem euexit. Vbi domum venerũt, & Dominas salutant: quid aliud animo versant, quam vt earumdem gratiam fœda adulatione mereantur. Sitẽsa cutis, matronæ sanitatem, si speciosus rubor iuuentutis florem, si flagrantia oculorum noctis quietem, & molles tranquillioris somni inducias prodit: continuo ingeniosis acclamationibus risuque meditato bonę valetudini applaudunt; laudant colorem floridum, sub cuius fallacibus inuolucris vitia delitescunt, & mens arrosa vitiis, ac scelerum sentinâ putescens, callidissime cælatur. Ita Clericorum domestica illa liturgia, in ordinis contumeliam cedit: dum eorum obsequiis, laicorum superbia inflatur, qui vilissimo stipendio Sacerdotum adulationẽ ementes, iam incipiunt eos inter vilissima mancipia numerare, quibus æquum est etiam coronata capita famulari. Iam vero quid honoris, & gloriæ priuatis eiusmodi sacris Deo quæritur? Tumultuariâ Religione, præceps familia relictis ægre operibus, ad puluinar priuatũ confluit. Illic indecenti cultu glomerata palpitantibus buccis, ore tremulo, nescio quid incogitatum balbutit, & si quid silentij, si quid pietatis ac reuerentiæ affertur, illud ancillares animæ, non tam Deo quam Dominis reddunt, quorum vultus, & frontem longe curiosius ac religiosius quam sacra mysteria trementes serui respiciunt: & de eorum beneuolentia quam de Numinis pace perplexioribus curis augurantur.

Digitized by Google

Inde verò sacro peracto, scena mutatur, & complicatis aulæis longe aliud à Religione cogitatur. Illic plerumque, vbi Deus stabat rerum humanarum arbiter, theatrum lasciuiæ, & vanitati consurgit: Christi altaria inuadit Dæmon, vbi Angelorum Hymni insonuerunt; ibi insolens ludio, aut lyrista delicatus molle carmen incinit, & quo loco negligenter Religionem exceperant, illic mancipia vitiis & sceleribus Dominorũ studiosissime famulantur. Taceo cætera. Nam & pauca ista, quæ sæculi corruptelam notant, iustus dolor extorsit, omnino vero nihil sanctius Deóque gratius quam homines ad pietatis officia colligi, & in templa commeare, vbi Imperium erexit, vbi Majestatis insignibus lucet, vbi æmulis feruoribus Religionis studia incalescũt, vbi sanctioribus admixti peccatores, facilius cœlum exorant, & qui innocenter viuunt iunctis precibus, maiora, & ampliora beneficia promerentur.

Merito itaque quasi speciem schismatis priuatos conuentus antiquitas exhorruit, & sine Episcopo in lucernarium quidem, vespertinas horas celebrare permittitur. Nec tamen omnino interdicta priuata oratoria agnoscit Balsamon ad Canonem trigesimum primum Trullanæ Synodi. Concil. Tolet. 1. Can. 9. Nam & Antimensiorum vsum institutum ad priuata solummodo oratoria refert, non enim in maioribus Ecclesiis opus erat Antimensio. Cum earum altaria essent solemni ritu inaugurata. Est autem Antimensium panni genus, quod altari

De Antimensio, vide Manuelis solutiones ad dubia quædã apud Leuclauium Tomo 1. lib. 3 p. 239.

non consecrato solebat imponi, cuius conficiendi ritum habent in Græcorum Euchologio: nempe cum Pontifex Templum dedicasset pannum humi stratum, & mensæ circumuolutum in partes discindebat, Sacerdotibusque distribuebat, vt eo sacras mensas tegerent inter sacrificandum: quandoquidem absque eo panno nefas erat in locis, & altaribus minime dedicatis sacrum celebrare.

CAPVT V.

De dote Oratoriorum. Oratoria duplicis generis publica, & priuata. Oratoria à magnatibus nefas erat sine dote construi. Quibus in oratoriis, erant, vel non erant reliquiæ sanctorum. De Oratoriis & *Capellis Monachorum.*

DVbium esse potest, an oratoria ad res, & bona Ecclesiæ pertineant, & an ante condita oratoria, necessarium fuerit iis dotem condicere. Quod vt innotescat, aduertẽdum oratorij nomen sumi duobus modis, vel pro priuato sacrario, de quo antea locuti sumus, vel pro publico, nempe extrà ædium septa, quò vniuersis liceret cõfluere Oratorium priuatum inter res Ecclesiæ numerari non potest: non enim proprie est res sacra neque rite dedicata à Pontifice, & vt ait Iurisconsultus aliud est esse sacrum locum, aliud sacrarium: sacer

Distinctio sacri, & sacrarij.

locus, est locus cõsecratus. Sacrarium, est locus in quo sacra reponuntur quod etiam in ædificio priuato esse potest, l. *sacra loca* §. *de rerum diuisione.* Itaque ad hoc oratorium construendum nulla dote opus erat, sed si quando in eam domum ad sacra faciũda Clerici aduocarẽtur, necesse erat stipendia, & sumptus à Domino domus præstari, vt ex Nouella Leonis quarta apparet, & ex Nouella Iustiniani.

Oratorium vero publicum, vel à potentioribus, & magnatibus erigebatur: vel certe à tenuioris fortunæ hominibus. Oratoria magnates extruebant ambitionis plerumque caussâ, & nominis conciliandi ergo, vt in ædibus etiam sacris nobilitatis suæ notas, & vestigia insculperent. Solebant autem ea oratoria cõdere, vel in vrbibus, vel extra vrbes, in prædiis nempe, ac villis: quocumque vero loco placeret magnatibus oratorium extruere, compellebantur ab Episcopis ad dotem condicendam. De isto oratoriorum genere intelligendus est Canon trigesimus tertius Concilij Aurilianensis quarti. *Si quis in agro suo, aut habet, aut postulat habere Diœcesim, primum & terras ei deputet sufficienter, & Clericos qui ibidem sua officia impleant, vt sacratis locis reuerentia condigna tribuatur.* Nã Diœcesis nomine intelligit oratoriũ, cui certus Clericorũ numerus adscriptus est. quamobrem Gregorius Magnus, lib. 2. Epistola 9 ad Ariminensem Episcopum præcipit, vt ab Hemothea illustri fœmina, quæ oratorium condidit dotem congruentem

Oratoria publica à magnatibus condita dote indigent.

Concil. Aurel. & can. 33 anno. 54.

accipiat, priusquam eius oratorij consecrationem adoriatur. *Hemothea* (inquit) *Illustris fœmina petitoria nobis insinuatione suggessit quod habetur in subditis, intra ciuitatem Ariminensem in loco iuris sui oratorium se pro sua deuotione fundasse, quod in honorem sanctæ Crucis desiderat consecrari, & ideo frater charissime, si in tuæ ciuitatis memorata constructio iure consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum esse perceptâ primitus donatione legitima, id est totius facultatis eius, excepta familia, prius mobilium, vel immobilium seque mouentium vnciis octo retento sibi vsufructuario diebus vitæ suæ, gestisque municipalibus alligatam, prædictum oratorium absque Missis publicis solemniter cõsecrabit.* Hinc manabat optimatum arrogantia, qui postquam Diœcesim & oratorium condiderant, non modo arbitrabantur licere sibi, quos vellent Clericos in oratoriis instituere, verum etiam ad superbiæ incrementum, nitebantur Clericos oratoriorum, & facultates eorumdem omnino cognitioni, & potestati, tam Episcoporum, quam Archidiaconorum subducere. Vt questi sunt patres Concili Cabilonensis, ad quorum postulationem conditus est Canon eius Concilij decimus quartus, quo iubetur vt in potestate sit Episcopi & de ordinatione Clericorum & de facultate ibidem collatâ, qualiter ad ipsa oratoria & officium diuinũ possit impleri & sancta Libamina consecrari.

Arrogantia magnatum qui oratora condiderãt.

Conc. Cabilonens. ann. 650. can. 14.

Præter ista oratoria in prædiis magnatum sunt & alia publica quidem, sed in gratiam rusticorum cõstructa. Cum enim rustici extra oppida degen-

tes

tes & passim in prædiis constituti longius plerumque à parochiâ abessent nec possent nisi longis itineribus & magno labore ad ædem maiorem & communem proficisci, indulgentia Episcoporum cōdebantur in prædiis oratoria sine vllius dotis constitutione, quoniam nulli in illis manebant Clerici. Ideoque cum ad alimoniam & annonam Clericorum maximè dos Ecclesiastica inuēta sit, in qua æde Clerici non erant, eam non erat necesse bonis dotalibus exornari De hac oratoriorum forma intelligendus videntur Canon. vigesimus primus Concilij Agathensis. *Si quis extra parochias in quibus legitimus est ordinariusue conuentus, oratorium in agro habere voluerit reliquis festiuitatibus. Vt ibi missas teneat propter fatigationem familiæ, iustâ ordinatione permittimus: Pascha vero, Natale Domini Epiphania, Ascensionem Domini, Pentecosten & Natalem Sancti Ioannis Baptistæ, vel si qui maxime dies in festiuitatibus habentur, nonnisi in ciuitatibus aut in Parochijs teneant. Clerici vero si qui in festiuitatibus quas supra diximus, in oratorijs nisi iubente aut permittente Episcopo Missas facere, aut tenere voluerint à communione pellantur.* Hic etenim canon loquitur de oratorijs non dotatis, ad quæ nimirum minoribus festis & diebus Dominicis veniebant Clerici ex proximâ parochiâ ad missas celebrandas, vnde animaduertēdum quod ista oratoria, quæ erant sine dote & carebant proprijs Sacerdotibus nullas plerumque habebant martyrum reliquias, nisi forte tam vicina essent parochiæ vt ex ea facile commigrantes Clerici

Concil. Agath. anno 506 sub Clodoueo can. 21.

Apud Christianos vero quam diu publice precari, & Synaxes agere nefas erat, certe oratoria domestica in vsu fuisse quis inficiabitur? Et si locus est coniecturæ: quãdo sacrum Christi corpus domum comportabant fideles, nunquid illud certo loco ceteris multo religiosiore condebant? vbi etiam Dominicum, id est velum, quo sacra pignora à sacerdote excipiebant, mulieres solebant reponere.

Plato priuata sacra prohibet. Quidquid sit de antiquo ritu; certe sublatã necessitate nullus videtur priuatis oratoriis locus relinquendus. Ideoque Plato domesticam Religionẽ, & priuatas ceremonias damnauit, vt est apud Clementẽ Alexandrinum lib. 5. Stromatum. Plato inquit, ἓν ἀπέδειξεν χωρίον τῆς πόλεως, ἵνα ἔμελλεν ἀνακεῖσθαι αὖθις τὰ εἴδωλα, ἰδίᾳ δὲ ἀπεῖπεν μηδὲν κεκτῆσθαι θεῶν ἀγάλματα. *Ciuibus ostendit vnum locum ciuitatis vbi eis essent reponenda simulachra: priuatim autem prohibuit, vt nemo haberet Deorum simulachra.*

Clemens Alexander, lib. 5. Stromatωn.

Adeoque cum sanctissimi Imperatores animaduerterent domestici oratorij priuilegio plurimos à sacris ædibus abduci; & sacram hanc Societatem, cui cæmentandæ Christus sanguinem impendit, priuatæ pietatis specie dissipari, sanctissime edixerunt, ne quis domesticum oratorium sibi construeret, eóque ad sacra mysteria celebranda vteretur. *Omnibus interdicimus magnæ huius ciuitatis habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis, in domibus suis habere quasdam quasi orationum domos, &c.* Permittit tamen ibidem Iustinianus, haberi loca eiusmodi religiosa: modo illic, præter orationem nihil co-

Iustinian. nouellã 57. alias 58.

eorũ agerctur quæ ad sacra mysteria pertinerent, quam suam voluntatem longe solemnioribus, licet breuioribus verbis expressit nouella centesima trigesimâ primâ §. *si quis. Si quis* (inquit) *domi suæ, aut in suburbio; prædione Ecclesiasticum celebrare ministerium præsumpserit, aut alijs celebrandum nisi clericis Religiosiss. locorum Episcopo subditis concesserit: Iubemus, vt ea domus aut suburbium aut prædium, vbi tale aliquid admissum fuerit, sacrosanctæ eius loci Ecclesiæ per Dei amantiss. Episcopum, & œconomum eius ciuilémque magistratum, vindicetur.* Qua in parte quæ pœnam indicit differt nouella 131. à nouella 58. aliàs 57. Nam in priore hac denunciat fore, vt domus in qua sacra mysteria priuatim celebrata sunt, deducatur in fiscum & ærarium Principis; posteriore verò, vult ea prædia domosuè cedere in commodum & compendium Episcopi locorum, in quibus scelus priuatæ Religionis fuerit admissum. Iustinianus nouell. 131.

Cum ergo priuata sacra his legibus cohibuisset Iustinianus, neque vllam reliquisset facultatem in domestico sacrario mysterijs operam dandi, nisi vocatis in eam rem Clericis Ecclesiæ maioris Constantinopolitanæ, aut alterius Ecclesiæ in cuius Diocesi Oratorij locus versaretur, contingebat vt potétiores solum Patricii, Nobiles & Senatores, qui sumptus & impensas sacrorum ferre poterant & sportulas in Clericos erogare domi sacella sibi construerent & clandestinæ precationis ac sacrifi-

cii beneficio fruerentur: tenuioris vero fortunæ homines plerumque sacris abstinere cogerentur siue quod sumptibus in Clericorum stipendia præstandis pares non essent, siue quod Clerici Diocesani alibi mysteriis obeundis essent occupati. Atque ita fiebat, vt memoria defunctorum plerumq; cessaret, nec ad clementiam Numinis pro eorumdem salute interpellanda, oblationes institui possent, propter defectum Sacerdotis: cum tamen mos vellet defunctorum memorias, maximè in domesticis oratoriis & sacellis celebrari. Itaque his rationibus motus Leo Imperator, non modo vnicuique, priuatim sibi lararium extruendi, facultaté dedit: verum etiam quos vellent Clericos ad mysteria obeunda euocandi. *Verisimile est* (inquit) *nonnunquam defunctorum memoriá instanti, præsentis memoriæ diem nullo facto sacrificio elabi, vt inde, & qui hîc viuunt, & quos altera vita tenet, vtrisque non exiguum damnum obueniat. Statuimus igitur, vt non solum generalis* Ecclesiæ *Sacerdotes, sed etiam qui ad quãcumque aliam Sacerdotum domũ pertinent quibuscumque cuiuscumque domus dominis accersitis, accessum ad sacratoria & sacrarum rerum functionem dare voluerit, in quibuslibet ædibus sacrificandi, Deique arcana enarrandi facultatem.* Ac ne quid libertati aut potius licentiæ sacrorum domi peragendorũ deficeret, idem Imperator nouella 15. constituit, vt sacrum fontem liceret, etiam in oratoriis domesticis habere, & baptismum in illis celebrare. *Statuimus igitur quemadmodum de sacrificijs sic quoque de salutifero baptismate vt*

Leo Imperator Cõst. 4.

ipsum in quolibet sacro oratorio quibuslibet peragere licitum sit, &c. An vero potuerit Imperator vnicuique priuati sacri facultatem indulgere, viderint eruditi & probi omnes. Quid enim est aliud domesticis ceremoniis frænum laxare, nisi Religionem quam in scrinio pectoris Pontifices gestare oportet, arbitrio inconsultissimæ plebis, & inanibus superstitionum commentis sacra optima corrumpentis permittere. Sic pietas quæ ad animos ciuium colligandos plurimum valet, in discordiarum ac rixarum semen vertitur: dum quisque ritibus suis præsidium quærit, & mauult suâ sententiâ falli, quam alienâ sapere. Imo vero quis tam pure ac innocenter sacris domesticis, quàm publicis interest? Audiunt ne domi declamantẽ in vitia sacerdotem, & suos mores duro vngue carpentem? Clericos quasi seruos admittunt, nec honestiùs plerumque tractant quam artifices qui ad opera conducenda spe mercedis inuitantur. Adulari Sacerdotes insolenti & incompositæ familiæ necesse est, & eodem ore quo Christi corpus conficiunt, lasciuiam & petulantiã Matronarum fractis oculis libidinem & insanos plerumque amores meditantium collaudare. Hæc sunt aliquando in priuatis sacellis tremendorum mysteriorum initia, his ceremoniis Clerici vtriusque notæ compositi, ad aras temere prosiliunt, precantur virtutem, & mentis sanitatem illis, quorum vitiis fauent, veniamque iis dari tacitâ prece à Deo supplicant, quos non audent in tanta scelerum licentia, peccatores nominare.

Sic ad infame seruitium descendunt, quos sua dignitas supra Angelorum sortem euexit. Vbi domum venerũt, & Dominas salutant: quid aliud animo versant, quam vt earumdem gratiam fœda adulatione mereantur. Si tẽsa cutis, matronæ sanitatem, si speciosus rubor iuuentutis florem, si flagrantia oculorum noctis quietem, & molles tranquillioris somni inducias prodit: continuo ingeniosis acclamationibus risuque meditato bonę valetudini applaudunt; laudant colorem floridum, sub cuius fallacibus inuolucris vitia delitescunt, & mens arrosa vitiis, ac scelerum sentinâ putescens, callidissime cælatur. Ita Clericorum domestica ista liturgia, in ordinis contumeliam cedit: dum eorum obsequiis, laïcorum superbia inflatur, qui vilissimo stipendio Sacerdotum adulationẽ ementes, iam incipiunt eos inter vilissima mancipia numerare, quibus æquum est etiam coronata capita famulari. Iam vero quid honoris, & gloriæ priuatis eiusmodi sacris Deo quæritur? Tumultuariâ Religione, præceps familia relictis ægre operibus, ad puluinar priuatũ confluit. Illic indecenti cultu glomerata palpitantibus buccis, ore tremulo, nescio quid incogitatum balbutit, & si quid silentij, si quid pietatis ac reuerentiæ affertur, illud ancillares animæ, non tam Deo quam Dominis reddunt, quorum vultus, & frontem longe curiosius ac religiosius quam sacra mysteria trementes serui respiciunt: & de eorum beneuolentia quam de Numinis pace perplexioribus curis augurantur.

Digitized by Google

Inde verò sermo peracto, scena mutatur, & complicatis aulæis longe aliud à Religione cogitatur. Illic plerumque, vbi Deus stabat rerum humanarum arbiter, theatrum lasciuiæ, & vanitati consurgit: Christi altaria inuadit Dæmon, vbi Angelorum Hymni insonuerunt, ibi insolens ludio, aut lyrista delicatus molle carmen incinit, & quo loco negligenter Religionem exceperant, illic mancipia vitiis & sceleribus Dominorũ studiosissime famulantur. Taceo cætera. Nam & pauca ista, quæ sæculi corruptelam notant, iustus dolor extorsit, omnino vero nihil sanctius Deòque gratius quam homines ad pietatis officia colligi, & in templa commeare, vbi Imperium erexit, vbi Majestatis insignibus lucet, vbi æmulis feruoribus Religionis studia incalescũt, vbi sanctioribus admixti peccatores, facilius cœlum exorant, & qui innocenter viuunt iunctis precibus, maiora, & ampliora beneficia promerentur.

Merito itaque quasi speciem schismatis priuatos conuentus antiquitas exhorruit, & sine Episcopo in lucernarium quidem, vespertinas horas celebrare permittitur. Nec tamen omnino interdicta priuata oratoria agnoscit Balsamon ad Canonem trigesimum primum Trullanæ Synodi. Concil. Tolet. 1. Can. 9. Nam & Antimensiorum vsum institutum ad priuata solummodo oratoria refert, non enim in maioribus Ecclesiis opus erat Antimensio. Cum earum altaria essent solemni ritu inaugurata. Est autem Antimensium panni genus, quod altari

Digitized by Google

De Antimensio, vide Manuelis solutiones ad dubia quædã apud Leuclauium Tomo 1. lib. 3 P. 239.

non consecrato solebat imponi, cuius conficiendi ritum habent in Græcorum Euchologio: nempe cum Pontifex Templum dedicasset pannum humi stratum, & mensæ circumuolutum in partes discindebat, Sacerdotibusque distribuebat, vt eo sacras mensas tegerent inter sacrificandum: quandoquidem absque eo panno nefas erat in locis, & altaribus minime dedicatis sacrum celebrare.

CAPVT V.

De dote Oratoriorum. Oratoria duplicis generis publica, & priuata. Oratoria à magnatibus nefas erat sine dote construi. Quibus in oratoriis, erant, vel non erant reliquiæ sanctorum. De Oratoriis & Capellis Monachorum.

DVbium esse potest, an oratoria ad res, & bona Ecclesiæ pertineant, & an ante condita oratoria, necessarium fuerit iis dotem condicere. Quod vt innotescat, aduertẽdum oratorij nomen sumi duobus modis, vel pro priuato sacrario, de quo antea locuti sumus, vel pro publico, nempe extrà ædium septa, quò vniuersis liceret cõfluere

Distinctio sacri, & sacrarij.

Oratorium priuatum inter res Ecclesiæ numerari non potest: non enim proprie est res sacra neque rite dedicata à Pontifice, & vt ait Iurisconsultus aliud est esse sacrum locum, aliud sacrarium: sacer

locus, est locus cõsecratus. Sacrarium, est locus in quo sacra reponuntur quod etiam in ædificio priuato esse potest, l. *sacra loca* §. *de rerum diuisione.* Itaque ad hoc oratorium construendum nulla dote opus erat, sed si quando in eam domum ad sacra faciũda Clerici aduocarẽtur, necesse erat stipendia, & sumptus à Domino domus præstari, vt ex Nouella Leonis quarta apparet, & ex Nouella Iustiniani.

Oratorium vero publicum, vel à potentioribus, & magnatibus erigebatur: vel certe à tenuioris fortunæ hominibus. Oratoria magnates extruebant ambitionis plerumque caussâ, & nominis conciliandi ergo, vt in ædibus etiam sacris nobilitatis suæ notas, & vestigia insculperent. Solebant autem ea oratoria cõdere, vel in vrbibus, vel extra vrbes, in prædiis nempe, ac villis: quocumque vero loco placeret magnatibus oratorium extruere, compellebantur ab Episcopis ad dotem condicendam. De isto oratoriorum genere intelligendus est Canon trigesimus tertius Concilij Aurilianensis quarti. *Si quis in agro suo, aut habet, aut postulat habere Diœcesim, primum & terras ei deputet sufficienter, & Clericos qui ibidem sua officia impleant, vt sacratis locis reuerentia condigna tribuatur.* Nã Diœcesis nomine intelligit oratoriũ, cui certus Clericorũ numerus adscriptus est. quamobrem Gregorius Magnus, lib. 2. Epistola 9 ad Ariminensem Episcopum præcipit, vt ab Hemothea illustri fœmina, quæ oratorium condidit dotem congruentem

Oratoria publica à magnatibus condita dote indigent.

Concil. Aurel. & can. 33 anno. 54.

tes & passim in prædiis constituti longius plerumque à parochiâ abessent nec possent nisi longis itineribus & magno labore ad ædem maiorem & communem proficisci, indulgentia Episcoporum cōdebantur in prædiis oratoria sine vllius dotis constitutione, quoniam nulli in illis manebant Clerici. Ideoque cum ad alimoniam & annonam Clericorum maximè dos Ecclesiastica inuēta sit, in qua æde Clerici non erant, eam non erat necesse bonis dotalibus exornari De hac oratoriorum forma intelligendus videntur Canon. vigesimus primus Concilij Agathensis. *Si quis extra parochias in quibus legitimus est ordinariusue conuentus, oratorium in agro habere voluerit reliquis festiuitatibus. Vt ibi missas teneat propter fatigationem familiæ, iustâ ordinatione permittimus: Pascha vero, Natale Domini Epiphania, Ascensionem Domini, Pentecosten & Natalem Sancti Ioannis Baptistæ, vel si qui maxime dies in festiuitatibus habentur, nonnisi in ciuitatibus aut in Parochijs teneant. Clerici vero si qui in festiuitatibus quas supra diximus, in oratorijs nisi iubente aut permittente Episcopo Missas facere, aut tenere voluerint à communione pellantur.* Hic etenim canon loquitur de oratorijs non dotatis, ad quæ nimirum minoribus festis & diebus Dominicis veniebant Clerici ex proximâ parochiâ ad missas celebrandas, vnde animaduertēdum quod ista oratoria, quæ erant sine dote & carebant proprijs Sacerdotibus nullas plerumque habebant martyrum reliquias, nisi forte tam vicina essent parochiæ vt ex ea facile commigrantes Clerici

Concil. Agath. anno 506 sub Clodoueo can. 21.

possent in oratorio, frequenti psalmodiâ defungi: nam martyrum reliquias sine honore & Hymnis quotidianis alicubi iacere nefas erat. Hoc totum præclare docet Canon. 25. Concilij Epaonensis, vbi tota hæc distinctio oratoriorum quæ proprios habebant Clericos & aliorum quæ aduentitios tantùm sole clarior elucescit. *Sanctorum reliquiæ in oratorijs villaribus non ponantur, nisi forsitan Clericos cuiuscumque parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentiâ famulentur. Quod si illi defuerint, non ante proprij ordinentur, quam eis competens victus & vestitus substantia deputetur.* Et certe tantam fuisse reliquiarum apud veteres reuerentiam animaduerto, vt vel Psalmos vel missas, si fieri posset, coram illis quotidie peragi ac decantari patres antiqui decernerent.

Concilium Epaonense. can. 2.

Reliquiarũ veneratio,

Quamobrẽ Greg. Mag. cum Mauro Abbati Ecclesiã Sancti Pancratij tradidisset, eiusque obuentiones ac reditus Monachorũ cõmodis ac possessionibus adscripsisset, serio eum monet vt Pãcratij reliquiæ honestissime tractentur, & ante eas quotidie opus Dei peragatur, vbi per opus Dei intelligendum arbitror sacram Missæ Liturgiam. *Præ omnibus* (inquit) *tibi curæ sit vt ibidem ante sacratissimum corpus Beati Pancratij, quotidie opus Dei proculdubio peragatur.*

Greg. p. 18. lib. 3.

Superiora ista ex penetralibus antiqui iuris deprompta sunt. Quod ad iuris noui dispositionem pertinet, nemini interclusum est orationis caussa domi sibi sacrarium erigere: modo piè & religio-

se id fiat, non ad fastum & inanem pietatis ostensionem, quæ plerumque tota è pectoribus, in supellectilem effunditur: adeo vt plurimorum hominum parietes plus Deo placeant quam animi. Ita Glossa extrauaganti *ad conditorem* ad §. *oratorijs.* Nec tamen oratorium istud priuatum inter religiosa loca censetur, nam religiosus locus sine dote & auctoritate Pontificis non fit.

Animaduertendum insuper oratoria iure sequiori appellari Monachorum ædes sacras, quæ cum Ecclesiarum nomine non censeantur, dicuntur tantùmodo Capellæ siue Oratoria Vnde titulus de Capellis Monachorum: ista autem oratoria quæ ad vsus Regularium condita sunt, non censentur loca publicis vsibus dedicata, sed tantum Monachorum & Regularium, quorum fortasse habita ratione publica sunt, seu quatenus comparantur cum domibus laicorum. Vnde carēt monimentis & insignibus locorum publicorum seu Ecclesiarum: cuiusmodi monimenta & insignia sunt campanæ ad conuocandum populum. Ita Celestinus tertius Abulensi Episcopo. *Patentibus* (inquit) *litteris certificari desideras, vtrū Templarijs & Hospitalarijs, & alijs oratoria in domibus suis habentibus liceat campanas in eis ponere publicéque pulsare. Respondemus autem consultationi tuæ, quod non licet eis hoc agere, quin potius per censuram Ecclesiasticam appellatione remota coercendi sunt, vt ita sint suo iure contenti, quod iustitiam non impedias aliorum.* Vbi glossa annotat quod excedentes metas priuilegiorum priuilegio excidunt & pos-

De oratorijs Monachorum.

Cap. Patentibus de priuilegijs.

Digitized by Google

sunt reprimi. Idipsum de oratoriis & ædibus sacris mendicantium rescripsit Ioannes 22. in extrauagante *Qui cunctos. De officio custodis hoc edicto perpetuo ordinamus quod Religiosi dictorum ordinum mendicantium, in nullo Conuentu suo, seu loco plures campanas habeant sine sedis Apostolicæ licentiâ speciali, sed vna tantummodo pro loco quolibet sint contenti.* Nec tamen abnuit summus Pontifex, quin si plures campanas in vsus duntaxat proprios iidem Religiosi sine lite, & contradicente nemine habuerint, possint iis in posterum vti §. *cæterum.* Animaduertenda insuper Monachorum in Græcia consuetudo; Nam cum in reliquis Ecclesiis soleret populus conuocari vnico tantum signo: monachi tribus signis seu campanarum pulsationibus vtebantur. quorum primum exile erat: secundum paulo altius: tertium fortissimum. Accusabantur autem eâ causâ, nouitatis monachi. Hos deffendit Balsamon dicens primum signum notam esse antiqui testamenti, quod obscurum est: secundum Euangelii quod clarius: tertium vltimi iudicii, apud Leunclauium lib. 7. pag. 476. Hæc vero oratoria siue Ca-Capellas Religiosi etiam exempti non possunt extruere in loco non exempto, sine consensu & licentia Prælatorum: in exempto vero sine venia summi Pontificis. Ita Alexander. 4 rescripsit cap. *auctoritate de priuilegijs* Plura de Ecclesiis Monachorum suo loco dicemus, nunc ad Ecclesiarum & Basilicarum structuram dotemque contendimus.

Ioann. 22. extra quia cunctos de officij custodis.

Leuncl. l. 7 IurisOrient. p. 476.

Capvt VI.

De Ecclesiarum & Basilicarum erectione. Rius seruandus ab eo qui Ecclesiam condere vellet. Insinuationes seu ἐμφανίσματα duplicis generis. Insinuationum codices olim habuerunt Clerici. Intra quod tempus necesse esset oratorium aut Xenodochium erigi. Falcidia ex legatis ad pias caussas non detrahitur. Locus & spatium ædis sacræ quod & quantum. Romanorum ritus circa fines templorum, &c.

IN construendis ædibus sacris prima Religiosæ munificentiæ ac liberalitatis initia laici olim constituebant, nec laici tantum sed Episcopi & Sacerdotes qui nonnunquam in sua, nonnunquam in aliena Diœcesi (vt patebit in progressu) sacras domos, Monasteria & Basilicas erexerunt.

In constructione autem ædium sacrarum hæc potissimum spectanda: pecunia ad sumptus operis, locus seu arca, cui domũ sacram inextrui oportet, consecratio, dos, dedicatio, & ius Patrocinij, quod vulgo ius Patronatus vocant. Dicamus hoc capite de pecunia, loco, consecratione & extructione. Grçci vocant δικαίωμα πρακτικόν

Quod ad pecuniam pertinet: animaduertendum ædes sacras solitas construi, vel munificentiâ

& sumptibus viuentium, vel impensis eorum, qui vitâ functi ædem sacram extrui vltimo iudicio, & testamento mandassent.

Ritus seruãdi in extruẽda Ecclesia, aut Xenodochio.

Quibus erat animus Ecclesiæ, Xenodochij, & domus sacræ extruendæ, illi voluntatis suæ monimentum, & testificationem consignari publicis tabulis curabant: profitebantur se donare hoc, aut illud prædium, hanc aut illam pecuniæ summam, vel Martyri, vel Prophetæ, vel Angelo, vt oratorium sub eius nomine, ac titulo extruatur: sibi esse in animo, quatuor pluresve illic Clericos constitui, & propterea se dotis nomine, tantùm in agris, mancipiis pecuniisue relinquere. Pari ferè formâ scribebant, qui testamento iubebant de suo ære Religiosas domos construi.

Insinuationes donationum.

Viuentiũ autem, & defunctorum donationes necesse erat insinuari, vt perenne earum vestigium extaret. Nec vlla temporis iniuria deleretur. Nam si donationes propter nuptias insinuantur apud acta, siue in publicum proferuntur, vt amisso forte donationis instrumento principali, fides peti possit ex publicis instrumentis: multo cautius prospiciendum ne donationis ad pias caussas memoria exolescat, & curandum, vt Ecclesia amissa fortasse cartâ donationis, aut testamento, ex publicis actis documentum rei sibi traditæ possit repetere.

ἐμφανιστικὰ quid sint.

Dicuntur autem Insinuationum Codices, ac Commentarij Græcis, τὰ ἐμφανιστικὰ, quod est publicatoria suæ declaratoriæ. Cuiusmodi (ne error

fortasse subrepat nominum similitudine) animaduerto fuisse duo genera: quædam enim sunt, ἐμφανίστικα, Clericorũ, & eorum qui Ecclesiæ deseruiebant, quæ nil aliud sunt, quam codex, seu Catalogus in quem referebantur Clericorum nomina, qui stipendia, diaria, siue sportulas ab Ecclesia, sumebant. Solebat enim eorum fieri descriptio. Alia fuerunt ἐμφανίστικα, siue insinuatiua donationum, & oblationum sacrarum, item testamentorum, de quibus nobis est sermo.

Ex antiquo itaq; ritu ipsimet Clerici, itẽ defensores Ecclesiarũ, habebãt apud se insinuatiua donationũ & oblationũ. Apud eos publicabantur testamenta; Sed ne abducerentur ab obsequiis Ecclesiæ debitis, & turbarentur officia, constituit Iustinianus, vt in posterùm Insinuationes testamentorum fierent apud Magistrum census: *Repetita promulgatione, non solum iudices quorumlibet tribunalium verum etiam defensores Ecclesiarum, apud quos turpissimum intimationis genus irrepserat præmonendos censemus, ne rem attingant, quæ nemini prorsus omnium secundum cõstitutionum præcepta, quam census Magistro competit: Absurdum, namque est si promiscuis actibus rerum turbentur officia, & alij creditum alius subtrahat, ac præcipue Clericis, quibus opprobrium est, si se peritos rerum forensium velint ostendere*, l. *Constituta Cod. de testament.* Erat autem Magister census, is apud quem publicari, & insinuari solebant, quæcumque opus erat publico testimonio confirmari, vt annotat Cuiacius ad dictam, *l. Constituta.*

L. Constituta Cod. de testamentis.

Lib. 6. tit. 23 l. 23.

Ex quo donatio fuerat insinuata, & instrumentum insinuationis factę, quod Græci δωρῦτικον, appellant receptum, nemini fas est consilium mutare, & rem donatam Martyri, vel Angelo impio genere pœnitudinis sibi retinere. Nolunt enim leges religiosa vota humana leuitate infringi, & quæ fidem hominibus seruari constituunt, sanctissimè prohibent, ne Deus vanis mortalium pollicitationibus illudatur. Itaque cum neminem, in opere religionis causâ inchoato pœnitere oporteat Zeno Imperator edixit, vt cogi possent ad perficiendum qui Ecclesiam inchoassent, aut qui tantummodo se ædificaturos promisissent, & insinuassent donationem prædij alicuius, aut Iuris. *Si quis donauerit rem aliquam mobilem, vel immobilẽ, vel se mouentẽ, aut ius aliquod personæ Martyris, aut Prophetæ, aut Angeli tanquā ipsi postea oratoriū ædificaturus, & donationem insinuauerit, apud quos necesse est cogitur. Opus quamuis nondum inchoatum fuerit perficere, per se, vel hæredes, l. si quis C. de Sacrosanctis Eccles.*

Constit. Zenon l. si quis Cod. de Sacrosanct. Eccles.

Et certe Ecclesiarum prærogatiua non minor esse debuit, quam operis alicuius prophani, quod vel ornamento ciuitatis, vel commodo populi cedere debet. At opera eiusmodi si quis olim vouisset, aut inchoasset, perficere tenebatur. Quod si per negligentiam hæredum staret, quominus opus publicum testamento legatum compleretur, & ad vmbilicum duceretur, cogebantur hæredes, ex edicto prætoris, sex primis mensibus vsuras leuiores persoluere Reipublicæ, & in posterum

rum exactis nempe sex mensibus vsuras tremisses. Ita Vlpianus l. *si legatum* ff. *de operibus publicis*, & l. *si pollicitus*. ff. *de pollicitationibus*. Cœpisse autem dicitur, opus publicum, qui fundamenta iecit, qui locum purgauit, qui apparatum siue impensam in publico posuit dictâ lege *si pollicitus* §. *cœpisse* ff. eodem titulo. Pœna autem non caruit negligentia eorum, qui sacro operi extruendo segnius incumbebant, & animas defunctorum subsidio religionis frustrabantur: *Nam si quis venerabile Oratorium, aut Xenonem, aut Ptochium, aut Orphanotrophium, aut Nosocomium, aut aliam venerabilem domum extrui, in vltima voluntate disposuerit, iubemus vt oratorium, intra quinque annos, perficiatur prouidentiâ locorum Episcopi, & Ciuilis magistratus: Xenon vero aut Ptochium, aut alia venerabilis domus, intra annum vnum extruatur; si intra annum hæredes Xenonem, aut quamque venerabilem domum, quam testator extrui disposuit, non fecerint iubemus vt ij domum vel emant, vel conducant, vbi iussa queant exequi, tantisper dum eiusmodi venerabilis domus absoluatur.* Nouella 131. §. *si quis*. Ex qua lege apparet in Hospitalibus, seu Xenodochiis erigendis, Imperatorem plus seueritatis adhibuisse, quam in Oratoriis. Nã Oratoriorũ extructio potest differri in annos quinque: at Xenodochium debet compleri intra annũ; Si enim vltra differatur Xenodochiorum cõstructio, legatis sibi subditis fraudantur pauperes, & complures languor, atque inopia conficit, qui malis suis accalamitatibus remedium aliquod, & finem inuenissent, si eis Xeno-

Nouella est §. si quis.

De Oratoriis & Xenodochiis construendis, quod tempus ab Imperatore præfixum.

dochij alicuius, aut Nosocomij asylum patuisset. Ex dilata vero Oratoriorum extructione id incommodi nón sequitur: nam possunt in aliis ædibus precari fideles, nec desunt templa, in quibus pietatis officia commode exequantur. Ea caussa constitutionem edidit Manuel Imperator mense Martio Indict. 14. quâ vetat ne, si quis pauperibus seu Christo sub eorumdem miseria ac sordibus latenti, bona sua diuidi supremo iudicio, & testamento instituerit, eius voluntatem Curatores exequi differant, & moram faciant piissimis votis, per litium ambages, & dilationes solitas iudiciorū. Idcirco censet in iis caussas, quæ pauperum commoda spectant, non oportere ordinem Iuris & Ceremonias seruari, sed quanta fieri potest celeritate finiri. *Hinc enim euenit* (ait Imperator.) *Vt morientium animæ detrimento afficiantur, & quæ propter bonum, & Vniuersi vtilitatem latæ sunt leges, in contrarium conuertantur.* Apud Photij Scholiastem Balsamonem, tit. 2. de Fide. Quamobrem si Xenodochio extruendo moram facerēt hæredes, tunc Episcopus domum aliquam pro arbitrio locabat sumptibus hæredum, in qua hospites, & peregrini excipi possent, aut morbo languentes, religiosè curari.

Constitut. Manuel. Indict. 14.

Cæterum, ne quid impedimento esset, quominus sacra vota defunctorum possent ad exitum perduci, non licebat hæredibus, ante operis sacri, & voti complementum, quidquā ex defuncti bonis præcerpere, vel detrahere Falcidiā, hoc

est,quartam hæreditatis partem,quam aliter Trebellianicam appellant. Nam etsi tota hæreditas foret in sumptus, vel Oratorij, vel Xenodochij exhaurienda, adire tamen hæreditatem cogebantur vellent nollent, qui scripti erant hæredes, & votis, ac voluntati testatoris satisfacere. Nemini enim graue ac durum esse debet, quod religionis caussâ institutum est, adeoque turpe est hæredes, ac liberos, de parentum, aut adgnatorum pietate conqueri, & dum mortuorum opibus auarâ cupiditate inhiant, eorundem saluti, ac quieti inuidere.

τὰ τῆς εὐσεβείας αἰτίας καταλιμπανόμενα οὐ φαλκιδεῦονται. Balsimon ad Nomac tit.2. De si; de.

Et certe si militum testamenta Falcidia lege non continentur, & inuiti hæredes militum coguntur adire hæreditatem, etsi Falcidiam seu quartam portionem minime lucrentur; quanto magis hac prærogatiuâ niti oportet testamenta eorum, qui si Reipublicæ non militarunt, sua tamen omnia pietati, qua Respublica viget, ac florescit religiosè mancipant.

L. miles. ff. ad legem falcidiam, lib.35.tit.2. vltimâ.

Interea monendum non prius licuisse aggredi domus sacræ constructionem; quam impetratâ veniâ ab Episcopo, cuius erat locum benedicere, Crucem figere, quos ritus in transcursu attingemus, vbi de monasteriorum erectione agetur.

Itaque viso inspectoque testamento, liberam dabat extruendi facultatem Episcopus, rescissis tamen conditionibus, & clausulis, si quas testamentum contineret, quæ sacris Canonibus & Iu-

ribus Episcoporum officerent, neque enim potest testator, aut quiuis alius adigere Ecclesiam ad conditiones iniquas, & illius libertatem, aut disciplinam quasi ære condicto nundinari. Ita Balsamon notat consistere non posse conditiones Antistibus iniuriosas, vt si testator scripserit se eâ lege fundare Monasterium, vt in eorum bonis locorum Antistites nullam omnino partem habeant. Similiter, inquit, Episcopi non possent fundare Monasterium. His conditionibus, vt eorum successores in ea nihil habeant Iuris. *ἀνυπόστατα εἶναι τὰ ἐν τοῖς τυπικοῖς γραφόμενα παρὰ τῶν κτητόρων, χάριν τοῦ μὴ μετέχειν ὅλως τοὺς ἐγχωρίους ἀρχιερεῖς εἰς τὰ παρ' αὐτῶν κτιζόμενα· μοναστήρια· ὡσαύτως καὶ τὰ τῶν ἀρχιερέων ὑπομνήματα, τὰ διαλαμβάνοντα μὴ μετέχειν εἰς τὰ μοναστήρια τοὺς μετ' αὐτοὺς ἐπισκόπους.* Pergamus ad locum, siue Aream ædificando templo destinatã. Primum quidem oportet fundũ, cui ædis sacra inextruenda est, ab omni hominum iure & dominio exauctorari, vt totum in Numinis potestatem transeat, cum quo mortales non habent commune diuidundum. Itaque ea caussa forsan locum sacrum extrui non licebat olim, nisi cum assensu Principis, l. *Sacra loca. ff. de rerum diuisione.* Quamobrem locus & fundus, qui sub conditione legatus est, & ad prophanam naturam redire potest, non valet à quoquam religiosus fieri, l. *Si locus sub conditione. ff. De Religiosis & sumptibus funerum.* Vnde antequam inextruatur Ecclesia, locus est ab omni prophana ditione eximendus: ita vt

Balsamon in Nomocanem (?) fotij, tit. 2. pag. 45.

etiam Princeps nullam in eo sibi retineat potestatem. Vnde legimus apud Ordericum Vitalem quod cum locus extruendo Monasterio Vticensi, seu Ecclesiæ sancti Ebrulfi, electus esset, Nobiles Normaniæ omne ius quod sibi in eum locum titulo dominij vindicare poterant, eiurarunt in fauorem religionis, vnico sibi orationum monasticarum censu reseruato, quam eorum voluntatem Dux Normaniæ probauit, & libertatem loci solemni diplomate confirmauit. *Locum*, inquit, *nominatum, communi consensu ita liberum tradiderunt eius tutelæ, vt nec sibi, nec alijs quibuslibet, aliquam adsuetudinem, aut reditum, præter beneficia orationum, à Monachis liceret, vel hominibus eorum exigere: Dux, autem bonæ voluntati eorum gratanter acquieuit, & testamentum de rebus, quas optimates sui sancto Ebrulpho dabant, confirmauit* Cæterum principes nullam amplius retinere in sacras ædes potestatem, sed eas omni humanâ potestate exemptas esse, satis probat infracta illa, & illustris Constantia Ambrosij, quâ aduersus auctoritatem Imperatorum, & vim militum prohibuit, ne Basilicæ ex mandato Principis, Arrianæ factionis Sacerdotibus traderentur. *Noli*, inquit, *te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt Imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto* Deo *subditus. Scriptum est, quæ Dei* Deo, *quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorẽ palatia pertinent; ad Sacerdotem Ecclesiæ: publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum* Epistola 14. lib. 2. An autem quis fun-

Ordericus Vitalis, lib. 3 Hist. Ecclesiasticæ.

dum suum vendere teneatur, si quando commodus visus sit Ecclesiæ extruendæ, non satis conueniunt Iuris interpretes. Mihi quidem cedendum Religioni videtur, adeoque cogi posse Dominos fundi existimo, vt iusto pretio accepto, illum distrahant: nam si vicinus per suum prædium cogi potest viam ad sepulchrum dare. l. *si quis sepulchrum. ff. de Religiosis & sumptibus funerum.* Ex rescripto Antonini. Si communem seruum manumittere volens compellit eum, cum quo communis est, pretium serui capere, vt ex integro seruus manumittatur, ex rescripto Seueri & Antonini, l. *in Communes seruos, C. de Communi seruo manumisso.* Denique si ob caussam publicam tenetur quis res suas distrahere moderato pretio: vt de agro militibus adsignato habetur. *l. item si verberatũ §. item si forte. ff. de rei vindicatione.* Et l. *Lucius. ff. de Euictionibus*, Si inquam hæc ita se habent; Quanto æquius est, vt quis sui fundi iustum pretium recipere cogatur, quando id religio postulat, & sacrorum veneratio. Nec vero societatem viuentium tantummodo religiosæ ædes refugiunt, sed etiam timent mortuorum contubernio violari. Vnde ædes sacras nefas erat olim construi, vbi mortuorum cadauera iacerent. Insignis locus in Trecensium extat Annalibus, in vita sancti Frodoberti, per Nicolaum Camuzatium, è manuscripto edita. Nam cum Beatus Antistes Prudentius, rogaretur ædem extruere in loco, vbi corpora defunctorum iacebant, ante consecratio-

Antiquitates Trecenses in vita sancti Frodoberti.

nem iussit eâ erui, & exportari. *Is ad prædictæ Basilicæ consecrationem à fratribus euocatus diligentius percunctatur, vtrum inter sacrãdos parietes sepulta aliquorum cadauera tegerentur. Cũque comperisset inesse quam plurima, vniuersa prius de templo eliminanda præcepit, contestans se non aliter consecrationis officium suscepturum.*

Ita diuus Gregorius Epistola 22. libri primi ad Surrentinum Episcopum, mandat consecrari Monasterium sancti Stephani, eâ conditione: si nempe eo loco constructum sit, vbi nullum corpus fuerit humatum. Eandem conditionem apponit in consecratione oratorij per Hemotheam Matronam conditi, libro secundo Epistolâ nonâ. quibus quidem gestis conformis est ferè sanctio Regia Capitul. lib.5.tit. 48. nisi quod de solis infidelium corporibus loquitur. *Ecclesiam, in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur sanctificare non licet: Sed si apta videtur ad consecrandum inde euulsis corporibus & rasis, vel lotis lignis, eius readificetur. &c.*

Greg.ep.22. l.1.& ep.9.l.2.

Capit.l.5.tit. 48.

Quinetiam si locus ille fuisset commercio Hæreticorum inquinatus, nefas erat illic extrui sacram ædem, quasi sordes istæ, infandi conuentus receptatione contractæ, adeo tenaciter hærerent, vt nullâ possent purgatione ablui. Ita Concilium Epaonense, Can.33. *Basilicas Hæreticorum, quas tanta execratione habemus exosas vt pollutionem earum purgabilem non putemus, sanctis vsibus applicare despicimus, sane quas per violentiam nostris tulerant possumus reuocare.*

Concil. Epaon.c.33. Anno 51

Digitized by Google

Spatium vero, vel maius, vel minus pro ædium ratione metabatur. Omnino vero animaduertendum possessionem Ecclesiasticam muris, & ambitu ædis sacræ non finiri, sed libera semper olim fuisse quoquouersum spatia quædam, quæ sacra, & religiosa haberentur. Hæc autem spatia vel atrio, vel scholis inseruiebant. Vnde priuilegium immunitatis Ecclesiasticæ, ad 30. passus in circuitu dicitur extendi, intra quos sacrilegium committitur si quid ablatū raptumue fuerit, vt scribit Ioannes 8. Can. *quisquis* 17. q. 4. Nec præterire possum, quod auctores finium regundorum de terminis ædium sacrarum à veteribus præfixis, & designatis referunt. Si quidem vt ambitum loci sacri definirent, quotuor aras, à quatuor mundi partibus, humi defodiebant· vt si templi limites quærerentur, hi termini proderent, quousque religio pertineret. Ita enim habet Dolabella. *Fines templares sic quæri debent, vt si in quadrifinio est positus, & quatuor possessionibus finem faciet, & quatuor aras quæris, & ædes quatuor ingressus habet, ideoque, vt ad sacrificium quisque per agrum suum intraret. Quod si desertum fuerit templum, aras sic quæris: longe à templo quæris pedibus xv. & inuenis vilia fundamenta aliqua quod si inter tres, tres ingressus habet, inter duos, duos ingressus habet templum.*

Dolabella de finibus apud Aggenum & alios.

Vnde patet fines templorum aris fuisse designatos in interuallo pedum quindecim, & totidem ingressus fuisse quot aræ & confinia.

Amplitudinem

Amplitudinem verò ædium sacrarũ describit Nicolaus Papa II. Epistolâ ad omnes Episcopos. *Sicut antiquitus à Sanctis Patribus statutum est statuimus, vt maior Ecclesia per circuitum* 40 *passus habeat Capellæ vero vel minores Ecclesiæ* 30. &c. Ita etiã Concilium Toletanum duodecimum canone decimo ius immunitatis Ecclesiastici intra spatium triginta pedum circa ambitum ædis sacræ definit, intra quod nefas erat cuiquam confugienti vim inferre. *His ipsis qui Ecclesiam petunt, per omnia licitum in* 30. *passibus ab Ecclesiæ ianuis progredi, in quibus triginta passibus vniuscuiusque Ecclesiæ, in toto circuitu defendetur: sic tamen, vt qui ad eam confugiunt, in extraneis, vel longe separatis ab Ecclesiâ domibus nullo modo obcellentur.*

Nicol. 2. & habetur 17 q. 4. C. sicut

CAPVT VII.

De dote Ecclesiarum, & ritibus antiquis donationum & cartarum. Qui fuerint Cartarum scriptores. Stylus Cartarum. Cartæ dotis Ecclesiasticæ aris impositæ. Denũtiatio anathematis à donatoribus vsitata. Quid traditio per herbam & cespitem, per ostium, & ansicula. Scotationis ritus, &c.

Ecclesias & Basilicas sine reliquiis Martyrum nefas erat constrũi. Vnde Concilium Africanum capite quinto, dirui iubet Ecclesias, quæ ta-

cris martyrum pignoribus caret. *Placuit ut altaria quæ passim per agros, & villas tanquam memoriæ martyrum construuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probatur ab* Episcopis *qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, euertantur: si autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent.* Quia ergo Basilicas omnes oportet venerandis martyrum exuuiis ornari. Ideo ne sine cultu, & reuerentia tam illustres reliquiæ iacerent, ne quorũ animus in cœlo triumphat, eorum cineres hominum fastidio, atque incuriâ læderentur: Clericos, & Sacerdotes necesse fuit adsciscí, qui martyrum reliquiis assiduo famulatu deseruirent, & in ornãdis ædibus sacris, ac Ecclesiis, siue luminibus (quibus martyrum memoria perpetuo coluit antiquitas) componendis versarentur.

Refertur de consecrat. dist.1. cap. 26.

Itaque Clericos fœdus aliquod & coniugij speciem cum Ecclesia ineũtes, nomine dotis, aliquid bonorum, & redituum habere oportuit, quibus seipsos alere possent, & congruentem ædibus sacris cultum, atque ornatum comparare. Hinc vetant patres Episcopos ædem consecrare, nisi prius dotem à laïcis acceperint, Canon quintus Concilij Braccarensis. *Vnusquisque Episcoporum meminerit, ut non prius dedicet* Ecclesiam *nisi antea dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem Cartulæ confirmatum accipiat. Nam non leuis est ista temeritas, si sine luminarijs, & vel sine sustẽtatione eorum, qui ibidem seruituri sunt tanquam domus priuata, ita consecretur* Ecclesia.

Vnde Gelasius Papa, Senecioni alias Senonensi Episcopo consecrari posse sancti Viti Ecclesiam scribit, si modo authenticum, & firmum acceperit dotationis instrumentum. *Piæ mentis amplectenda deuotio est, qua se Iulius nobis, in re Iuliana sui iuris fundasse perhibetur Ecclesiam, quam in honorem sancti Viti Confessoris eius nomine cupit consecrari: hanc igitur (frater charissime) si ad tuam Diœcesim pertinere non ambigis, ex more conuenit dedicari collata primitus donatione solemni quam ministris Ecclesię destinasse se præfati muneris testatur oblator, &c.* Licet vero Ecclesia ceremoniis iuris non teneatur, & habeat possessionem sine rei traditione, l. *vt inter*. Cod *de Sacrosanctis Ecclesiis*: tamen reperiuntur ritus quidam, & solemnitates, quibus interpositis necesse erat Ecclesiæ dotem, aut donationem quamlibet contradi. Imprimis vero animaduertendum dotem dari solitã antequãm Ecclesia ædificaretur, non enim sinebat extrui Episcopus, nisi dotis condicta instrumenta accepisset: vt constat ex iis, quę de Emphanisticis siue Insinuatiuis scripsimus, item de oratoriis quæ magnatum, seu pietate, seu desiderio extruebantur, quæ omnia hîc non libet repetere. Addamus tantum ex Capitularibus Caroli Magni, cap. 229. *Nemo* (inquit) *Ecclesiam ædificet antequam ciuitatis Episcopus veniat, & ibidem crucem figat publice, & ante præfiniat qui ædificare vult, quod ad luminaria, & ad custodiam, & stipendia custodum sufficiat: & sic factã donatione, domum ædificet.*

Licet vero dotis instrumenta ante extructionem confecta essent: tamen æde iam cõstitutâ, & ad fastigium perducta, cum Ecclesiæ fundatores Episcopum ad consecrationis munus inuitarent, solebant donationem confirmare, & addere ceremonias, quibus etiam vtebantur ii, qui postea aliqua parte suorum prædiorum vellent Ecclesiam augere. Cæremoniæ autem, istæ fuerunt potissimum apud Gallos nostrates, & Germanos.

In legibus Baiuuajorum edicitur, vt cui in animo est, aliquid ex facultatibus suis Ecclesiæ tradere, ille Cartam donationis conficiat, manu sua, si fieri potest, inscribat, adhibeat testes idoneos. Testes autem illi debuerunt esse homines liberi & ingenui: deinde Cartam donationis ita confectam pręsente Episcopo, aut Sacerdote in altari deponat. *Si quis liber persona voluerit, & dederit res suas ad Ecclesiam pro redemptione animæ suæ, licentiam habeat de portione suâ, postquam cum filiis suis partiuit, nullus eum prohibeat, non Rex, non Dux, nec vlla persona habeat potestatem prohibẽdi, & quidquid donauerit, villas, terram, mancipia, vel aliquam pecuniam, omnia quæcumque donauerit pro redemptione animæ suę, hoc per Epistolam confirmet propria manu sua ipse, & testes adhibeat sex vel amplius, si voluerit imponat manus in Epistola, & nomina eorum notentur ibi, quos ipse rogauerit, & tunc ipsam Epistolam ponat super altare, & sic tradat ipsam pecuniam coram sacerdote qui ibidem seruit, &c.*

Innumera Cartarum eiusœmodi exempla ex-

tant in Annalibus Fuldensium, & in Antiquitatibus Alemanicis. Ex quibus liquet Cartarum scriptores, vt plurimum fuisse, vel Clericos, vel Monachos, qui soli priscis illis temporibus, scribendi peritia callebant. Cartas vero & instrumenta, Latino idiomate concinnabant, stylo breui, atque vt plurimum sordido, cui passim admixta sunt Barbara, & Germanica vocabula, etiam in Cartis quæ in Franciâ, & sub Regibus nostris scriptæ sunt; nam linguæ Germanicæ vsum durasse apud Francos, ad Ludouici Pij tempora, inde constat quod idem Ludouicus, inter mortis certamina, nescio quo spectro pressus, & territus, dicitur eam vocem emisisse *huz, huz*, quod Germanica lingua est interpretatum Foras. In his vero Cartarũ scriptoribus, & notarijs numerãtur præcipuè Madalfredus, qui Monachus fuit sancti Galli, cuius cartæ plurimæ reperiuntur circa annum 847. Albunius Clericus qui scripsit anno 770. Præ cęteris vero Iso quidam Monachus, & magister sancti Galli scripsit Instrumenta non pauca circa annum Christi 913. imo & formulas quibus cartæ scriberentur composuit, quæ dicuntur formulæ Isonis.

Author vitæ Lud. Pij, apud Pithocum, pag. 10. 6. ędit. veteri

In cartis vero donationum primum exprimitur nomen Donatoris, deinde quâ caussâ donauerit, 3. quam rem donet, quod prædiũ, quæ mancipia, apponuntur testes quorum nomina scribebat manu sua, qui cartam conficiebat: vnusquisque vero testium signum, & characterem suum iuxta nomen suum apponebat. 4. Nomen suum adhi-

Digitized by Google

bebat auctor cartæ : ac denique nomen Comitis, vel Regis & annum regni, ac Imperij.

Illud interim animaduertendum fuisse in libertate donatorum, vt certam pœnam mulctamue irrogarent hæredibus suis, aut alijs quibuscumque, qui donationem rescindere tentarent, & ausu nefario vindicare prædium, aut mancipium semel Deo religiose consecratum. Adeoque in hac parte priuatus quilibet iudicem agebat, quia in defẽsione rei sacræ magistratus auctoritatẽ nemo est, qui non possit sibi adscribere. exẽplar vero eiuscemodi donationum, vt lectori alibi requirendi laborem, & fastidium submoueam hîc adtexo.

EXEMPLAR DONATIONIS EX SYLVESTRO DIACONO.

In nomine Christi. Ego Riuulfus cogitaui Dei intuitum, vel diuinam retributionem, vel peccatorum meorum veniam promerere. Propterea vernaculam Iuris mei terram eam in loco nuncupanti quod dicitur Petinuillare, quantum mihi Deus donauit, & parentes mei, in hæreditate dimiserunt, trado, seruum Allidulfum, cum omnia mea, cum agris, cum pradis, cum campis, cum aquis, cum siluis, cum pumiferis, trado de meo Iure sancto Galloni ad possidendũ, & postea quidquid exinde facere volueris vẽdendi, donandi, possedendi, liberam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel vlla opposita persona, qui contra hanc donationem venire, aut agere tentauerit, in primis Dei iram incurrat, & à communione corporis, vel

Sacerdotum extranius sit, & in fisco soluat auri libras duas, & argenti pondera quinque, & quod petit, vendicare non valeat, sed præsens hæc carta omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa. Actum præsentibus, quorum signacula continentur. Sign. Riuolfi qui hanc donationẽ fieri rogauit, Sign. Ruodolfi, Sign. Ascari, Sign. Audonis, Sign. Freduáldi, Sign. Ariberti, Sign. Suabonis, Sign. Luduáldi, Sign. Suzcini, Sign. Odpadi, Sign. Efiegi, Sig. Acconis, Sig. Zilonis, Sig. Ruodcoz. Notaui quod feci in mense Junio. V. Id. Iulias, in anno quinto decimo, regnante Domino *nostro Theodorico, Rege supra Carulum maiorem domus.* Ego *quanquam peccator Siluester descripsi, in* Dei *nomine. Amen.*

Ex quo patet comminationes excommunicationum, & Censurarum, non tantum à S. Pontificibus (quibus est Ius pellendi sacris perduelles & sceleratos) verum etiam à priuatis quibuslibet fuisse vsurpatas. Cõminationes excommunicationum etiam laicè vsurpatę.

Quanquam verò cartis & instrumentis rei traditio ac donatio firmaretur: attamen, & aliis ceremoniis vtebatur Ecclesia in adeunda possessione. Aliter enim in domus & casæ, aliter in prædij, aut agri possessioné mittebatur. Si enim aliquis Casam, vel domum Ecclesiæ legasset, & donasset: tum nomine Ecclesiæ, Sacerdos, Monachus, vel Aduocatus Ecclesiæ, vnà cum donatore domum illam adibat, & *per traditionem ostij, & anaticulorum domus*, in Ecclesiam rei dominium transferebat, ita elicimus ex Marculphi formula 1, 4. Quid sit autem tradere domum *per ostium, & Anaticula*

Ritus traditionis per Anaticula. Marculphus formulà 1, 4

meo, quidam iudicio non est difficile augurari. Nam cum possessionem tradi scripserint Iurisconsulti, non cogitatione sola, sed corporali apprehensione, probabile est eos qui se dominos, & possessores domus factos de nouo, significabant, ostij contactu, cardinum, & pessulorum ea possessione initiatos. Anaticulá autem sunt cardines domus ab ἀνατέλλω, id est orior, conuerto, inde ἀνάτολαι, dicuntur Cardines cœli

Quid anaticula, & inde appellata.

Qui autem prædium agrumue Ecclesiæ tradebat, is gramen siue cespitem, ex eadem terra reuellebat; & reuulsum tradebat Aduocato Ecclesiæ, vel Clerico, qui nomine Ecclesiæ possessionem prædij adibat. Eius rei insigne exemplum habemus in Chronico Vindesemiési, l. 1. cap. 17. *Discretus etiam, & prudens Ciuis Zuuollensis Gosuuinus Tyaeen octo iugera terræ cum dimidio dedit Monasterio, simpliciter, & pure propter Deum, in animæ suæ, & progenitorum suorum salutem, hæreditario iure à parentibus ad se deuoluta, realiter & legaliter resignans ea, coram notario & testibus, cum stramine de terra suscepto, & priori tributo legitime abrenuntiando.*

Chronicum Vindesemiense, cap. 17. p. 74.

Paulo aliter hunc ritum explicat Innocent. III. in cap. *Ex literis de consuetudine.* ad Archiepiscopum, & Capitulum Londensem (vbi male, Vulgo scribitur Lugdunensem.) Nam cósuetudinem esse ait, vt qui agrum & terram Ecclesiæ donat, eius glebam seu portionem aliquam togæ sinu inuoluat, quam deinde coram Antistite, in altari deponit: *Si vero quis possessiones aliquas claustris, vel aliis religiosis*

Innocentius 3 Capit ex literis de Consuetudine.

religiosis locis, in bona valetudine, vel vltima voluntate pro suorum vult remedio peccatorum conferre. Hac conferendi formam esse proponitis quod in eiuscemodi donationibus modicum terræ in manu consueuit accipere, vel in extremitate pallij quod manu prælati Ecclesiæ sustinetur, aut super altare ponendum sub testimonio videntium, & audientiũ sub dictâ formâ, quæ Scotatio vulgariter appellatur, &c. Alias donationũ formulas antiqui Codices subministrât Codex manu exaratus, tabulario e Apsiensis Monasterij in Diœcesi Pictonum formam donationis continet quâ, Matrona quædam illustris instrumentum donationis confirmat, per traditionem flocci capillorum. Quid sit Scotatio.

In eodem Codice Nobilis quidam morbo decumbens donat Ecclesiæ iura quædam, & prædia, & confirmat donationem traditione Calicis in quo communionem sumpsit.

In Archiuis Ecclesiæ sancti Hilarij Pictauiensis, donatio suburbani prædij confirmatur à Comite Pictauiensi, per traditionem Cinguli & impositionem eiusdem super altare. Hæ itaque sunt solemniores donationum formulæ.

Quod vero ad fundationum, & dotationum Cartas pertinet, de quibus hoc caput præcipue institutum est, nihil habent singulare, nisi quod in illis nomen scribebatur Episcopi, qui Basilicam consecrasset: & si forsan Episcopus Diœcesanus non posset consecrationem perficere, mentio fiebat in Carta, licentiæ ab eo impetratæ, alterius Episcopi ad consecrandam Basilicam inuitan-

di. Secundo loco fiebat accurata totius dotis descriptio, 3. loco scribebatur quot Clerici, vel Sacerdotes essent in eadem Basilica sacris rebus ministraturi. Exemplar dotationis, & fundationis exscribo, ex antiquitatibus Alemanicis.

EXEMPLAR DOTATIONIS.

Quoniam ex varietate rerum mortalium, & temporum continuata prolixitate, & humani generis debilitate, memoria rerum gestarum obliuionis irreptione extruditur. Ideo prudens industria hominum id quod posteritati voluit esse certum, sæpissime reliquit successoribus suis, testamẽtis confirmatum. In nomine ergo Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, notum sit omnibus, tam futuris, quam præsentibus, quod ego Notpertus Monachorum S. *Galli* Ecclesiæ *Abbas in nouali loco, qui Abbacella nuncupatur, in conualle circumpositorum montium sito, Basilicam ad seruitutem Dei condidi, quam & ædificatam à Thietmaro Curiensi Episcopo cum licentia, & rogatu Rumaldi Constantiensis Ecclesiæ præsulis, per legitimã consecrationem loci illius incolis ad oratoriũ stabiliui. Denique hanc eandem* Ecclesiam *prabẽda pueri vnius de claustro nostro, & vna Vuatspenda, & beneficio vnius mansus, & omni post subscriptæ decimationis determinatione dotaui, à monte Hersberch, ab alpe Solim, à Maggelisalpa, à Barental, à Portaris alpa, à Chranperch, à riuulo Buchenbach, ab ostio fluuioli Rota, vsque dum fluit in Sitterum, vsque ad originem; ita vt procliuitas circumpositorum montium ad eandem cellam secundum liquentiam niuis*

imminet apertiſsime determinaui. Hanc etiã dotationem Sacerdoti ibidem Deo *ſeruienti, banno Rumaldi Conſtantienſis Epiſcopi conſenſu Fratrum noſtrorum perpetuo iure ſtabiliui. Facta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini* M L X I. *indictione 9. regnante Rege noſtro Hainrico Romanorum Imp. Anno 4. Signa teſtium Vuittone Aduocato, Opreth, Atzo, Tietprebt, Vodalrich, Liebo, Regenolt, Eppo, Heilman, Vuolfpreth, & cæteri complures.*

Ad cuius cartæ notitiam quædam vocabula explicanda. Noualem itaque locum in quo Baſilica extructa eſt, intellige locum prius infertilem, recẽs vero excultum. Vaſtpenda autem qua dotatur ea Baſilica, nihil aliud eſt, quam veſtiaria penſio Monachis præſtari ſolita ab Abbate. Nam apud Germanos Vuatt, veſtem ſignificat, & Vatmam dicitur qui pannos vendit, Spenda vero annonam ſignificat.

Reſtant duo tantum ritus explicandi. Primus, quomodo Eccleſiæ poteſtatẽ Epiſcopo traderent. Secundus, qua ratione Epiſcopi in Eccleſiâ recens conditâ Clericos inſtituerent, ſeu vt vulgo dicunt inueſtirent.

Et quod ad primum pertinet: Epiſcopi, priuſquam Eccleſiæ καθιέρωσιν, ſeu conſecrationem aggrederentur, ſollicite inquirebant à fundatoribus, quibus conditionibus vellent eam dotare, ac ſi conditiones proponerent Eccleſiæ iniurioſas & à ſacrorum Canonum auctoritate diſcrepantes, puta ſi nollent Eccleſiam fundatam cognitioni & poteſtati Epiſcoporum ſubiacere, tum præſules

sacri, consecrationem adoriri renuebant, ne operis religiosi prætextu Religio ipsa læderetur. Si vero fundatores omnino se Canonum potestati summitterent, Episcopus consecratione peracta, coram sacris altaribus Ecclesiæ dominium, & gubernationem à fũdatore accipiebat: Tradebat autem fundator potestatem. Ecclesiæ PER PALLIUM altaris, vt vocant. Hoc est sumebat in manus altaris pallium, & Episcopo tradebat, qua ceremonia significabatur Ecclesiam in ditione Episcopi, quantum ad omnia iura esse constitutam.

Traditio per pallium altaris.

Illustre monimentum huius rei habes, in notitia donationum Ecclesiæ Salisburgensis cap. 9. apud Canisium, Tomo 6 antiquarum lectionum, vbi de Guntherio Comite sermo est, *Conuocauit*, (loquitur de Guntherio) *illuc sanctum Virgilium Episcopum eodem anno quo ad Episcopum ordinabatur, dixitque ei se velle ibi Monachos congregare, & Abbatem constituere & tunc Virgilius Episcopus requisiuit ab eo in cuius dominio voluisset, vt Abbas ille esset, & Monachi quos illic congregasset: & ille ei primitus hoc dicere noluit, dixitque ei Episcopus, Neque ego tibi Ecclesiam consecro, nec Monasterium, neque Abbatem, nisi secundum Canones sciam ad quem, locorum illorum rectitudo, & donatio constare debeat, & voluit inde abire. Denique idem Comes Guntherius diuino compunctus amore, cognouit quod Episcopus secundum Canonum statuta incedere vellet, & promisit se hoc ipsum quod ibi constructum habuit, ad monasterium perficere velle, & cum omni proprietate suâ eandem Ecclesiam, si consecrasset, ad*

Notitia donationũ Ecclesiæ Salisburgẽsis, cap. 9 apud Canis. tom. 6.

Salzburgensem sedem Episcopatus, & ad illam dominationem pleniter per omnia, secundum Canones tradere velle, & per omnia inde ita facere sicut Virgilius Episcopus illum doceret, & tunc demum consensit Virgilius Episcopus, & consecrauit ipsam Basilicam, in honore sancti Stephani, & omnem locum hunc. Quo facto Guntherius tradidit per Pallium altaris Virgilio Episcopo ipsam Ecclesiã, cum omnibus quæ ibidem antea perdonauit tradere.

Ex his patet quem animum attulerint veteres illi Episcopi in dignitate sui nominis propugnandâ, qui nolebant vlla in suâ Diœcesi Monasteria construi, nisi quæ Episcopi ditione, & authoritate continerentur.

Alterum vero quod ad inuestituram Ecclesiæ pertinet. Solebant Clerici, vel Monachi post solemnem consecrationem Basilicæ benedici ab Episcopo, & accepto ab eodem rerum Ecclesiasticarum inuentario de mysteriis rite peragendis admoneri. Idipsum in Monachis fiebat quos religiosa veste, si eam de nouo assumerent, idem Episcopus induebat, vt constat ex Chronico Vindesemiensi citato. cap. 13.

simul & Lectores & Ostiarios: ad hæc ædis sumptum adiecisse: prætereà peculiares reditus, qui instituto huic suo satis essent, neque multitudinem aliquam adiectam, cui exinde competens solutio fieri non posset. Vnde animaduertendum Oratoriis & Aediculis, ad priuatæ pietatis solummodo monimentum & significationem grati erga Deum animi constructis, dote non opus fuisse tam lautâ, quàm Parochiæ aut Monasterio.

Et certe in oratoriis habebatur ratio Clericorum, qui illic erant instituendi. Nam si forent è sacerdotũ numero, reditu opimiore dotabãtur, quã si in inferiori gradu consisterent, puta in Diaconorum, aut Ostiariorũ ordine. His enim sufficiebant mediocres sportulæ: quippe quibus nil incũberet oneris, præterquam ædem sacram purgare & candelis ac luminibus moderari. Ita definitum in Concilio Toletano sub Recaredo Rege Era DCXXXV. *Placuit Dei sacerdotibus, ne quisquã infra suam parocciã Dei aulam inquirat, & munificus ille qui sanctam Dei ædificauerit Ecclesiam, quod ibidem pio suo hærede largitus est, eodem loco presbyter secundum priorum Canonum instituta deseruiens habeat. Et si presbyterum ea facultas habere non permittit, vel diaconus instituatur. Certe si minor est census, ostiarius à sacerdote sit electus, qui nitorem infra sinus sanctæ Ecclesiæ faciat, qui & sanctarum Reliquiarũ luminaria omni subsequenti nocte accendat.*

Oratoria quam dotẽ postularent.

Concilium Toletanum sub Recaredo cap. 2.

Ex eo fortasse quod aliquæ ædes fundatæ essent, vt aliorum ordinũ, præterquam Ostiariorum mi-

quod monasterij subit appellationem, & aliorum, scilicet pretiosiorum vasorum, quæ ad ceremonias Deique cultum & existentis felicitatis reputationem pertinent, non deesse facultatem. Eum ergo qui monasterium consecrare velit adgredi citra prohibitionem, eo vsque ad minimum oportebit ad eius consecrationem impendere. Balsamon ad Canonē 16. Trullanæ synodi g. 557.

Quòd vero fundator Monasterij non tribus tantum monachis domum victumque, sed sibi quoq; debeat prospicere, caussa est: quoniam iubent Canones, vt si ædium sacrarum fundatores, in calamitatem incidant, atque ad inopiam rediganțur, victus & habitatio illis ex fundo censuue Ecclesiæ suppetat, ne beneficium se perdidisse lugeant, in ingratos conferendo.

Cœterum non omittendum apud Episcopum fuisse Codicem rerum Ecclesiasticarum, in quem referebantur ea, quæ quis, seu dotis nomine, seu alio quouis donationis genere contulisset, & in arbitrio stabat Episcopi vt pro dote Ecclesiæ hęc aut illa prædia admitteret vel respueret Nam si prędia vtilitatis aliquid essent allatura admittebat Episcopus, si vero non commodo, sed oneri futura repudiabat. Codicis interim Ecclesiastici meminit Synodus Constantinopolitana quæ dicitur prima & secunda, Canone primo. Nam postquam damnauit scelestum facinus aliquorum, qui vt pietatis famam aucupentur, monasteria construunt, & postquam ambitioni fecere satis, res Deo sacratas repetunt, & infami postliminio sibi vendicant: tandem vt huic morbo medeatur, definit, vt ne- Synodus Constant. p prima secunda Canone 1.

mini liceat monasterium ædificare absque Episcopi sententia, & consilio, *illo sciente & permittente, & eam quam debet orationem peragente, vt ab antiquis pie ac religiose cautum est, monasterium quidem ædificetur, omnia autem quæ ad ipsum pertinent cum illo in ipso breui inscribantur, & in Episcopalibus archiuis reponãtur, &c.* μετ᾽ πάντων δὲ τῶν αὐτῷ προσηκόντων σὺν αὐτῷ ἐκείνῳ βρεβίῳ ἐγκαταγράφεσθαι καὶ τοῖς ἐπισκοπικοῖς ἀρχείοις ἐναποτίθεσθαι. Vbi nota. τὸ βρέβιον esse Cartam, seu Indiculum donationis. Quæ vero hoc Canone appellantur ἀρχεῖα ἐπισκοπικά, alibi ad Canonem 17. Trullanæ Synodi, Balsamon vocat, ἐκκλησιαστικὸν κώδικα appellat. Hic autem Codex postremis tẽporibus à Cartophylace seruabatur, apud quẽ fundator Monasterij indiculum edebat earum rerũ, quas vellet in sumptus noui ædificij, & Monachorum annonam contradere; Quod si dotem eam competentem Cartophylax iudicaret, tum Crucis figendæ, hoc est inchoandi monasterij facultatem impertiebatur. Et hunc esse morem sui temporis testatur Balsamon loco citato. *In vrbium quidẽ Regina, ab huius tẽporis Cartophylace crucis fixio extra vrbem non datur templum excitare volenti, nisi in scriptis deposuerit iuxta Canonem primum. 1 & 2. Synodi se omnia attulisse quæ ad eius perfectionem pertinent, & ea minutatim confirmauerit in Codice Ecclesiastico.* Nec mirum Cartophylacis veniâ opus fuisse, ad extruendum Monasterium, quippe qui Balsamonis temporibus, in tantum dignitatis gradum conscendisset, vt Episcoporum iure, & honoribus fru-

Balsamon ad Can 17. Trull. Synody.

retur. Ita idem Balsamon ad Canone 9. septimæ Synodi, ἀφωρίσθησαν τῷ σεκρέτῳ τοῦ χαρτοφυλακείου τὰ ἐπισκοπικὰ δίκαια, καὶ ὁ κατὰ καιροὺς χαρτοφύλαξ ἐνεργεῖ δικαίῳ τοῦ κατὰ καιροὺς ἁγιωτάτου πατριάρχου, πάντα τὰ τούτῳ ἀνήκοντα, ὡς ἐπισκόπῳ. ἀφορίζει γὰρ, διορθοῦται τὰ ψυχικὰ σφάλματα, διακόνους καὶ ἱερεῖς ἐπιτρέπει χειροτονεῖσθαι, τὰ τῶν ἱεροτελεστιῶν πινάκια ἐκτίθεται καὶ ἄλλα τοιοῦτα τινά, καλῶς ἐπισκοπεῖον κληθήσεται τὸ χαρτοφυλακεῖον. *Cartophylacij autem seu tabularij secreto, seorsim deputata sunt iura Episcopalia, & qui hoc tempore est Cartophylax sanctißimi huius temporis Patriarchæ, iure omnia quæ ad eum pertinent exercet, vt* Episcopus. *Etenim excommunicat, animæ delicta corrigit,* Diaconos *& Sacerdotes ordinari permittit, sacrorum ministeriorum tabulas, seu indices exponit, & quædam eiusmodi alia. Cartophylacium recte* Episcopatus *dicitur.* Vnde non mirum si insignibus honoris, tam egregiis donatus fuerit Cartophylax. Alexius Comenus iubet eum προκαθῆσθαι τῶν ἀρχιερέων, *sedere ante Episcopos.* Si quando oporteret eos conuenire, antequam admittantur ad Patriarcham, cui nemo inconsulto Cartophylace loquebatur. Apud eundem Balsamonem ad Canonem 18 Nicænæ Synodi Cartophylacem in equo patriarchali albo linteamine instrato equitasse in festo Notariorum, & tiara vti solitum idem refert in Nomocanonem Photij tit. 8. de Parochiis.

Balsamon ad Canon nonum 7. Synodi.

Balsamon ad Can. 18. Nicenæ Synodi.

Fuit festum notariorum ludicrum, puerile in quo pueri agebant Episcopos

CAPVT IX.

De parœciarum origine & progressu. Parœciæ etymon. Quinam parochi apud Romanos. Species quædam parochiarum apud infideles. Initia parochiarum etiam rusticarum Apostolorum temporibus. Parochiarum in vrbibus distinguendarum caussa. Euaristus parochiarum author non Dyonisius. Declaratum fermentum quid. Parochiarum rusticarum distinctio & limites, à quibus positi. In Hispania parochiæ ante Concilium Iliberitanum. Domus Nobilium primæ parochiæ, &c.

NIl est sanctũ & inuiolatum quod aliquando temporis longinquitate non corrumpatur. Societas nostra non tam est subsidiorum quàm vitiorum turpe commercium, nam mutuo affrictu suas quisque sordes alteri allinit, & priuatæ libidinis licentiam, atque impunitatem assequitur, alterius cupiditatibus indulgendo.

Hinc morum pestilentia sæuius per vrbes, quàm per oppida grassatur. Nam qui ciuitates incolunt, non tam humanitate cultuque virtutum, quàm vitiis, & sceleribus rusticitatem excutiunt, & eò se politiores existimant, quò magis fuerunt in nequitiis fingendis ingeniosi.

Atque vt ex tabidis corporibus lues maligna in aërem effunditur, vt nitentibus speculis anus

putridæ squalidas nubes inducunt; Ita & hominum ingenia vitiorum halitus infestos etiam in sacra solent transfundere. Quamobrem sanctitatem sacrorum vrbes primum corruperunt, dumque innocentes Deos, Faunum, Pana, Cererem, simplicissimi agricolæ fistula & arundine colunt, Senatus, Floras & Veneres Deas esse iubet infami meretricatu cœlum polluit, facitque hominum fœlicitatem, scortorum societatem. Nec præteriti temporis mala lugendi locus est, dum nostræ nos calamitates vexãt: Non finit instituta de parochiis disputatio à querelis abstinere. Nam cum omnia tẽporis progressu in Ecclesia, adoleuerint, Episcoporũ splendor, dignitas, Monasteriorum amplitudo, numerus, prærogatiua: sola parochiarum disciplina ita exoleuit, vt nisi mediocres villæ, & pagi earum vestigia quædam retinuissent, vix sciremus parochias extitisse. Nam quotusquisque est hodiernâ die, qui in parochia Missarum solemnibus sacris intersit? quotus quisq; oblationibus Deum placat? Quotusquisque monenti Pastori aurem patientem, & docilem præbet? Ista omnia vetustatis accusantur ingenij famam, nouitatum studio omnes ambiunt, & nisi cœlum meliorem nobis mentem immittat, periculum est, ne sacrum Euangelij fœdus in antiquitatis infamiam incurrat, & lex Christiana, eâ quâ maximè est commendabilis longæuitate rideatur. At rei Christianæ splendorem parum minuit, inquiet aliquis, ista pa-

rochiarum dissipatio. Itane vero; turbari Diœceses, Parochias confundi, Episcopatus permisceri, nunquid perinde est, ac orbem illum ad antiquam redire ἀταξίαν. Delirarunt itaque Martyres generosi, Prælati illustres, qui hunc ordinem quem sæculi nostri vecors sapientia, & falsa sagacitas contumaciter euertit, tantis conatibus compegerunt. Inter flammas, & incendia sæuientium & furentium Imperatorum quid aliud egerunt Pontifices quàm vt Ecclesiam ordinarent, parochias conderent, & certis finibus Ministrorũ curam definirent. Si libertate opus erat maxime iis temporibus quo cælare pietatem cogebantur, quo impiæ tyrannorum leges Christianorum patientiam satis exercebant, etsi Ecclesiastica disciciplina nil vltra oneris addidisset. Sed ne conducti ad lessum planctumue parochiarum videamur, prouehamus stylum in earum antiquitatem, dotem, & fundationem.

Parochi & Parochiarum nomen antiquum, sed non tam illustri significatione. Quippe parochus antiquis idem fere ac diuersorij dominus, qui nimirum peregrinantes parte commeatus iuuabat, maxime cum Reip. caussâ esset iter institutum. Ita Porphyrio ad Satyram 5 Horatij lib. primo sermonum, *Parochi* (inquit) *copiarij dicuntur* ἀπὸ τοῦ παρέχειν *idest ab exhibendo. Hodie autẽ à copiarijs præstantur hæc, nimirum lignum & sal, ijs qui Reip. caussâ iter faciunt,* nec tantum lignum & sal, sed etiam gratuitam & honorariam euectionem præbebant gentium

Porphyrio ad Satyram 5. Horatij lib. 1.

exterarum legatis. Nonius Marcellus. *Parochos à Græco tractum est nomen quod vehicula præbeat*, &c. Acron ad Horatij Satyram 8. lib. 2. *Parochi dicuntur qui hospitibus publice exhibent necessaria.* Iidem appellantur Xenoparochi l. *munerum*, ff. de *muneribus*, videtur autem multum differre parochia & paroecia. Est enim parochia præbitio seu spatium, intra quod veteres illi parochi tenebantur peregrinantibus lautia suppeditare: at vero παροικία est plurium domorum vicinia & conglobatio. Parochias vero Diœceses integras quibus Episcopi præsiderent, appellarunt veteres. Ita Canon. 14. Apost. vetat ne Episcopi à paroecia in paroeciam transiliant. Ita apud Eusebium vocatur paroecia Alexandrina, paroecia Ephesina pro Diœcesibus. Taceo innumera eiusmodi, & titulum totum apud Photium de parochiis.

Nonius Marcellus in voce parochos. Acron ad Satyram 8 lib. 2. l. Munerum ff. de muneribus.

Parochia & paroecia qui differant.

Canon. Apost. li. 14. Euseb. lib. 3. hist. cap. 25. & 31.

Parochiarum vero imaginem quandam habuit antiquitas. Nam cum ciuitas in tribus nouemdecim Vrbanas, & vnaquæque tribus in decem Curias foret distincta: nemo nescit vnicuique Curiæ suum fuisse templum & suum sacerdotem. Marcus Varro, *Curiæ*, inquit, *duorum generum & vbi curarent sacerdotes res diuinas vt Curiæ Veteres: & vbi Senatus humanas vt Curia hostilia quam primus ædificauit Hostilius Rex ante rostra*, &c.

In municipiis vero sui quoque fuere sacerdotes, nam & alia habebant à Romanis sacra, & alios ritus: vnde cùm è municipiis in vrbem commigrarent, sacris munipalibus cogebantur renun-

ta Iouis magni, medio iacet Insula Ponto, centum vrbes habitāt magnas. Vtor itaque alio argumento. Paulus Romanorum decimo sexto commendat Phœben, quæ erat in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris: erat ergo Ecclesia quædam Cenchris instituta. At ea Ecclesia non erat Metropolis, nec Episcopum habebat. Nam Cenchris non est ciuitas, sed pagus tantum insignis Corinthi: ita annotauit Theodoretus in caput 16. Pauli, *Cenchreæ, inquit, erat pagus maximus Corinthiæ*, At in pagis nūquam constituebantur Episcopi. Deinde Cenchris nūquam inter Episcopatus Corinthiacæ metropoleos nominatur: subsunt enim Corintho tres Diœceses Damala, Argiuus, Monébasia. Ibidem Paulus Aquilæ domesticam Ecclesiam salutat. At illa domestica Ecclesia sine presbytero non erat. Ergo speciem habebat parochiæ.

Veniamus ad subsequentia tempora. Parochiarum, quæ apud Christianos postea institutæ sunt, non eadem origo. Namque aliquas earum constat ab ipsis fidei incunabulis constitutas, cum Episcopi prima Religionis Christianæ semina in prouinciis spargerent: aliquas vero liquet posterioribus sæculis natas, cùm domini prædiorum peterent ab Episcopis extruendæ parochiæ licentiam, ne familia & municipes sui, propter itinerum incommoda parcius sacris interessent. Parochias & in vrbibus & in agris primis sæculis conditas quis ignorat? In vrbibus parochias fecit necessitas & populi frequentia. Nam cum insignes ci-

uitates, quas solas Episcoporum sedibus assignant Canones, vnius sacerdotis cura regere non posset, neque immensum populum vnius ædis spatia concludere, visum est Episcopis in legiones & Centurias populum partiri, & regiones ciuitatis certis limitibus describere, vt vnicuique earum suus sacerdos & Curio præficeretur. Roma ipsa parochiarum initia videtur debere sancto Clementi, qui regiones diuisit septem notariis qui gesta martyrum describerent. Nam si notarij quidam erant regionarij, instituti ad scribendam memoriam martyrum, probabile est etiam fuisse diaconos & presbyteros regionarios, qui martyres ad constantiam hortarentur, & eosdem carceribus conclusos inuiserent. Quod si hæc coniectura fallitur, certum est quod post Clementem, Euaristus dicitur titulos in vrbe Roma diuisisse presbyteris apud Anastasium Bibliothecarium. Titulus autem quid aliud quã Basilica titulo crucis insignita. Nam & vt Imperatores prædiis fiscalibus solebant titulos præfigere, quibus lectis, territi nominum auctoritate milites, aut prædones ab inuasione abstinerent: ita in ædibus, seu domibus, ad peragenda mysteria consecratis, venerandum religionis nostræ characterem inscribebant, vt constaret Deum hîc adesse præsentem, discerentque locum cultu impensiore venerari. Sic Pius Papa titulum appellat, domum Euprepiæ, quam ipsa dederat Ecclesiæ vt solemnes in eâ synaxes agerentur.

Anastasius Biblioth. in Euaristo.

l. si quando C. de Bon. vacant.

t. Epistola ad Episcop. Viennens.

Ac ne parochiarum ista in ciuitatibus diuisio,

quidquam vnitati Christianæ noceret, quam vt apicem perfectionis prima sæcula coluerunt, neue qui presbyterorum regionalium curæ credebantur, viderentur esse ab Episcoporum potestate reuulsi, hac ceremonia vtebantur. Quoties sacra mysteria Romanus Pontifex obibat, toties fermentum sacrum per omnes Ecclesias mittebat, vt vnius panis ab Episcopo profecti esu & comestione, omnes profiterentur se vni Episcopo tanquam patri adhærescere, & se plures quidem habere pædagogos, sed vnum patrem, vt monet Paulus. Et hoc est, quod de Melchiade narrat Anastasius, *Hic fecit vt oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur quod declaratur fermentum,* verum hunc morem elegantius exprimit Innocentius epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, *De fermento vero quod die Dominica per titulos mittimus superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra ciuitatem sint constitutæ, quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt vt se à nostra communione, maxime illa die non iudicent separatos.* Concilij Laodiceni temporibus durasse adhuc hunc morem coniectamus, nam Canone 14 constituit, *Sanctas oblationes ad vicem Eulogiarum per festiuitatem Paschalem ad alias parochias minime mitti oportere.*

Fermētum per parochias missum.

Anastas. in vita Melchiadis.

Innoc. epi. ad Decentium.

Itaque ad exemplar Romanæ Ecclesiæ maiores quæque ciuitates, vt Alexandrina, ab Episcopis fuerūt in parochias distributæ. Idipsū de Lutetianâ

eruditè admodum annotauit Doctissimus Filsacius.

Hæc ergo sunt initia parochiarum in ciuitatibus quarum minores & angustiores parochias non habuerũt. Dicamus de parochiis rusticanis. Non dubium est, quin facilius fuerit ciuitatum parochiis terminos præscribere, quam Rusticis & Villaribus; siue quia ciuitatum regiones a politicis magistratibus iam descriptæ reperiebantur, siue quia facilius esset vrbem partiri quã prouinciam, neq; possent Episcopi rebus grauioribus impediti ad hanc disciplinæ partem curas appellere. Imo vero in Episcopatibus quorum sunt angusti fines, nullæ primis temporibus erant Rusticanæ paroeciæ, vt de Episcopatu Romano liquet ex epistola Innocentij ad Decentium. Nam facile è proximis mapalibus, si qui essent Christiani, in vrbem confluebãt. Quo ergo tempore distinctæ sunt & terminis ac limitibus descriptæ, dubium maximũ. Nonnulli ab Anacleti temporibus earum initia deducunt, qui Episcopos per maiores ciuitates, presbyteros vero per villas & oppida iubet constitui. *Episcopi*, inquit, *Domini Apostolorum, presbyteri quoque 70. discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in Castellis, aut modicis ciuitatibus debent constitui, sed presbyteri per Castella & modicas ciuitates, atque villas debent ab Episcopis ordinari, & poni, singuli tamen per singulos titulos suos.* Vixit autem Anacletus circa annum Christi 103.

Villarum parochiæ quando illustratæ & descriptæ.

Anacletus epist. ad oẽs Episcop. to. 1. Concil.

Alij Dionysij Papæ epistolam proferunt, quem

etiam volunt quidem initium titulis, & parochiis in vrbe Roma dedisse. Is enim Seuero Episcopo Cordubensi sciscitanti, quâ ratione Cordubensem Diœcesim regeret, & parochias per eam constitueret, sic respondit. *De Ecclesiis verò parochianis vnde Apostolicam sedem consulere voluisti, qualiter custodiendæ per Cordubensem Prouinciam, & diuidendæ Sacerdotibus, nil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quam vt sequaris quod nos in Romanâ Ecclesia nuper egisse cognoscitur. Ecclesias vero singulas singulis Presbyteris dedimus, Parochias, & cœmiteria diuisimus, & vnicuique ius proprium habere statuimus, &c.*

Dyonisij Epist. ad Seuerum epis. Cordubensem.

Initia parochiarum Rusticarum in Hispania.

Quis enim dubitat hoc accepto responso Seuerinum totam Diœcesim parochianis Presbyteris partitum, ac proinde his saltem auspiciis parochias in Hispania incepisse.

At nemo nescit Epistolarum, & Anacleti, & Dionysij fidem nutare, neque ante Syricium Papam vllas summorum Episcoporum tabulas suspicione carere.

Ne ergo ruituris Atlantibus innitamur, dicamus Presbyterorum antiquissimam esse originem: Presbyteri autem, & parochi iidem fere, nam sine titulo, & cura presbyteros facere ignorauit antiquitas A discipulis, itaque Domini fluxere parochi, qui Apostolorum curis & solicitudinibus succenturiati, partem muneris obibant, & quò Apostoli commigrare non possent, eo se conferebant. Ita Fulbertus Carnotens. Episcopus Epistola 2. Anacletus Epistola. 2. ad Episcopos Italiæ. Mon-

Discipulis Christi successerunt parochi. Fulbert. Carnot. ep 1. Anaclet. epist. 2. ad Epis. Italiæ.

tanus Episcopus Toletanus, Epist. ad Episcopos Territorii Placentini, quæ habetur post Concil. Tolet. 2. licet Ignatius, Epist. ad Trallienses, Episcopos Christo, presbyteros vero Apostolis successisse iudicet, cum ait, ὑποτάσσητε ᾧ, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς ἀποστόλοις Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Ignatius ad Trallianos Epist. col. 5.

Licet itaque non constet quandonam limites fuerint parochiis præfiniti, certum est tamen Episcopos semper fuisse vsos operâ Presbyterorum, eosque in regiones, villas, & oppida misisse Euangelij disseminandi caussâ, qu pacto se erga discipulos gesserant Apostoli.

Atque vt ipsimet Episcopi non tantum in amplis ciuitatibus, verum etiam in villis, & pagis Euangelium prædicabant, ita si villarum dominos propitios habuissent ac fauentes, in illorum certe prædiis & Castellis Ecclesias consecrabant, quibus quando erant discessuri Presbyterum præficiebant. Sic existimarim antiquissimam in agro Parisiensi parœciam esse Christolium, in qua Altinus, & Eodoldus à Sauiniano Aureliam missi, viros clarissimos, eius loci Dominos, ad fidem conuerterunt Agoardum videlicet, & Aglibertum vnà cum ingenti turba populi. Hoc enim facto, euersis idolorum simulachris Ecclesiam illic construxerunt, & Presbyterum instituerunt, vt ex monimentis illius loci facile liquet. Pari quoque exemplo Harigerus Abbas scribit Beatum Maternum, multas per Coloniensem Diœcesim Ecclesias instituisse. *Fundauit*, inquit, *per Diœcesim Coloniensem*

Digitized by Google

multas sanctorum diuersorum Ecclesias, *primo destructis idololatriæ templis, & multos Nobiles signis, & miraculis ad Christi Fidem conuertit.* Sic ergo primæ parochiæ rusticanæ fuerunt in Castellis & domibus Nobilium, quos Apostolorum successores ad fidem conuertebant.

Progressu vero temporis plures in pagis parœcias fidelium numerus effecit, quorum nomen Presbyteri parœciani assumebãt. Ita in Concilio Iliberitano, hi subscripsisse reperiuntur. Restitutus Presbyter de Elepel. Natalis Presbyter de Orsūna. Barbatus presbyter de Aduingi, hæc autem nomina fuere oppidorum, & pagorum quibus præerant. Adde Eucharium à Municipio qui huic ipsi Concilio subscripsit: At in municipiis nulli erant Episcopi. Ne vero sine exemplo simus Antiquissimam parochianæ Ecclesiæ ideam videre est, apud Palladium in Historia Lausiacâ capite sexto, vbi de parochia Monachorum, qui in Nitriæ solitudinibus pietati operam dabant. *Veniunt*, inquit, *ad Ecclesiam Sabbato solum, & Dominico: sunt autē octo Presbyteri, qui præsunt huic Ecclesiæ in qua quandiu viuit primus Presbyter eius Ecclesiæ, nullus alius offert, nec iudicat, nec habet sermonem, sed solum cum eo sedent.* Initia autem eius parochiæ, quæ pæne cum Monachorum Republica inchoata est, longe sunt Constantini temporibus antiquiora.

Subscriptiones Conc. Iliberitani, apud Garsiam Loaisam

Palladius hist. Lausiacæ cap. 5.

Nec tantum in desertis & solitudinibus, sed etiam in pagis illustribus parochias video. Seuerus dialogo primo, scribit Bethleem esse parochiam

Seuerus Sulpitius dialogi cap. 3.

Hierosolimitani Episcopi, atque huic præfuisse Hieronymum quendam Presbyterum. *Igitur inde digressu Bethleem oppidum petij, quod ab Hierosolymis sex millibus disparatur. Ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest, Ecclesiam loci illius Hieronymus Presbyter regit. Nam Parochia est Episcopi, qui Hierosolymam tenet.*

CAPVT X.

De dote, & fundationibus paroeciarum. Presbyteri non tenentur manibus victum quærere. Ipsis debentur stipendia à populo. Liberalius stipendium Presbyteri olim capiebant quam Diaconi. *Episcoporum auctoritas in res Ecclesiæ. Distributio & partitio antiqua oblationum ex Clemente. Partitio oblationum recentior. Quomodo tertiam decimarum* Episcopi *remiserunt, &c.*

DVm communi gentium inuidiâ laboraret Christianum nomen, dum pietatis, ac honestatis vindices Prælati, pro scelerum magistris haberentur; quid erant aliud stipendia Clericorum dotes Presbyterorum, honores Episcoporum, nisi cruces, tormenta, equulei, verum Christi patrimonium: cuius participatione, eius filij agnoscimur, qui nullo magis quam patientiæ miraculo voluit illustrari.

Ne

Ne quæramus ergo fundos, prædia, villas in primâ Christianæ rei adolescentia: tenues admodum erant reditus Episcoporum: tenuiores Presbyterorum.

Hoc tamen sciendum, primo Presbyteros ex oblationibus, & votiuis fidelium muneribus victitasse. Licet enim Paulus sibi manibus victũ parauerit, ius tamen habuit stipendia poscendi ab iis, quorum saluti militabat: nemo enim propriis stipendiis, nequidem in Dei caussâ militat. Nec est quod in ergastulum velit aliquis Presbyteros compingere, & cogere eosdem, vt manibus laborent. Nam etsi honestis artibus victum quærere possint Clerici, & eas artes tractare quæ à dignitate Ecclesiastica minime abhorreant, vt scribit Epiphanius, τὰς τεχνὰς τῆς ἐκκλησιαστικῆς φροντίδος συμπρεπούσας, attamen ius habent petendi à populis necessaria vitæ subsidia, quatenus sunt eorum pastores. *Quam eandem ob caussam*, inquit, (Epiphanius) *pro incredibili ipsorum in gubernandis populis occupatione, atque Ecclesiastica procuratione administrandique labore perpetuo. Diuinum hoc oraculum edicit. Quis gregem pascit, & illius lacte non alitur? Quis plantat vineam, & eius fructu non vescitur? Deinde operam inquit nauantem agricolam ante omnes, par est fructus edere, vt ne presbyterum, vel Episcopum quotidiano cibo indigentem constituat. Ob id populos hortatur, vt quæ ad alendos Sacerdotes necessaria sunt, iustissimis suis laboribus quæsita suppeditent.* Et paulo post de Sacerdotibus loquitur in hunc modum Epiphanius:

Epiphanius hæresi 80. lib.3.tom.2.

1.Corinth.9

Ff

1 Epiphan. hæres. 80. lib. 3. tom. 2

Nulla, inquit, *ad manibus laborandum necessitate damnati coactique sunt, sed cum iustissimos alios labores, & Ecclesiasticas occupationes habeant pro eo atque æquum est ali iidem eidem debent.*

Itaque primi illi præsules victum suis Presbyteris largiebantur è populorum oblationibus. Paulues eos qui bene præsunt Presbyteri duplici honore dignos indicat, at duplicem honorem geminum stipendium omnes terræ interpretantur.

Cyprianus p.62.

Cyprianus liberaliores sportulas Presbyterorum ordini, quam ceteris inferioris notæ Clericis indulgebat, vt constat ex Epistolâ sexagesimâ secundâ, in qua aperte sportulas Presbyterorum à sportulis Lectorum distinguit, & vult Aurelium honore sportularum presbyteralium gaudere, licet in lectorum numero adhuc consisteret. Quid vero & quantum habuerint presbyteri parochiarum, postquam ceperunt cõstitui, non est difficile explicare. Imprimis vero agnoscendũ est, Episcopos eorum omniũ Ecclesiasticarum dominos, ac dispẽsatores perpetuo extitisse, neque Clericos & presbyteros è facultatibus Ecclesię, quidquam potuisse consequi, nisi ex beneficio, & cõsensu Episcopi, cuius erat & animis hominum, & opibus Ecclesiarum moderari. Apostolorum Canon 38. πάντων τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁ ἐπίσκοπος ἐχέτω τὴν φροντίδα καὶ διοικείτω αὐτὰ ὡς θεοῦ ἐφορῶντος. *Omnium rerum Ecclesiasticarum curam gerat Episcopus, & administret tanquam Deo intuente.* Et Canone 41. προστάσσομεν τὸν ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας

Canon. Apost. 38.

Canon. Apost. 41.

πραγμάτων. Iubemus Episcopum rerum Ecclesiæ potestatem habere, si enim pretiosæ hominum animæ eis sunt credendæ, multò magis ei sunt committendę pecuniæ, vt in eius sit facultate omnia administrare, & ijs qui egent, per Presbyteros & Diaconos subministrare, &c. Idem habet Concilium Antiochenum Canone 25. Concil.Antiochenum, Can.25.

Eam Episcoporum in Ecclesia maiestatem sic antiqua coluit Ecclesia, vt nemini è Clericorum Catalogo licere arbitraretur oblationes fidelium admittere, nisi cum Episcopi consensu, adeoque Anathemate feriebantur, qui inconsulto Episcopo darent, & aut reciperent. Concilium Gangrense Canone 7. *Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam recipere, vel dare voluerit præter conscientiam Episcopi, vel eius cui eiusmodi officia cōmissa sunt, ne cum eius voluerit agere consilio Anathema sit.* Et Canone 8. *Si quis dederit, vel acceperit oblata præter Episcopum, vel eum qui constitutus est ab eo, ad dispensandam pauperibus misericordiam, & qui dat, & qui accipit Anathema sit.* Cuius Canonis ratio nulla esse potest, nisi quod eius est oblationes suscipere qui Dei partes in terris sustinet, qui cum è cœlo saluberrima hominum generi beneficia eliciat, debet etiam hominum vota, & largitiones Deo commendare. Nemini licet oblata recipere nisi Episcopo

Cum itaque res Ecclesiarum in potestate Episcopi versarentur, liceretque ei pro arbitrio dispensare, sequitur dotem parochiarum primis temporibus ex nutu Episcopi fuisse constitutam. Vnde in plurimis hodie Episcopatibus decimæ om-

nes, & quidquid obuentionum parochiis aduenit, id totum cedit lucro & commodo Episcoporum, qui annuas tantum pensiones Parochis, & Sacerdotibus præstant, cæteris fructibus sibi vēdicatis. Id autem non ita frequens fuit, & locum tantum habuit, vbi Episcoporum reditus proprij tenues erant, & angusti. Ideoque partem fructum, & oblationum Presbyteris tribui, solemnis, & publica propè fuit consuetudo.

In Episcopatu Albiēsi, & aliis Narbonēsis Prouinciæ id fit.

Antiquissimus scriptor Clemens Romanus, lib. 2. Constitutionum, cap. 32. modum describit, quo Presbyteris Diaconis, Clericis, & Episcopis certa portio conferretur in Agapis siue conuiuiis Christianorum, *Seponatur*, inquit, *in conuiuio quod pastori consuetum est dari, dico autem id quod ad primitas pertinet veluti Sacerdoti, etiam si conuiuio non adsit, idque in honorem Dei, qui ei Sacerdotium commisit. Quatnum autem vnicuique Presbyterorum datur, eius duplum detur Diaconis in honorem Christi. Presbyteris vero, vt qui laborant in verbo doctrinæ duplex seponatur pars in gratiam Apostolorum Domini, cuius locum sustinent tanquam consiliarij Episcoporum, & Ecclesiæ corona: sunt enim ij Senatus consessus Ecclesiæ. Si Lector sit, capiat partem vnam in honorem Prophetarum eodem modo. Cantor & Ostiarius.* Ex quo loco colligendum Episcopo etiam à conuiuiis absenti partem vnam sepositam fuisse nomine primitiarum, quas capit vice Dei, cuius in terris dignitatem sustinet, Presbyteros vero quadruplum fere Diaconorum accepisse. Nam septem Diaconi (tot enim erant in ciuitate

Clemens Romanus lib. 2. constit. cap. 32.

Portiones Episcopo, Sacerdotū, Diac. Lect.

iis temporibus) tantundem ſumebant, quantum duo Preſbyteri. Diaconos vero liquet ex eodem textu duplum habuiſſe Lectorũ, & Oſtiariorum. Quod vero dicit dari duplum Diaconis in honorem Chriſti, illud meo iudicio ad eius humilitatem ſpectat, qui cum omnium Dominus eſſet, factus eſt miniſter, & maieſtatem velauit ignominia triſtiſſimæ ſeruitutis. Vel ad officium Diaconorum referre oportet, qui Chriſti Euãgelium in Eccleſia legebant. Ita enim lectoribus partẽ tribuendam cenſet in honorem Prophetarum, quod ad eorum officium ſpectat: Lectores quippe è ſuggeſtu publice Prophetas legebant. Ceterum ex Clementis verbis apparet Clericis, & Sacerdotibus ad Agapas ſolennes vocatis, liberum fuiſſe partes quaſdam & ſymbola è conuiuiis auferre, ac domũ aſportare. At eam conſuetudinem velut ſordidam, & Clericorum nomini iniurioſam tolli iubet Concilium Laodicenum, Canone vigeſimo ſeptimo. *Non oportet*, inquit, *miniſtros altaris, vel quoſlibet Clericos, aut laïcos, ad Agapen vocatos partes tollere propter iniuriam, quæ ex hac occaſione Eccleſiaſtico ordini poſſit deputari.*

Concil. Neoceſ. cap. 14.

Agaparum conſuetudo.

Concil. Laodicenũ can. 27.

Licet vero ex præfato Clementis loco liqueat Preſbyteros in oblationibus ſacris potiorem longe Diaconis partem habuiſſe: non tamen conſtat, quid in Eccleſiarum reditibus iis permiſerint Epiſcopi: niſi ex Silueſtri Canonibus repetamus totam eccleſiaſticarum facultatũ molem, in quatuor partes diſtributam, quarum prima Epiſcopo

Digitized by Google

cedebat, secunda Presbyteris, Diaconis, & Clero, tertia Templorum, & Ecclesiarum fabricæ, quarta pauperibus. *Commoneo*, inquit, *vobis omnibus mihi consortibus monimentum hoc, vt de reditibus Ecclesiæ quatuor partes fiant, quarum vna cedat Pontifici ad sui sustentationem. Altera Presbyteris & Diaconis, & omni Clero: tertia Templorum, & Ecclesiarum reparationi, quarta pauperibus, & peregrinis.*

Canones Syluest. 1 Papæ.

Durauit hæc partitio Bonorum Ecclesiasticorum aliquandiu & Episcopi pro consuetudine regionum tertiam vel quartā decimarum & obuentionum omnium partem è parochianis Ecclesiis recipiebant, donec Ecclesiæ auctæ sunt plurima rerum immobilium accessione. Nam postquam ex prædiis & villis satis habuerunt Episcopi, vnde tueri dignitatem possent, tertiam illam obuentionum partem remiserunt tumque ceperunt bona Ecclesiarum & oblationes in tres tantum partes diuidi, quarum vna ad Presbyterum, secunda ad pauperes, tertia ad fabricam Ecclesiarum pertinebat. Et tamen tertia ista, quæ ad Ecclesiæ sarta tecta spectabat, seorsim seruabatur & Episcopo parochias lustranti tradebatur, vt prospiceret ruinis ædium sacrarum sarciendis, si opus esset. Totam hanc disciplinam eximie illustrat Canon decimus quintus Concil. Aurel. primi, *De his quæ Parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicunque fideles obtulerint antiquorum Canonum statuta seruentur, vt omnia in Episcopi potestate consistant: de his tamen quæ in altario accesserint, tertia fideliter Episcopis deferatur.*

Quomodo Episcopi tertiā oblationum & decimarū relaxarint.

Concil. Aurel. 1. can. 15.

Ex quo Canone, vides omnia immobilia seruata Episcopo, tertiam vero oblationum ideo illi traditam, quòd onus sacræ domus instaurādæ atque ornandæ in se reciperet. Cum vero ædes sacræ sine labe essent, & nullos sumptus earum refectio postularet, liberum erat Episcopis, vel tertiam istam Ecclesiæ eiusque sacerdotibus relinquere, vel in aliarum Ecclesiarum lacunas supplendas impendere. Ita definitum in Concilio Toletano 9. can. 6. *Cum præteritis sanctionibus notissimum habeatur, quæ de rebus parochialium Ecclesiarum pars Episcopo conferatur, opportune duximus decernendum, vt si Episcopus tertiam quam de rebus eisdem sanctione Paterna sibi debitam nouit, aut ipsi Ecclesiæ, cuius res esse patescit, aut alteri Ecclesiæ, cui elegerit conferre, decreuerit, & licitum maneat, & irreuocabile robur eius sententia habeat.*

Concil. Tolet 9. ca. 6.

Episcopus sumendo tertiam tenetur ad reparandas Ecclesias.

Postea vero cum sordes & auaritia meliora consilia corrumperet, neque tam ædibus sacris ornandis quam propriis rebus augendis studerent Episcoporū nonnulli, decretum est in Concilio Emeritensi, ne in posterum tertiam istam portionem Præsules sibi vendicarent, neue ædium sacrarum cura apud ipsos resideret, sed parochorum vnusquisque suæ Ecclesiæ reficiendæ incumberet: secus vero ab Episcopo coerceretur. *Placuit huic sancto Concilio, vt nullus prouinciæ Lusitaniæ Episcopus sententiæ huius terminum excedat, nec à qualibet parochianâ Ecclesia tertiam auferre præsumat, sed quidquid inde consequi potuerat, totum in reparationem ipsarum Basilicarum proficiat. Omnes supradicti presbyteri qui vir-*

Concil. Tolet. 12.

Episcopis tertia ablata.

tutem habuerint, Episcopo suo placitum faciant ut reparare Ecclesias suas intendant. Quod si facere distulerint ab Episcopo suo districti Ecclesias sibi creditas, ut ratio permittit, digne reparent: Ecclesiæ tamen, quæ mundiales res nullas habent, sollicitudine, intentione, & dispositione Episcopali, ut ratio permiserit, habeant reparationem.

Subinde vero cum parochiani presbyteri in eandem sacrarum ædium sarciendarum incuriam incidissent, & auaritiæ malo laborare viderentur, Concilium Toletanum decimum sextum tertiam partem obuentionum sacrarum Episcopis restituit vna cum onere & debito, instaurandarũ Ecclesiarum. Ita enim Canone 5. *Unio nostræ adunationis decernit atque instituit, ut tertias quas antiqui Canones de parochiis suis habendas Episcopis censuerunt, si eas exigendas crediderint, ab ipsis Episcopis diruptæ Ecclesiæ reparentur, si vero eas maluerint cedere ab earumdem Ecclesiarum cultoribus, sub curâ & sollicitudine sui Pontificis reparatio eisdem adhibenda est Basilicis, &c.*

Concil.Tolet.16.can.5.

Tertia Episcopis restituta.

Nec vero satis visum est Episcopis parochianos Sacerdotes fortuitis obuentionibus sacrarũ oblationum dotare, vel etiam primitias & decimas illis in solidum contradere: verum ad munificentiæ cumulum, ne quid sibi deesse parochi quererentur, villas ipsis & prædia Ecclesiarũ vtenda fruenda commendabant. quod liquet ex innumeris pæne Canonibus, quibus permittitur Episcopo, partem aliquam prædiorum Ecclesiasticorum Clericis cedere, Agathensis Cócilij Can. 7. Aurelian.3.can 17. Lugdunens. 2.cap.5. Aurel.4. c. 36. Epaonésis c.14.

Sed

Sed maxime & clarissime apparet ex Agathensi canone vigesimo secundo. Vbi de parochianis presbyteris expressa fit mentio. *Ciuitatenses, siue Diœcesani presbyteri vel clerici, saluo iure Ecclesiæ, rem Ecclesiæ, sicut permiserunt Episcopi teneant : vendere autem aut donare penitus non præsumant, &c.*

Nec mirum Episcopos primæ ætatis de parochorum commodo & stipendiis fuisse sollicitos. Agnoscebant quippe illorum studiis & laboribus præsulum vices suppleri, neque aliud esse parochos magnis alioquin, sed sine honore laboribus occupatos, tristi insuper egestatis sarcinâ obruere, quàm oculum quo visurus sis effodere, & manum amputare, qua ad operis alicuius molitionem tibi necesse est vti.

Quis vnquam pater vndique rerum omnium copia circumfusus sinat liberos seruili constantiâ cum fame atque inopia luctari? quis ferat tribunum, aut ducem cupediis ac voluptatibus solui, dum miles etiam gregarius vix siliquis & sicco gramine vescitur. At Episcoporum filij sunt sacerdotes: quod si non filij, saltem milites & amici paulo dignitate inferiores. Meritò ergo in eorum rem & commodum inuigilant, sine quibus Episcopi esse non possunt, & quorum ordine summoto, necesse est præsules è suæ dignitatis fastigio ad vltima sacræ hierarchiæ officia descendere.

Excitabat itaque Episcoporum priscæ illius ætatis prouidentiam & affectum erga presbyteros necessaria eorum opera: sed maxime pietas & cha-

ritas, in quam peccat, quisquis sacerdotem squallore & sordibus plectit longè fœdiùs, quam olim ab infidelibus & inimicis Christianæ fidei ad metalla damnarentur. Sacram hanc non voluntatum modo, sed opum & fortunarum societatem inter clericos, suadebant Apostoli, è quorum Canonibus hoc Anathema in fratrum despectores erumpit. *Si quis Episcopus vel presbyter, cum sit aliquis ex clericis egenus, ea quæ sunt necessaria ei non suppeditat, segregetur, sin autem perseueret deponatur, vt qui fratrem suum interfecerit.*

Can. Apost. c. 59.

Itaque occisi Deo sacerdotis reus est, qui egentem non pascit, & qui calamitatibus pressum & inopia squallentem cogit turpi mendicitate honorem Ecclesiastici gradus Angelis verendum, prodere, & principem Christi dignitatem procacibus lacessentium sannionum contumeliis obiectare.

CAPVT XI.

De nouarum parœciarum extructione, & dote. Tres Caussæ nouis parœciis initium dederunt. Qua necessitate cogente fierent de nouo parœciæ. Nobilium antiqua in parochos superbia. Archidiaconorum facilitas in diuidendis parochiis.

Rebus Christianorum feliciter compositis, & Diœcesibus iam suos limites habentibus no-

uas parochias extruendi, tres potissimum caussæ extiterunt. Prima necessitas rusticorum. Secunda ambitio Magnatum & nobilium. Tertia lucrum, atque vtilitas Prælatorum.

Necessitate rusticorum compulsi Præsules nonnumquam parochias diuidebant, & nouas erigebant. Quãdo nempe, seu inaccessa montium iuga, seu torrentes hibernis imbribus, & niuium liquatione collecti, seu lacus, aut stagna prohiberent, quominus ex dissitis locis, & mapalibus, rustici in Ecclesiam maximâ anni parte commearẽt, adeoque cogerentur sacrorum mysteriorum fructibus, & præsidio diutissime defraudari. Ita in Capitulari Tolosano edito à Rege Carolô Caluo, anno 834. Capitulo septimo. Vbi diu pensandum ait Episcopo, de nouarum parochiarum erectione, nec temere querelis popularium indulgendum. Ac si necessitati, eorumdem, oratorij (quod Galli modo Succursum vocant) constructione subueniri commode possit, abstinendum esse docet à nouarum Parochiarum erectione. *Si necessitas populi exegerit, vt plures fiant* Ecclesiæ, *aut statuantur altaria, cum ratione & auctoritate hoc faciant. Scilicet vt si longitudo, aut periculum aquæ, aut siluæ, aut alicuius certæ rationis, vel necessitatis caussa poposcerit, vt populus, & sexus infirmior mulierum videlicet, aut infantium, aut etiam debilium imbecillitas ad* Ecclesiam *principalem nõ possit occurrere, &c. Statuatur altare, & si ita populo complacet, & commodum fuerit, ne sine ratione scandalizetur, & parochia maneat indiuisa.*

Capit. Tolosa. sub Carolo Caluo, anno 834.

Quâ caussâ nouas parœcias erigi opus sit.

Sin vero ne oratorium quidem sufficiat, & tantum absint villæ ab Ecclesia, & domo presbyteri, vt ad Missas peragendas eò venire nequeat, ac rustici morbo periclitantes, non possint Sacerdotem accersere, qui sacro viatico confirmet morituros: tum certe censet nouam parochiam in villarum confinio collocandam quando nempe sic longe est villa, vt presbyter illuc sine periculo ad tempus, & congrue non possit venire. *Sin præfatę caussæ postulauerunt, & populus non conductus, neque cupiditate, vel inuidiâ excitatus, sed rationabiliter acclamauerit, vt* Ecclesia *illis fieri, &* Presbyter *debeat ordinari: hoc Episcopaliter teste* Deo *in conscientiæ puritate cum ratione, & auctoritate sine intentione turpis lucri, mature,* Consilio Canonico *tractent, & vtilitati, ac saluti subiectas plebis quæque agenda sunt pergegant.*

Ambitione nobilium parocciarũ numerus creuit.

Secunda nouarum parochiarum erigendarum caussa petitur ex ambitione, aut certe pietate nobilium. Nobiles plerumque longitudo itineris vexabat, & impediebat, quominus frequentissime sacris interessent, nonnunquam etiam in agro alieni iuris dominij ad Ecclesiam ventitare angebantur. Nam honorum & sessionum prærogatiuam Dominis locorum cedere cogebantur, quod durum semper, & molestum fuit huic hominũ generi qui fastum exuere etiam presente Deo nesciunt: Adde quod non poterant pro arbitrio Clericos alieni territorij regere, & horas sacrorum pro suo & familiæ commodo moderari. Ea enim

ambitio Sacerdotibus imperandi, Nobiliũ pietaté sæpe incestauit fecitque, vt dum sacra adeunt non tam videantur Christo famulari, quàm eiusdem ministris, ac Sacerdotibus, arroganter insultare, nec tam Regionem profiteri quam Imperium.

Itaque his caussis & rationibus pressi Nobiles parochias erigebant suis sumptibus & noua dote condicta, hinc Concilium Aurelianense 4. *Si quis in agro postulat habere Diœcesim primum ei terras deputet sufficienter.* Hinc paroeciæ istæ dicuntur constitutæ in domibus potentum eodem Aurel. 4. can. 36. Hinc earumdem Ecclesiarum dominium, tam contumaciter olim sibi vendicarunt Nobiles, quasi nil esset discriminis inter gratiá patrocinij, & ius dominij quod videbimus agendo de iure patronatus. Hinc Ecclesias munitionibus & vallo cingebant, quod incastellare dicunt veteres Cartæ lex Ducis Monfortij anno 1212. *Ecclesias à laicis incastellari prohibemus, & in seruitutem redigi, imo etiam incastellatas dirui præcipimus vel seruari arbitrio Episcoporum. Sed in castris & in villis aliorum dominorum Episcopi non possunt retinere tales munitiones.*

Concil. Aurel. 4. Can.

Concil Aurel. 4. can. 36

Ecclesiæ incastellatæ à Nobilibus.

Tertia tandem & vltima caussa nouas erigendi parochias, fuit facilitas seu indulgentia Prælatorum & Archidiaconorũ, qui & rusticorũ precibus & suo interim cómodo ducti, vnam parochiam in duas partiebantur. Nam cum vnusquisque presbyter diurnum commeatum & præterea stipendium aliquod Circatici nomine, Archidiaconis de-

Digitized by Google

beret. Imo vero Episcopis cum Synodum proficiscuntur quot plures erant parochi, eò lucra & obuentiones Prælatorum & Archidiaconorũ erant opimiores. quapropter si habendi cupiditate, qua degeneres animi premuntur, nonnunquam Præsules infelicissime laborarent, facile sinebant se Magnatum aut etiam villanorum precibus inflecti, vt nouarum parochiarum erigendarum facultatem impertirentur. Vnde Hincmarus Remensis eam auaritiam & facilitatem coercendam monet capitulo 7. ad Archidiaconos presbyteros. *Expresse inquit vobis in nomine Christi præcipio, vt rusticanas parochias pro alicuius amicitia vel petitione, aut pro aliquo præmio non præsumatis confundere, nec diuidere, neque Ecclesias illas, quæ ex antiquo presbyteros habere solitæ fuerunt, aliis Ecclesiis, quasi loco Capellarum non subijciatis: neque Capellas de illis Ecclesiis quibus antea subiectæ fuerunt: vt per omne ministerium vestrum vnusquisque vestrûm describat omnes Ecclesias & titulos, quæ antiquitus presbyteros habuerunt & Capellas illis antiquitus subiectas, & mihi renuntiate.*

Hincmarus Remensis, cap. 7.

Vnde Capitulare Tolosanum supra citatum, monet vt Episcopi, si quádo parochias diuidunt, id faciant sine intentione turpis lucri. Addit vero vt quia diuisione facta reditus antiquioris parœciæ minuuntur, minuantur quoque sumptus & expensę, quas presbyteri eius Ecclesiæ in receptandis Episcopis & Archidiaconis faciunt, & annuas præstationes leuiores ac moderatiores exhibeant: *Secũdum quod subtraxerint cuilibet presbytero de parochia*

Capitulare Tolosanũ.

& dispensa quoque debita ab illo minus accipiant, & alteri qui, quod diuiditur à parochia suscipit, sub hac eadem mensura oneraimponant.

Hæ ergo rationes constituendarum de nouo paroeciarum fuerant cum autem fundarentur, primùm illud obseruandum fuit, nó minus quam decẽ villæ & mancipia parocho vbi subderentur. Nam vt Episcopos in pagis, ita quoque in domibus priuatis esse parochias Canones prohibuerũt. Oportuit ergo congruam esse multitudinem, quæ populus dici & esse posset Tolet. decimum sextum capite quinto. *Ecclesia quæ vsque ad decem habuerit mancipia super se habeat sacerdotem, quæ vero minus decem mancipia habuerit alijs coniungatur Ecclesiis.* In dotandis vero parochiis decimarum, & oblationum obuentiones non suffecerunt, nisi præterea mansus adderetur. *Sancitum est vt vnicuique Ecclesiæ vnus mansus integer absq; alio seruitio attribuatur & presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis vel hortis iuxta Ecclesiam positis neque de præscripto manso aliquod seruitium faciant præter Ecclesiasticum* Concilium Vvormatiense *can. 5.* Itaquoque Trosleianum can. 6. & in capitularibus Caroli magni lib. 1. c. 91. ita etiam Concilium Meldense canone 63.

Quot villis opus est ad paroeciam fundãdam.

Anacletus epist. ad oẽs Episcopos de Patriarchis, Primatib. & Episcop.

Concil. Tolet. 16 cap. 5

Cõci. Vuormatiense can. 5.

Trosleianũ. c. 6. c. 1. c. 91. Conc. Meldẽse can. 63

Sanctus Stephanus Rex Hungariæ dotẽ parochialis Ecclesiæ sic constituit, *Decem villæ Ecclesiam ædificent quã duobus mansis* malè legitur, apud Bonifiniũ duabus mẽsis, *totidemq; mãcipiis dotent equo & iumento, sex bobus & duobus vaccis, triginta quatuor minu-*

Decretum Stephani lib. 2. tit. 34

nutis bestiis vestimenta vero & corporalia & coopertoria Rex prouideat, presbyterũ & libros Episcopus. Vbi animaduerte singularem Regis pietatem, qui ornandi altaris sibi curam retinuit, quasi aliâ quàm regiâ manu dedeceret Christi thalamum insterni. Vectigalem ergo Coronam Sacrosanctis altaribus oppignerauit, qui sciebat summum Imperium in Dei seruitute versari. Huius exemplum secutus Ladislaus Ecclesiis vastatis voluit ornamenta ex ærario Regio suppeditari lib. 1. Decretorum cap. 7. *Ecclesias propter seditionem desolatas aut combustas iussu Regis parochiani restaurent, calices & vestimenta ex sumptu Regis dentur, libros Episcopus prouideat.*

Reges Calices & vestimenta altaris donant.

Ladislaus Decreti li. 1. cap. 7.

Quod vero mansum alij passim canones appellant, id Concilium Valentinum Colonicam appellat. Nam vult pro dote Ecclesiæ, tradi à fundatoribus Colonicam vestitam, id est mansum vestitum & instructum mancipiis, bobus, armentis, totoque instrumento rustico, vt clarius patebit agendo de mansis. Itaque sic dotem Ecclesiasticam paroeciarum singularum præfinit. *Sæculares & fideles laici si condere Basilicas voluerint in prædiis suis sicut edictum piissimorum Augustorum continet vnam Colonicam vestitam cum tribus mancipiis donationis gratia eis conferant, moxque Episcoporum iuri & sanctæ matris Ecclesiæ eandem Basilicam submtitant.*

Colonica vestita.

Concilium Valentinum Canone 9.

Sanctissime vero prospectum est, ne mansus aut reditus Ecclesiarum parochialium vllo onere premerentur, neve ex earum dote & facultatibus vllum censum laici præcerperent, quod tamen

sibi

sibi temere arrogabant Ecclesiarum fundatores Concilium Trosleianum can. 6. Metense can. 2. Coloniense canone 4. Valentinum can. 9. *Item quia parochiales presbyteri indigne à sæcularibus premiuntur, nullaque reuerentia sacerdotali gradui ab aliquibus seruatur, & quia possessiunculæ vel dotes, Basilicis collatæ irreuerenter auferuntur &c. placuit vt ipsi Presbyteri sub Episcopis quibus adiutores sunt, maneant: & sub matre Ecclesia libere, & quiete officium Ecclesiasticum exequantur: dotes vero à fidelibus designatæ Basilicis, ad hoc quod statutum est ab eis vindicentur, nullaque redhibitio census inde à quolibet sæculari exigatur.*

Concil. Trosleianũ Can. 6. Metense Can. 2. Coloniense, Can. 4.

Concil. Valent. Can. 9.

Vt vero parœciarum reditus, vel tenues essent, vel opimi: ita oportebat parœcos, sibi plures aut pauciores Clericos in consortiũ adsciscere. Itaque nonnumquam Parœci, Sacerdotes alios apud se habebant, qui vicariam operam præstarent, nonnunquam Diaconos nõnunquã Clericos. De numero Clericorum (quo nomine etiam Sacerdotes possunt intelligi) loquitur Canon Emeritensis Concilij decimus octauus quo statuitur, vt Parochitani Presbyteri pro facultatum suarum modulo, certum apud se alant Clericorum numerum. *Instituit hæc sancta Synodus, vt omnes parochitani presbyteri, iuxta vt in rebus sibi à Deo creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesiæ suæ familia Clericos sibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, vt & officium sanctum digne peragant, & ad seruitium suum aptos eos habeant. Hi etiam victum & vestitum dispensatione Presbyteri merebuntur, & Presbytero suo, atque vtilitati*

Concilium Emeritense Can. 18.

Ecclesiæ fideles esse debent, &c.

Diaconos vero aliquando secum habebant Presbyteri parochitani. Etsi quando morbo sontico laborantes Dominico die sacra facere non possent, ac sermonem habere ad populum, Diaconi in eorum vicem suffecti, non quidem concionabantur, sed sanctorum Patrum Homilias recitabant. Liquet ex Canone secundo Concilij Vasensis secūdi, ex quo etiam coniicere est parochitanos Presbyteros non semper habuisse potestatem concionandi. *Hoc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non solum in ciuitatibus, sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem: ita ut si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum Homiliæ à Diaconibus recitentur.*

Concil. Vasense secundum Can. 2. anno 529.

De onere vero alendorum in familia lectorum, & aliorum inferioris subsellij Clericorum idem Concilium Vasense, Canone primo. *Omnes Presbyteri, qui sunt in Parochiis constituti, secundum consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognouimus, Iuniores Lectores quantoscumque sine vxore habuerint, secum in domo, vbi ipsi habitare videntur recipiant: & eos, quomodo boni patres, spiritaliter nutrientes Psalmos parare, diuinis Lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant, &c.*

Concil. Vasens. 2. Can. 1.

Hoc autem animaduertendum, quod licet parochitanis Presbyteris, aut parochiam relinquere, atque ad aliam migrare nefas esset, vt Canones

Apostolorum prohibent, adeoque non prius alicui titulo possent inseri quam stabilitatem promisissent, vt habetur lib. 5. cap. 108. Attamen aliquando legimus eos è parochiis suis excitos, & euocatos fuisse iussu Epicopi, in vrbem matricem, vt illorum studio, & industria in sacris obeundis, ac componenda Diœcesi commodius vterentur. Tum non amplius Parochiani, sed Cathedrales dicebantur. Neque vero propterea iure, & prærogatiuâ percipiendorum in parochiis fructuum carebant, sed constituto illic Presbytero annum dabant stipendium, reliquis interim obuentionibus sibi reseruatis. Quæ consuetudo maxime locum habuit in Hispaniæ regionibus, nam in Concilio Emeritensi. *Elegit vnanimitas nostra, vt omnes Episcopos Prouinciæ nostræ, si voluerint de parochianis Presbyteris, atque Diaconibus cathedralem sibi in principali Ecclesia facere, maneat per omnia licentia. Hi tamen qui fuerint traducti, humilitatem digne Episcopo suo teneant, & eo honore ac reuerentia habeantur, & venerentur in Cathedrali Ecclesia, sicut hi quos constat fuisse ordinatos in eâ. Et quamuis ab Episcopo suo stipēdij caussa aliquid per bonam obedientiam accipiant: ab Ecclesiis tamen in quibus consecrati sunt, vel à rebus earum extranei non maneant, sed Pontificali electione, Presbyteri ipsius ordinatione Presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat, & discretione prioris Presbyteri victum & vestitum rationabiliter illi ministretur.*

Cap. lib. 5. cap. 108.

Quinam olim Presb. byteri Cathedrales.

Concil. Emeritense, Can. 12.

Vtrum vero vni, & eidem Presbytero liceret plures parochias obtinere, aut eandem parochiam

à pluribus presbyteris regi, non est huius loci disceptare. Illud obiter dicam, cum tenues essent Ecclesiarum reditus, permissum olim vni presbytero, plures Ecclesias habere, & diebus Dominicis, in singulis illarum sacrificium offerre, vt patet ex Emeritensi Canone 19. Postea vero Concilium Toletanum decimum sextum sanxit, ne plures Ecclesiæ vni presbytero subderentur, sed quæ sufficienti dote instructæ essent, Sacerdotem proprium haberent, sin minus aliis coniungerentur Ecclesiis. Eodem modo decreuerunt Reges nostri primo Capitularium, cap. 92. & in tertia additione Ludouici. capit 96.

Concilium Emeritēse, can. 19.

Concil. Tolet. 16. can. 5.

Capit. lib. 1. cap. 92.

Capvt XII.

De parœciis Cōstantinopolitanis. Tria parœciarum genera extra vrbē. Quid Monæcia, ἰδιώται Presbyteri. Quinam fuerint μειζότεροι. Protopapas quod officium apud Græcos. Parœcia Vrbanæ quomodo administrari solita, &c.

Præter eas, quæ in vrbe essent parœcias, tria extra vrbem earumdem genera reperio. Quam diuisionem sic censeo instituendam. Parœcias, vel vnius domus ac villæ angustiis conclusas, vel pluriū villarū finibus ac terminis circūscriptas Oriētalis Ecclesia habuit. Quæ vnicâ tantum domo fi-

niebātur parœciæ illæ Monœciæ dicuntur, siue vt Photius τὰ μονοικία. Vbi enim parochiarum mentionē facit, earumque possessionem ait tricennali præscriptione acquiri, ius istud ad parœcias non tantum μονοικία dictas, sed etiam ad parœcias, quas ἐγχωρίους appellat, ait extendi ὡρίσθη οὖν κατέχειν ἀμάχως τοὺς ἐπισκόπους τὰς ἐπὶ τριακονταετίᾳ νεμηθείσας παρ᾽ αὐτῶν ἐνορίας ἀβιάστως, κἂν ἀγροικικαὶ ὦσιν, ἤτοι μικραὶ αἳ καὶ μονοικία λέγονται, κἂν ἐγχώριοι ἤτοι πολλοὺς κατοίκους ἔχουσαι, *Decretum est vt Episcopi citra controuersiam obtineant regiones à se triginta annis possessas, siue sint rurales seu paruæ, quæ etiam* μονοίκια, *hoc est vnam tantum domum habentes dicuntur siue* ἐγχώριοι, *id est multos habitatores habentes, &c.* Vbi apparet eas parœcias, quæ raros haberent accolas dictas Monœcia. Vel certe quemadmodum in Gallia ita & in Oriente domus erant, quæ parochiarum iure & prerogatiua vtebantur.

Quæ vero parœciæ plures familias complectebantur, vel in suburbiis, vel in pagis extra vrbem erāt cōstitutæ parœcis vero omnib⁹ μειζοτέρους fieri nefas erat, vbi aduerte quod qui præerāt domibus magnatum illi κουράτορες dicebātur, qui autem rusticis suburbiis præerant, erantque velut capita incolarum ad res eorum tractādas, illi μειζότεροι, hoc est maiores dicebantur. Eam vero curam vetat Clericos obire Synodus Septima. Nam cum animaduerterent Patres, Clericorum complures splendore, & pompâ ciuitatis illectos migrare è suis parœciis, & eas desertas relinquere, ac Con-

Qui sunt Monœcia.

De parœciis, quæ plures habent parochitanos

Septima Synodus can. 10.

De maioribus regionū vide Symmachi relationem de rebus per Eulalium Romæ gestem.

stantinopoli Oratoriis sese addicere Magnatum, aduersus eiuscemodi transfugas edidit hunc Canonem, *Quoniam nonnulli Clerici Canonicas constitutiones circumscribentes, sua relicta parochia in alias excurrunt, vt plurimum autem in hac à Deo custodita & imperiali vrbe, etiam sese apud Principes locant, & in eorum oratoriis missas faciunt eos, sine proprio Episcopo & Constantinopolitano non licet in quauis æde vt Ecclesia recipi. Si quis autem hoc fecerit si perseueret deponatur, &c. si quis autem eorum qui dicuntur maiores* (τῶν λεγομένων μειζοτέρων) *curationi* (id est, domesticā curam familię magnatum) *obtinere deprehensus fuerit vel cesset, vel deponatur, potius autem ad docendos pueros & seruos accedat legens eis diuinas scripturas. Ad hoc enim etiam sacerdotum sortius est.*

Cesset aut deponatur.

Et quo Canone patet eos, qui μειζότερους siue maiores se facerent è sacerdotum Catalogo fuisse, sublatos nā illa verba *cesset aut deponatur* παυσάσθω ἢ καθαιρείσθω, censurā in Ecclesiasticos homines ferri solitā significant. Omnino vero nominis istius significationē prodit Balsamon μειζότεροι μέντοι λέγονται οἱ κουράτορες τῶν αγροικικῶν προαστείων. *Maiores dicuntur curatores agrestium, quæ in suburbiis sunt.*

Balsā mō ad Can. 10. 7. Synodi.

Quæ in villis aut in pagis erant Ecclesiæ simplici vocabulo dicuntur ἐγχώριοι siue ἐπιχώριοι. Ita Concilium Ancyranum ἐπιχωρίους πρεσβυτέρους appellat. Illorum autem inter presbyteros postremum locum fuisse, docēt sacri Canones. Nam neque præsente Episcopo, neq; præsentibus pres-

Concilium Ancyranū Can. 13.

byteris ciuitatis poterant sacrum facere, & mysteria celebrare in ciuitate, siue vt ait Concilium Ancyranum ἐν τῷ κυριακῷ τῆς πόλεως προσφέρειν, & citatur à Zacharia epistola nona ad Pipinum Maiorem domus. Erant vero inter presbyteros vicanos, qui singulari dignitate pollerēt, & propterea quod primum locum in eorum numero occupabant, dicti sunt Protopapades. Ad exemplum forte vrbis Constantinopolitanæ, in qua erat Protopapas, qui præerat toti cōmnium sacerdotum ordini. de quo Codmus in sexta Pentáde officiorum Ecclesiasticorum, & eruditus eius Interpres Gretserus, ad idem caput Hunc vero Protopapadem vsurpasse licentiam dandi epistolas pacificas siue communicatorias patet ex scholiis Balsamonis ad Canonem octauum Antiochenæ synodi.

Zacharias Papa, epist. 9. ad Pipinū maiorem domus.

Codmus in sexta pēdate off. Ecclesiasticorum. Gretserus Codmum

Balsamon ad can. 8. Antioch. Synodi.

De parochiis vero intra vrbem Constantinopolim sitis non multa, nec rara ad dicendum occurrunt.

Vnum hoc sese offert, nempe in vrbe duo fuisse genera Parœciarum; Quædam enim regimini & administrationi maioris Ecclesiæ suberant, ac per eius Canonicos, seu Clericos regebantur. Quædam vero sui erant iuris, nec alio nomine Ecclesiam maiorem colebant, quam eo, quo Diœcesews matricem ac fontem venerari cæteræ tenentur parochiæ.

Duo genera parochiarū in Ecclesia Constantinopol.

Quas parochias administrabant clerici maioris Ecclesiæ, illæ proprios sacerdotes ac parochos non habuerunt. Sed in eas Ecclesias suo ordine

suisque vicibus commigrabant singuli Canonicorum, iisque defungebantur officiis, quæ ad curam, & salutem animarum pertinēt. Itaque neque dotem propriam habebant istæ parœciæ, sed earũ facultates ac reditus, erant cum reditibus maioris Ecclesiæ confusi. Eius generis, & conditionis erat Constantinopoli Ecclesia sanctæ Mariæ, quam Verina extruxerat, & Ecclesia sancti martyris Theodori, de quibus sermo est Nouellâ 3. *Vt d. terminatus sit numerus, &c.*

Iustinianus Nouella 3 vt determinatus.

Et sane Reuerendiss. Clericorum sacro-sanctæ maioris Ecclesiæ regiæ vrbis nostræ mensura certis finibus descripta, & in arctum admodum contracta erat, quo tēpore sola adhuc erat Sacrosancta maior Ecclesia. Postquam vero, & veneranda domus sanctæ, & gloriosæ virginis Deique genitricis Mariæ, in vicinia Sacrosanctæ maioris Ecclesiæ posita, ab ipsa piæ memoriæ Verina cœpit exstrui, item religiosa domus sancti martyris Theodori à Sphracio gloriosæ memoriæ consecrata, & veneranda domus sanctæ Irenes, Sacrosanctæ maiori Ecclesiæ copulata fuit, redigere plane numerum ad veterem formam impossibile est. Neque enim tot simul Ecclesiis pauci quidam sufficere possint, quandoquidem nulla harũ trium ædium peculiares Clericos habeat, sed pro communibus, vtatur ijs, qui ad Sacrosanctam maiorem Ecclesiam pertinent qui omnes eas ordine, & veluti in orbem obeuntes sacra in eis officia concelebrant.

Aliæ erant parochiæ in vrbe Constantinopolitana, quæ proprios Sacerdotes, ac priuatos reditus habuerunt: de quibus eadem Nouella 3. Sic loquitur

Iustinianus Nou. 3.

Digitized by Google

quitur Iustinianus. *Sed neque in alijs Ecclesiis quæ alimenta, & sumptus ex Sacrosancta Maiore Ecclesia non habent, conueniens est vt ordinandorum in ipsis multitudo intromittatur, aut mensura initio in illis statuta transcendatur.*

CAPVT XII.

De *Episcopatuum origine, dote ac fundatione. Locus* Episcopalibus *infulis idoneus quis sit. Vuambæ Regis Hispaniæ irritus conatus in nouis Episcopatibus fingendis. De* Episcopo *Cephæ Castelli Arabum consuetudo, & Scytharum circa Episcopatus. In vna ciuitate non sunt plures* Episcopi. E*xplicantur subscriptiones conciliorum Hispaniæ. Et de pluribus in eadem sede* Episcopis. *Ægydij Remensis in* Episcopatu Dunensi *fundando audacia. Laudunum Clauatum quomodo* Episcopatus.

INtegro volumine opus esset ad Episcopatuum origines sigillatim recludendas: tam illustre negotium hîc non aggredimur, quod operæ longioris, & prolixioris studij est quam trimestris. Si quando vota Illustrissimorum Galliæ Præsulum fauerint, & reclusis tabulariis licuerit antiquitatis lustrare monimenta, stylum tam heroïco argumento sacrabimus, in quo, etiam conatus gloriam sperat, in quo habet vbi se exerceat pietas, eorum

Digitized by Google

puluerem ac cineres libando, qui Galliarum Ecclesias suo sanguine, ac sudore olim cementarunt.

Nunc dicendum nobis quis locus fundando Episcopatui commodus, quæ dos congrua Episcopalibus infulis, quæ conuersiones & mutationes Episcopatuum, quibus caussis factæ, vnde Diœceses nónullæ extinctæ, aliæ de nouo creatæ. De loco dicere adoriamur. Elegantes picturæ, & simulachra multo studio ingenioque elaborata, tenebras fugiunt Partem optimam formæ ac pulchritudinis natura in oculis posuit quod ea pars præ cæteris, aut similitudine, aut occultis ac latentibus illecebris aliorum ad se oculos trahit, adeoque ambiguum & incertum relinquunt, facti ne sint vt videant, an vt videantur.

Quia ergo nemo lucernam ponit sub modio, sed suprà candelabrum. Ideo dignitatum Ecclesiasticarum principem, lucem humani generis, facem Religionis ac pietatis Episcopalem honorem oportuit loco nobili, excelso & illustri consistere.

Ideo Episcopos poni nefas esse duxerunt veteres nisi in amplis, & spatiosis ciuitatibus: ne locorum ignobilitate dignitas tanta vilesceret: & vt loci maiestate informati docerentur homines, de Episcoporum gradu, ac infulis magnifice semper cogitare.

Anacletus Epistolà ad Patriarchas Primates.

Pseudo Anacletus in Epistolâ, ad omnes Episcopos, de Patriarchis primatibus & reliquis vetat

in pagis illis & Castellis hærere Episcopos, sed in maioribus tantum, ac primariis ciuitatibus, suę dignitatis thronum collocare.

Hanc Anacleti constitutionem, Patres & Consilia confirmarũt, freti præsertim Apostolicis Pauli vocibus, qui quidem iubet Titum Episcopos instituere, non quidem per oppida & vicos, sed per ciuitates. Concilium Sardicense Canone sexto, hanc legem censet non posse sine detrimento tantæ dignitatis violari. *Licentia vero danda non est ordinandi Episcopum, aut in vico aliquo, aut in modica aliqua Ciuitate cui sufficiat vnus Presbyter, quia non est necesse Episcopum fieri, ne vilescat nomen & Episcopi authoritas*: Concilium Laodicenum Canone 56 Concil. Africanum Canone 42. Eleganter in hanc sententiam dixit Leo magnus, Epistola 87. *Episcopalia gubernacula nonnisi maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus oportet præsidere: ne quod Sanctorum Patrum diuinitus inspirata decreta vetuerant, viculis & possessionibus, vel obscuris, & solitarijs municipijs tribuatur Sacerdotale fastigium: & honor cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat.*

Paulus Apost. ad tit. 1. v. 5.

Concil. Sardicense, can. 6.

Concil. Laodicenũ can. 56.

African. Can 42

Leo magnus, ep. 87

Quamobrem cum Stephanus olim Emeritensis Episcopus, iussu & flagitatione Vuambæ Regis Hispaniæ impulsus, in Suburbio Toletano in Ecclesia Prætoriensi sanctorum Petri & Pauli, Episcopum, præter morem & consuetudinem Ecclesiæ instituisset, ipse eius facti pœnitudine ductus patres Concilij Toletani duodecimi cum lachrymis adortus est, veniamque labefactatæ disci-

plinæ precatus. Quod factum omnes Episcopi eo concilio collecti improbarunt, ac summouendos censuerunt Episcopos, non modo ab eo suburbio, sed ab aliis quoque obscuris ac ignobilibus villis, in quibus per voluntatem Vuambæ Regis fuerant instituti. Dixit enim ita Cócilium de Stephano loquitur, *se violentia principali impulsum fuisse, vt in monasterio Villulæ Aquis, in qua venerabile corpus sancti Pimenij Confessoris debito quiescit honore, nouam Episcocalis honoris ordinationem efficeret. Et ideo quia indiscreto, & facillimo assensu iniustis Vuambæ Principis iussionibus parens, nouam & iniustam illic Pontificalis sedis prælectionem induxerit, vbi Canonica institutio id fieri omnimodo ratione refellit, prædictus idem vir prostratus humo medicamine nostri præcepti, & sibi dari veniam petiit, & quid potissimum oporteret fieri de persona eius, qui illic ordinatus fuerat nostri oris sententia decernendum poposcit.* Et quibusdam verbis interiectis, quibus proferuntur in medium veterum Patrum, ac Conciliorum sententiæ, de maiestate & nobilitate sedis Episcopalis, tandem Patres ita concludunt. *Vt in locum Villulæ supradictę Aquis. Deinceps sedes Episcopalis non maneat, neque Episcopus illic vltra constituendus existat: hic tamen Cuniuldus qui contra maiorum decreta illic videtur institutus fuisse Episcopus, nullis canonum erit ad condemnationem sui sententijs, vlciscendus: quia non ambitione, sed Principis impulsione illic constitit ordinatus. Et ideo hoc illi remedium humanitatis concedimus, vt in sede alia decedentis cuiuslibet Episcopi transducatur, & prædictus locus sub monastica dein-*

Concil. Tolet. 12. Canone 12.

Can. 4. Concil. Tolet. 12. pag. 593.

cepsinstitutione mansurus, non Episcopali vltra priuilegio fretus, sed sub Abbatis regimine sicut hucusque fuit, erit modis omnibus mancipandus.

Eiusdem generis & conditionis fuit decretum, quod factum est in Concilio Parisiensi quarto aduersus Promotum quendam Presbyterum. Eum enim summi gradus insolenti cupiditate flagrantem, & maiorum infularum desiderio pressum Ægidius Episcopus Remensis in Castro Dunensi, qui vicus est in Diœcesi Carnotina Episcopum ordinauerat, & in facultatis Ecclesiasticæ possessionem miserat. Cuius facti monitus Episcopus Carnotensis, nomine Pappolus querelam edidit apud Patres Concilij Parisiensis quarti, qui omnes expellendum castro Dunẽsi Promotum Presbyterum censuerunt, & omni officio ac functione Episcopalis ordinis interdicendum. Ita vero loquuntur patres Concilij Parisiensis ad Ægidium *Dominus Pappolus Episcopus, mediocritati nostræ detulit in querelam, in castro Dunensi, parœcia denique Carnotina, quod castrum nec ad territorium ciuitatis vestræ, nec ad vestram Prouinciam manifestum est pertinere, à vobis contra omnem rationem, & contra canonicam disciplinam Episcopum consecratum. Et licet secundum prisca beatissimorum Patrum* Decreta *potuit huiusmodi excessus in vestra iniuria acerbius coerceri: sed nos caritatis iura seruantes beatitudini vestræ indicamus, vt Presbyterum ipsum nomine Promotũ, qui omissa seueritate canonica à vobis dicitur tam temere consecratus, vt iustè debeat de gradus ipsius dignitate deponi, sicut* Canonum *constituta*

Concil. Parisiẽse quartum aduersus Promotum.

Epistola Episcoporum Concil. Paris. 256. tom. 1 p. 351 ad Ægidium Remensem.

sanxerunt, ad vos euocetis, vel vobiscum retineatis, vt iniuriam nec Ecclesiæ, nec Sacerdoti suo vlterius debeat inrogare.

Quare Lauduno Castro Episcopus præfectus est.

Itaque singulare priuilegium fuit Castri Laudunensis, cum in eo loco, cui splendor nomenque Ciuitatis deerat, Beatus Remigius Episcopum instituit. Vt vero hoc præstaret, Beatissimum Antistitem duo potissimum impulerunt. Primo insitus hominum vnicuique, amor soli natalis, & desiderium honestandi, ac illustrandi eius loci in quo fuerat educatus: nam primores annos, ac rudem infantiam Lauduni transegisse Remigium, testis est Flodoardus Historiæ Remensis, libro primo capite decimo quarto. Secundo incitabat eum, ad hoc opus, Diœcesis suæ amplitudo, cui regendæ atque lustrandæ vix vnus sufficere poterat Episcopus. Idcirco fretus auctoritate Concilij Africani, vt ait Hincmarus Remensis in Opusculo 55. Capitulorum ad Hincmarum Laudunensem, illîc Episcopum instituit. Quæ vero fuerit auctoritas Concilij Africani, quâ vsus Remigius Laudunensi Castro Episcopum præfecit non video. Nisi quod in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, ex Concilio Carthaginensi sub Honorio & Theodosio refertur Canon de plebibus, quæ nunquam Episcopos habuerunt. Quo Canone licentia datur nouos Episcopos instituendi, vbi nunquam fuerunt, cum Decreto Concilij plenarij vniuscuiusque Prouinciæ, & Primatis, atque consensu eius, ad cu-

Flodoardus Hist. Remens. lib. 1. cap. 14.

Hincmarus Remensis Opusculo 55. Capitul.

Codex Canonū Ecclesiæ Africanæ. Can. 98.

ius Diœceſim eadem Eccleſia pertinebat , ἤρεσκεν κἀκεῖνο ἵνα οἱ ὄχλοι οἱ μηδέποτε ἰδίους ἐσχηκότες ἐπισκόπους εἰ μὴ ἐκ πάσης τῆς συνόδου ἑκάστης ἐπαρχίας, καὶ τοῦ πρωτεύοντος ψήφισμα γένηται, καὶ κατὰ συναίνεσιν ἐκείνου, οὗ τινος ὑπὸ τὴν διοίκησιν καθίστατο ἡ αὐτὴ ἐκκλησία, μηδαμῶς δέξονται. *Placuit illud , vt plebes quæ nunquam Epiſcopos proprios habuerunt niſi ex Concilio plenario vniuſcuiuſque Prouinciæ , & Primatis atque conſenſu eius, ad cuius Diœceſim eadem Eccleſia pertinebat, decretum fuerit, minime accipiat.* Itaque ſi Hincmaro credamus probabile eſt non ante Diuum Remigium Epiſcopum Lauduni poſuiſſe, quàm Epiſcoporum comprouincialium ſuffragio res ea probata fuiſſet.

Quod vero fuerit iſtud Concilium, nulla antiquitatis veſtigia produnt. Sigibertus Gemblacenſis noui illius Epiſcopatus exordia & Genebaudi primi Laudunenſium Epiſcopi conſecrationem refert ad annum quingenteſimum, hoc eſt fere decem annis ante Concilium Aurelianenſe primũ. Quantum vero loci conditio Epiſcopatum illuſtret, & quàm ceteris longe ignobiliores eſſent hi minorum gentium Epiſcopi, ſatis prodit ſcomma ab Hincmaro Remenſi coniectum in Laudunenſem Epiſcopum, quem à loci tenuitate quaſi per faſtidium & contemptum appellat, Epiſcopum Oppidanum, *Aſſe vedicitur excreuiſti de puſillo magnus apud te oppidanus Epiſcopus.*

Sigibertus Gemblacẽſis in Chronico.

Hincmarus Opuſculo præfato.

Licet vero in Caſtris minoribus non fierent Epiſcopi , tamen caſtella quædam olim fuerunt quæ eſſent veluti capita regionum , & prouincia-

rum, in quibus Episcopi sedere poterant. Huiusmodi Castri mentio est in subscriptionibus Concilij Calcedonensis, parte secundâ, actione tertiâ, ad cuius calcem subscripsit quidam Noe Episcopus *Cephæ Castelli*, quid autem Cepha Castellum nisi maius aliquod, atque insignius castrum, sub quo plura alia consistunt, cuius generis plura sunt apud Tectosages.

Concilium Calcedonense parte 2. Act. 2.

Neque tamen asserendum tam rigidam fuisse hanc legem & disciplinam Ecclesiæ, vt nunquam omnino in minoribus pagis Episcopi ponerentur. Plerumque enim legem hanc infregit priuata Regionum, ac Prouinciarum consuetudo. Quot in Oriente Episcopatus in exiguis vicis, quorum memoria neque apud recentiores, neque apud antiquos Geographiæ scriptores reperitur. Res ipsa patebit percurrenti Conciliorum subscriptiones, quæ in Græcia habita sunt. Imo vero solemnem fuisse apud Arabes, & Cyprios morem refert Sosomenus Historiæ Ecclesiasticæ lib. 7. cap. 19. vt in villis ac pagis omnibus Episcopi instituantur: cum è contrario in Scythia, vnus tantum per vniuersas ciuitates præsideat Episcopus qui in vrbe Tomensi sedem habet, vt refert idem Sosomenus, lib. 6. cap. 22. Quinetiam in Occidente obscuri nominis pagi ac villæ ignobiles, Episcopos habuerunt quot exiguæ Diœceses sub Romano Pontifice? aut quis putet ostia Tiberina olim florentem, & locupletem fuisse ciuitatem?

Sosomenus lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19.

Sosomenus lib. 6. cap. 22.

In Concilio Arelatensi primo subscripsit

Gregorius

Gregorius quidam Episcopus de loco qui est in portu Romæ. Locum verò istum sine nomine fuisse ciuitatem nobilem & superbam nemo cogitabit. Concil. Are latense primum.

Vt autem ad maiestatem Episcopalis fastigij retinendam, prospexerunt patres, ne in locis obscuris ac tenuibus pagis, Episcopi crearentur ita & sanctissime edixerunt, ne in quauis ciuitate duo Episcopi esse possent, quia vt orbis duos soles non patitur, ita vna diœcesis duos Episcopos non admittit: vnde si qui Episcopali titulo insignes ex hæretica prauitate ad rectam & Catholicam doctrinam commearent, illi titulo Episcopali deposito in Chorepiscoporum ordinem descendebant liquet ex Concilio Regiensi canone 3. Concil. Regense anno 43. canon. 3. *Quod ergo in quibusdam schismaticis magis, quam hęreticis recipiendis Nicænum Concilium statuit à singulis per territoria sua, hoc etiam præsens conuentus in hoc statuit ab omnibus debere seruari. Id est vt cuicumque de fratribus tale aliquid caritatis consilia dictauerint, liceat ei vnam parochiarum suarum Ecclesiam cedere, in qua aut Chorepiscopi nomine, vt idem canon loquitur, aut peregrina, vt aiunt, communione foueatur.* Ac ne antiquæ dignitatis iura retinere viderentur aut diœcesis appareret in geminos Episcopatus scissa, eodem concilio decretum est. *Ne vnquam in ciuitatibus, vel sub Episcoporum absentia, offerre præsumat, nec ordinare vel vltimum Clericum, nec in ea quidem Ecclesia, qua illi cuiuscunque misericordia fuerit attributa. Nec vlli Episcoporum,*

vel succedente ætate assumpto, in rudimentis suis huic in aliquo, quasi pro ætatis reuerentia, cedere liceat. Nec vsquam ipsi quidquam de Episcopalibus officiis vsurpare, præterquam in Ecclesia, quam cuiusquam misericordia fuerit indeptus: In qua ei solum Neophytos confirmare, & ante presbyteros offerre conceditur.

Cùm ergo in vna Ciuitate duo Episcopi esse non possint, sitque hæc dignitas societatis impatiens, videndum qua ratione soluantur dubia duo, quę ex Conciliis Hispanicis occurrunt. Primũ est de Ouedo quæ dicitur Ciuitas Episcoporum. Secundum de pluribus Episcopis eiusdem diœceseos ac ciuitatis, qui quidem in Concilio Toletano tertio simul subscripsisse reperiuntur. quippe in subscriptionibus illius Concilij reperias plures in eadem Ciuitate Episcopos, numero decimo sexto subscribit Neufila Tudensis Ecclesiæ Episcopus & alius numero quadragesimo nono eiusdem Ecclesiæ Episcopus subscribit cui nomen Gardingus. Similiter Pantardus Ecclesiæ Braccarensis Episcopus, refert se subscribere tam suo nomine, quàm pro fratre suo Nigisio Episcopo de Ciuitate Luci, & tamen eiusdem Lucensis Ciuitatis alius reperitur subscripsisse nomine Beccilla numero quadragesimo septimo. Item duo reperiuntur Dertosanæ Ecclesiæ Episcopi, Iulianus & Froisclus numero 43. & quadragesimo quarto. Præterea duo reperiuntur Episcopi Portulacenses, Constantius qui vigesimo septimo loco subscripsit, & Argiouitus qui quinquagesimo primo.

Conc. Tolet. 3.

Neufila. num. 16.

Cui dubitationi illustrandæ multa proferri possunt, primùm est fieri potuisse vt ætate fessi & vulneribus fidei caussa acceptis debilitati, præsules alios sibi adsciuerint in subsidium, quibus nominis sui ac dignitatis partem aliquam indulgerent. Secundùm est, plures esse posse eiusdem nominis Ciuitates, ac proinde eos qui prima fronte vni & eidem vrbi præfuisse videntur duas reuera distinctas ac discrepantes rexisse diœceses. Ita in Lucensi Nitgesio & Beccila Lucensi nominum fallit similitudo. Duæ quippe sunt Ciuitates Lucum nomine, vna in Galœcia sub metropoli Braccarensi cui præfuit Nitigisius, qui propterea eodem textu subscripsit, cum Pantardo Ecclesiæ Braccarensis metropolita. Altera Ciuitas Lucensis sita est apud Astures, cui præfuit Beccila.

Tertio addi potest quod ex Roderico Toletano elicitur lib. secundo de Rebus Hispaniæ cap. quarto, nempe Leouigildium Hispaniæ Regem Arriana tabe infectum, & Catholici nominis ac fidei odio furentem Catholicos omnes Episcopos suis sedibus eiecisse, atque ibidem in eorum locum Arrianæ perfidiæ insanos vindices suffecisse. Verum cum eius facti pœnitudo subiisset, moriens filio mandauit vt Episcopos ab exilio reduceret, & suis iterum sedibus ac dignitatibus postliminio instauraret. Itaque Recaredus & Religionis memor & paterni mandati, Catholicos præsules ad sua gubernacula reuocauit, iussitque omnes Arrianos fidem Catholicam profiteri. Cum ergo plurimi ex Arrianis Epi-

Rodericus Toletanus lib. 2. de rebus Hispaniæ cap. 4.

scopis, suæ perfidiæ renunciassent, ne dignitatis suæ iacturam paterentur, æquum visum est Ecclesiæ illis nomen & gradum Episcoporum relinquere, ac vnam & eandem Diœcesim duobus simul prælatis committere. Huic verò coniecturæ, quin potius historiæ lucem adfert solemnis abiuratio Arianismi, quam ediderunt Episcopi eiusce factionis in Concilio Toletano tertio: in hac enim abiuratione plures reperiuntur ex iis, qui vnam & eandem sedem occuparunt, Gardingus Tudensis Episcopus, Froisclus Dertosanæ Ciuitatis Episcopus, Beccila Lucensis Episcopus, qui cum Arrium eiusque frenesim eiurassent, retento Episcoporum nomine, Concilio Toletano postea subscripserunt. De Recaredi Fide ac Pietate qua in eodem Concilio ipse Arrianismum execratus est, lege Rodericum Santium Historiæ Hispanicæ cap. vigesimo parte secunda.

Rodericus Santius hist. Hisp. cap. 20. part. 2.

Quod ad Ouetum, siue Ouedum pertinet, quæ dicitur ciuitas Episcoporum, leuis est difficultas Non enim idcirco Episcoporum ciuitas est appellata, quod eius gubernaculis plures olim Episcopi præfuerint, sed quod ipsa olim asylum fuerit ac receptaculum Episcoporum Nam cum Asturiarum partem Arabes expugnassent, & Episcopos suis eiecissent sedibus, illi miseri atque exules Ouetum sese conferebant & territorium Ouetense inter se partiebantur, cuius partem vnusquisque sibi regendam assumebat, hoc autem contigisse refert Rodericus Toletanus circa tempora Adelphonsi Regis.

De Episcopatuum progressu ac mutatione.

CAPVT XIII.

Rerum earum quæ naturæ ambitu continentur imperitia laborantes, & qui animi desidie ignorantia feriantes, solis omnia oculis metiuntur, illi vana rerum specie ac imagine delusi, syderum frontes vultusque mutari autumant, & stellas, quibus cum inconstantia mortalium, nihil est commune, nisi quod testes sunt leuitatis humanæ, in mille colores transformari.

Ita imaginantur solem modo iracundo rubore suffundi, modo senescenti pallore albescere, modo scintillis purioribus ardere, modo concepto penitus igne inflammari. Et tamen errores sunt oculorum non mutationes syderum: adeo inconstantiæ morbo laboramus, vt hanc etiam labem æternis rebus humana cogitatio inspiret, & quæ sua sorte & prærogatiua verti ac immutari nesciunt, ea nostro vitio fatis ac senectuti summittuntur.

Consimili prope ingenio sunt, qui Ecclesiam, qua nil firmius ac constantius fingi potest, & parem fere est cum auctore suo sortita æternitatem, rerum humanarum vicibus agi ac volutari existimant, & Imperia ac Respublicas suam in sacra ac mysteria leuitatem transfundere.

Ideoque propagines Episcopatuum, prærogati-

Digitized by Google

uas sedium, ordinem & honorem Cathedrarum, non in alium fontem quam in vrbium maiestatem & amplitudinem referunt, quasi verò Deus non alia quam hominum luce splendeat, & quam Pontificum suorum infulis maiestatem Christus impressit, eam à sæculi quam fastidiuit opulentia & vanissimo ambitu coactus sit mendicare.

Ne vero dissimulare quidquam hac in parte videamur, exponamus quæ sit Politicorum & aliorũ, qui his aduersantur opinio, circa incrementa, progressus, dignitates ac cõnexiones sedium & Cathedrarum maxime circa Metropoles, Primatias & Episcopatus, nam cęteros gradus libens prætermitto: vt ex rationum vtriusque partis inspectione decernat lector, quid sibi hac in contentione credendum.

Qui ergo Ecclesiam imperiorum fatis seruire dicunt, illi sedium omnium & Cathedrarum dignitatem è ciuitatum luce, & magistratuum in illis residentium honore metiuntur. Nam Patriarchatus ideo Antiochię constitutus quod illic sedem haberet præfectus Pretorio Orientis. Ideo Carthago in Africę metropolim euecta quod sedes esset præfecti Prætorio Africæ. Ideo Alexandriæ Patriarcha collocatus, quod ibi præfectus Ægypti seu Augustalis moraretur. Olim inquiunt Firmium caput erat Ecclesiarum Illyrici, at postquam præfectus Prætorio Illyrici inde sedem mouit & Thessalonicam profectus est, in eam quoque ciuitatem maiestas Ecclesiæ pristina sede abdicata commeauit. Ita Iustinianus Nouella 11. collat. 2. tit. 6. *Postea autem At-*

tilanis temporibus eiusdem locis deuastatis Appannius præfectus Prætorio de Firmitana ciuitate in Thessalonicam profugus venerat, tum ipsam præfecturam & Sacerdotalis honor secutus est: Et Thessalonicensis Episcopus, non sua auctoritate, sed sub vmbra præfecturæ meruit aliquam prærogatiuam.

Addunt præterea Arelatensem vrbem, quam ideo sortitam volunt Primatum Galliarum, quod in ea resideret præfectus Prætorio Galliarũ. His accedit exemplum honorue sedis Constantinopolitanæ; quæ non alio titulo eam, in qua tot sæculis floruit maiestatem adepta est, quam quod Imperatoris throno fulgeret, & ex ea nutus ac oracula Principũ in cæteras Orientis partes funderentur. Attamẽ notandum Arelatensi Episcopo Narbonensẽ & Viennensẽ Prouincias ablatas fuisse, & suos Metropolitas, succedentibus sæculis habuisse, vt Ecclesiarũ regimen, ad natiuam ciuilis administrationis legem formaretur, & desineret Arelas esse caput Ecclesiarum postquam desiit esse caput ciuitatum.

Et certe omnino ex arbitrio & voluntate Principum sæcularium pendere sedium gradus ac dignitates iã olim videtur Decretum. Nam cũ Basilæi Madytorumque ciuitates suis essent Episcopis orbatæ, velletque Metropolita Heracleensis Madytorum Episcopum consecrare, quia Madytorum ciuitas erat intra Metropolim Heracleensem, & vnus ex eius Episcopatibus, similiterque Metropolita Ancyranus consecrationem sibi vendicaret Basileensis: niterentur amplius Canone duodecimo Con-

cilij Calcedonensis, Decretum est ab Imperatore Alexio Comeno. *Præsente Synodo communique suffragio decernente, vt Imperatori permissum sit præsidentiæ thronum Ecclesiis largiri & tam Episcopatus, quam Archiepiscopatus in Metropoles erigere, quæque pertinent ad electiones in his faciundas ceteraque recte constituenda pro libitu suo disponere citra vllum Canonis illius impedimentum.* Ita refert Balsamon apud Leunclauium tomo primo Iuris Orientalis libro secundo Nouellarum Imperatoriarum.

Balsamon apud Leunclauium tom. 1. Iuris Orientalis lib. 2. p. 131.

Quis vero nescit postremis illis temporibus solitos Græciæ Episcopos adire Imperatorem & apud eum Metropoleωn iura & prærogatiuas exambire, vt hoc pacto soli Constantinopolitano Episcopo subessent, & ab eodem consecrarentur. Vnde in pluribus nomen nudum & inane Metropolitarum hęrebat, cum nullas haberent Diœceses sibi mancipatas.

Quam ambitionem repressit idem Comenus, adiecitque, ne in posterum cuiquam liceret Metropolitam se profiteri nisi quem Imperator citra preces & proprio motu talem nominasset.

Eam opinionem, quæ politicæ dispositioni Ecclesiam obnoxiam facit, fauet prouinciarũ & Diœceseωn partitio. Nam in Gallia septemdecim Prouinciæ tot conficiebant Metropoles. Verum reuulsis ex vasto illo & illustri Gallorum Imperio nonnullis Germaniæ partibus; imminutus quoque fuit Metropoleωn numerus, & tandem aliquarum postea accessione auctus ac locupletatus. Eam dispositionem

tionem Ecclesiarum iuxtam vrbium dignitatem & politicam Prouinciarum distributionem probat exacte Canon decimus sextus Calcedonensis, Synodi cuius verba sunt. Si *quælibet ciuitas per authoritatem Imperialem renouata est aut si renouetur imposterum ciuilibus & publicis ordinationibus etiam Ecclesiarum sequatur ordinatio.* Adde Canonem 2. Taurinensis Synodi de controuersia inter Arelat.. & Viennensem, vbi decernitur quod Episcopatus Prouincias sequentur.

Ex his omnino concluditur Diœceseon propaginem & ordinem ac seriem, ex Politici status institutione esse repetendam. Quam sententiam confirmant ea quæ Anacletus, seu quis alius recentior eius nomine personatus, de sedium differẽtia conscripsit: nẽpe sedes pro Iudiciorũ & tribunalium maiestate ac splendore distributas. Vbi enim supremi Iudices erant ad quos ab inferioribus sententiis erat prouocatio, illic Primates censet constitutos: in iis vero vrbibus, vbi erant minores iudices ibi sedisse Metropolitas, tandem, vbi Comites residerent illic Episcopos fuisse ordinatos. Anacletus epist. de Primatibus Patriarchis.

Inuenio & alia ratione caussaque ordinem & seriem Episcopatuum adornatam: Quippe Harpsfeldius ex Chronicis Thomæ Ruidburni refert quod Dunuallo Molimeus 16. Britonum Rex recepta Religione Christiana, vniuersos superstitionum antistites suis sedibus eiecit, & in eorum locum Episcopos atque Archiepiscopos suffecit: quibus omnes istorum assignauit facultates, cum hoc ta- Chronicon Thomæ Ruidburni.

Digitized by Google

rum, in quibus Episcopi sedere poterant. Huiusmodi Castri mentio est in subscriptionibus Concilij Calcedonensis, parte secundâ, actione tertiâ, ad cuius calcem subscripsit quidam Noe Episcopus *Cephæ Castelli*, quid autem Cepha Castellum nisi maius aliquod, atque insignius castrum, sub quo plura alia consistunt, cuius generis plura sunt apud Tectosages.

Concilium Calcedonense parte 2. Act. 2.

Neque tamen asserendum tam rigidam fuisse hanc legem & disciplinam Ecclesiæ, vt nunquam omnino in minoribus pagis Episcopi ponerentur. Plerumque enim legem hanc infregit priuata Regionum, ac Prouinciarum consuetudo. Quot in Oriente Episcopatus in exiguis vicis, quorum memoria neque apud recentiores, neque apud antiquos Geographiæ scriptores reperitur. Res ipsa patebit percurrenti Conciliorum subscriptiones, quæ in Græcia habita sunt. Imo vero solemnem fuisse apud Arabes, & Cyprios morem refert Sosomenus Historiæ Ecclesiasticæ lib. 7. cap. 19. vt in villis ac pagis omnibus Episcopi instituantur: cum è contrario in Scythia, vnus tantum per vniuersas ciuitates præsideat Episcopus qui in vrbe Tomensi sedem habet, vt refert idem Sosomenus, lib. 6. cap. 22. Quinetiam in Occidente obscuri nominis pagi ac villæ ignobiles, Episcopos habuerunt quot exiguæ Diœceses sub Romano Pontifice? aut quis putet ostia Tiberina olim florentem, & locupletem fuisse ciuitatem?

Sosomenus lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19.

Sosomenus lib. 6. cap. 22.

In Concilio Arelatensi primo subscripsit

Gregorius

Gregorius quidam Episcopus de loco qui est in portu Romæ. Locum verò istum sine nomine fuisse ciuitatem nobilem & superbam nemo cogitabit. Concil. Arelatense primum.

Vt autem ad maiestatem Episcopalis fastigij retinendam, prospexerunt patres, ne in locis obscuris ac tenuibus pagis, Episcopi crearentur ita & sanctissime edixerunt, ne in quauis ciuitate duo Episcopi esse possent, quia vt orbis duos soles non patitur, ita vna diœcesis duos Episcopos non admittit: vnde si qui Episcopali titulo insignes ex hæretica prauitate ad rectam & Catholicam doctrinam commearent, illi titulo Episcopali deposito in Chorepiscoporum ordinem descendebant liquet ex Concilio Regiensi canone 3. *Quod ergo in quibusdam schismaticis magis, quam hæreticis recipiendis Nicænum Concilium statuit à singulis per territoria sua, hoc etiam præsens conuentus in hoc statuit ab omnibus debere seruari. Id est vt cuicumque de fratribus tale aliquid caritatis consilia dictauerint, liceat ei vnam parochiarum suarum Ecclesiam cedere, in qua aut Chorepiscopi nomine, vt idem canon loquitur, aut peregrina, vt aiunt, communione foueatur.* Ac ne antiquæ dignitatis iura retinere viderentur aut diœcesis appareret in geminos Episcopatus scissa, eodem concilio decretum est. *Ne vnquam in ciuitatibus, vel sub Episcoporum absentia, offerre præsumat, nec ordinare vel vltimum Clericum, nec in ea quidem Ecclesia, qua illi cuiuscunque misericordia fuerit attributa. Nec vlli Episcoporum,* Concil. Regense anno 43. canon. 3.

vel succedente ætate assumpto, in rudimentis suis huic in aliquo, quasi pro ætatis reuerentia, cedere liceat. Nec vsquam ipsi quidquam de Episcopalibus officiis vsurpare, præterquam in Ecclesia, quam cuiusquam misericordia fuerit indeptus: In qua ei solum Neophytos confirmare, & ante presbyteros offerre conceditur.

Cùm ergo in vna Ciuitate duo Episcopi esse non possint, sitque hæc dignitas societatis impatiens, videndum qua ratione soluantur dubia duo, quę ex Conciliis Hispanicis occurrunt. Primũ est de Ouedo quæ dicitur Ciuitas Episcoporum. Secundum de pluribus Episcopis eiusdem diœceseos ac ciuitatis, qui quidem in Concilio Toletano tertio simul subscripsisse reperiuntur. quippe in subscriptionibus illius Concilij reperias plures in eadem Ciuitate Episcopos, numero decimo sexto subscribit Neufila Tudensis Ecclesiæ Episcopus & alius numero quadragesimo nono eiusdem Ecclesiæ Episcopus subscribit cui nomen Gardingus. Similiter Pantardus Ecclesiæ Braccarensis Episcopus, refert se subscribere tam suo nomine, quàm pro fratre suo Nigisio Episcopo de Ciuitate Luci, & tamen eiusdem Lucensis Ciuitatis alius reperitur subscripsisse nomine Beccilla numero quadragesimo septimo. Item duo reperiuntur Dertosanæ Ecclesiæ Episcopi, Iulianus & Froisclus numero 43. & quadragesimo quarto. Præterea duo reperiuntur Episcopi Portulacenses, Constantius qui vigesimo septimo loco subscripsit, & Argiouitus qui quinquagesimo primo.

Conc. Tolet. 3.

Neufila. num. 16.

Cui dubitationi illustrandæ multa proferri possunt, primùm est fieri potuisse vt ætate fessi & vulneribus fidei caussa acceptis debilitati, præsules alios sibi adsciuerint in subsidium, quibus nominis sui ac dignitatis partem aliquam indulgerent. Secundùm est, plures esse posse eiusdem nominis Ciuitates, ac proinde eos qui prima fronte vni & eidem vrbi præfuisse videntur duas reuera distinctas ac discrepantes rexisse diœceses. Ita in Lucensi Nitgesio & Beccila Lucensi nominum fallit similitudo. Duæ quippe sunt Ciuitates Lucum nomine, vna in Galœcia sub metropoli Braccarensi cui præfuit Nitigisius, qui propterea eodem textu subscripsit, cum Pantardo Ecclesiæ Braccarensis metropolita. Altera Ciuitas Lucensis sita est apud Astures, cui præfuit Beccila.

Tertio addi potest quod ex Roderico Toletano elicitur lib. secundo de Rebus Hispaniæ cap. quarto, nempe Leouigildium Hispaniæ Regem Arriana tabe infectum, & Catholici nominis ac fidei odio furentem Catholicos omnes Episcopos suis sedibus eiecisse, atque ibidem in eorum locum Arrianæ perfidiæ insanos vindices suffecisse. Verum cum eius facti pœnitudo subiisset, moriens filio mandauit vt Episcopos ab exilio reduceret, & suis iterum sedibus ac dignitatibus postliminio instauraret. Itaque Recaredus & Religionis memor & paterni mandati, Catholicos præsules ad sua gubernacula reuocauit, iussitque omnes Arrianos fidem Catholicam profiteri. Cum ergo plurimi ex Arrianis Epi-

Rodericus Toletanus lib. 2. de rebus Hispaniæ cap. 4.

scopis, suæ perfidiæ renunciassent, ne dignitatis suæ iacturam paterentur, æquum visum est Ecclesiæ illis nomen & gradum Episcoporum relinquere, ac vnam & eandem Diœcesim duobus simul prælatis committere. Huic verò coniecturæ, quin potius historiæ lucem adfert solemnis abiuratio Arianismi, quam ediderunt Episcopi eiusce factionis in Concilio Toletano tertio: in hac enim abiuratione plures reperiuntur ex iis, qui vnam & eandem sedem occuparunt, Gardingus Tudensis Episcopus, Froisclus Dertosanæ Ciuitatis Episcopus, Beccila Lucensis Episcopus, qui cum Arrium eiusque frenesim eiurassent, retento Episcoporum nomine, Concilio Toletano postea subscripserunt. De Recaredi Fide ac Pietate qua in eodem Concilio ipse Arrianismum execratus est, lege Rodericum Santium Historiæ Hispanicæ cap. vigesimo parte secunda.

Rodericus Santius hist. Hisp. cap. 20. part. 2.

Quod ad Ouetum, siue Ouedum pertinet, quæ dicitur ciuitas Episcoporum, leuis est difficultas Non enim idcirco Episcoporum ciuitas est appellata, quod eius gubernaculis plures olim Episcopi præfuerint, sed quod ipsa olim asylum fuerit ac receptaculum Episcoporum Nam cum Asturiarum partem Arabes expugnassent, & Episcopos suis eiecissent sedibus, illi miseri atque exules Ouetum sese conferebant & territorium Ouetense inter se partiebantur, cuius partem vnusquisque sibi regendam assumebat, hoc autem contigisse refert Rodericus Toletanus circa tempora Adelphonsi Regis.

De Episcopatuum progressu ac mutatione.

CAPVT XIII.

RErum earum quæ naturæ ambitu continentur imperitia laborantes, & qui animi deside ignorantia feriantes, solis omnia oculis metiuntur, illi vana rerum specie ac imagine delusi, syderum frontes vultusque mutari autumant, & stellas, quibus cum inconstantia mortalium, nihil est commune, nisi quod testes sunt leuitatis humanæ, in mille colores transformari.

Ita imaginantur solem modo iracundo rubore suffundi, modo senescenti pallore albescere, modo scintillis purioribus ardere, modo concepto penitus igne inflammari. Et tamen errores sunt oculorum non mutationes syderum: adeo inconstantiæ morbo laboramus, vt hanc etiam labem æternis rebus humana cogitatio inspiret, & quæ sua sorte & prærogatiua verti ac immutari nesciunt, ea nostro vitio fatis ac senectuti summittuntur.

Consimili prope ingenio sunt, qui Ecclesiam, qua nil firmius ac constantius fingi potest, & parem fere est cum auctore suo sortita æternitatem, rerum humanarum vicibus agi ac volutari existimant, & Imperia ac Respublicas suam in sacra ac mysteria leuitatem transfundere.

Ideoque propagines Episcopatuum, prærogati-

uas sedium, ordinem & honorem Cathedrarum, non in alium fontem quam in vrbium maiestatem & amplitudinem referunt, quasi verò Deus non alia quam hominum luce splendeat, & quam Pontificum suorum infulis maiestatem Christus impressit, eam à sæculi quam fastidiuit opulentia & vanissimo ambitu coactus sit mendicare.

Ne vero dissimulare quidquam hac in parte videamur, exponamus quæ sit Politicorum & aliorũ, qui his aduersantur opinio, circa incrementa, progressus, dignitates ac cōnexiones sedium & Cathedrarum maxime circa Metropoles, Primatias & Episcopatus, nam ceteros gradus libens prætermitto: vt ex rationum vtriusque partis inspectione decernat lector, quid sibi hac in contentione credendum.

Qui ergo Ecclesiam imperiorum fatis seruire dicunt, illi sedium omnium & Cathedrarum dignitatem è ciuitatum luce, & magistratuum in illis residentium honore metiuntur. Nam Patriarchatus ideo Antiochię constitutus quod illic sedem haberet præfectus Prętorio Orientis. Ideo Carthago in Africę metropolim euecta quod sedes esset præfecti Prætorio Africæ. Ideo Alexandriæ Patriarcha collocatus, quod ibi præfectus Ægypti seu Augustalis moraretur. Olim inquiunt Firmium caput erat Ecclesiarum Illyrici, at postquam præfectus Prætorio Illyrici inde sedem mouit & Thessalonicam profectus est, in eam quoque ciuitatem maiestas Ecclesiæ pristina sede abdicata commeauit. Ita Iustinianus Nouella 11. collat. 2. tit. 6. *Postea autem At-*

tilanis temporibus eiusdem locis deuastatis Appannius praefectus Praetorio de Firmitana ciuitate in Thessalonicam profugus venerat, tum ipsam praefecturam & Sacerdotalis honor secutus est: Et Thessalonicensis Episcopus, non sua auctoritate, sed sub umbra praefecturae meruit aliquam praerogatiuam.

Addunt praeterea Arelatensem vrbem, quam ideo sortitam volunt Primatum Galliarum, quod in ea resideret praefectus Praetorio Galliarũ. His accedit exemplum honorue sedis Constantinopolitanæ; quæ non alio titulo eam, in qua tot sæculis floruit maiestatem adepta est, quam quod Imperatoris throno fulgeret, & ex ea nutus ac oracula Principũ in cæteras Orientis partes funderentur. Attamẽ notandum Arelatensi Episcopo Narbonensẽ & Viennensẽ Prouincias ablatas fuisse, & suos Metropolitas, succedentibus sæculis habuisse, vt Ecclesiarũ regimen, ad natiuam ciuilis administrationis legem formaretur, & desineret Arelas esse caput Ecclesiarum postquam desiit esse caput ciuitatum.

Et certe omnino ex arbitrio & voluntate Principum sæcularium pendere sedium gradus ac dignitates iã olim videtur Decretum. Nam cũ Basilæi Madytorumque ciuitates suis essent Episcopis orbatæ, velletque Metropolita Heracleensis Madytorum Episcopum consecrare, quia Madytorum ciuitas erat intra Metropolim Heracleensem, & vnus ex eius Episcopatibus, similiterque Metropolita Ancyranus consecrationem sibi vendicaret Basileensis: niterentur amplius Canone duodecimo Con-

cilij Calcedonensis, Decretum est ab Imperatore Alexio Comeno. *Præsente Synodo communique suffragio decernente, vt Imperatori permissum sit præsidentiæ thronum Ecclesiis largiri & tam Episcopatus, quam Archiepiscopatus in Metropoles erigere, quæque pertinent ad electiones in his faciundas ceteraque recte constituenda pro libitu suo disponere citra vllum Canonis illius impedimentum.* Ita refert Balsamon apud Leunclauium tomo primo Iuris Orientalis libro secundo Nouellarum Imperatoriarum.

Balsamon apud Leunclauium tom. 1. Iuris Orientalis lib. 2. p. 131.

Quis vero nescit postremis illis temporibus solitos Græciæ Episcopos adire Imperatorem & apud eum Metropoleωn iura & prærogatiuas exambire, vt hoc pacto soli Constantinopolitano Episcopo subessent, & ab eodem consecrarentur. Vnde in pluribus nomen nudum & inane Metropolitarum hęrebat, cum nullas haberent Diœceses sibi mancipatas.

Quam ambitionem repressit idem Comenus, adiecitque, ne in posterum cuiquam liceret Metropolitam se profiteri nisi quem Imperator citra preces & proprio motu talem nominasset.

Eam opinionem, quæ politicæ dispositioni Ecclesiam obnoxiam facit, fauet prouinciarũ & Diœceseωn partitio. Nam in Gallia septemdecim Prouinciæ tot conficiebant Metropoles. Verum reuulsis ex vasto illo & illustri Gallorum Imperio nonnullis Germaniæ partibus; imminutus quoque fuit Metropoleωn numerus, & tandem aliquarum postea accessione auctus ac locupletatus. Eam dispositionem

tionem Ecclesiarum iuxtam vrbium dignitatem & politicam Prouinciarum distributionem probat exactè Canon decimus sextus Calcedonensis, Synodi cuius verba sunt. *Si quælibet ciuitas per authoritatem Imperialem renouata est aut si renouetur imposterum ciuilibus & publicis ordinationibus etiam Ecclesiarum sequatur ordinatio.* Adde Canonem 2. Taurinensis Synodi de controuersia inter Arelat.. & Viennensem, vbi decernitur quod Episcopatus Prouincias sequentur.

Ex his omnino concluditur Diœceseon propaginem & ordinem ac seriem, ex Politici status institutione esse repetendam. Quam sententiam confirmant ea quæ Anacletus, seu quis alius recentior eius nomine personatus, de sedium differētia conscripsit: népe sedes pro Iudiciorū & tribunalium maiestate ac splendore distributas. Vbi enim supremi Iudices erant ad quos ab inferioribus sententiis erat prouocatio, illic Primates censet constitutos: in iis vero vrbibus, vbi erant minores iudices ibi sedisse Metropolitas, tandem, vbi Comites residerent illic Episcopos fuisse ordinatos. Anacletus epist. de Primatibus Patriarchis.

Inuenio & alia ratione caussaque ordinem & seriem Episcopatuum adornatam: Quippe Harpsfeldius ex Chronicis Thomæ Ruidburni refert quod Dunuallo Molimcus 16. Britonum Rex recepta Religione Christiana, vniuersos superstitionum antistites suis sedibus eiecit, & in eorum locum Episcopos atque Archiepiscopos suffecit: quibus omnes istorum assignauit facultates, cum hoc ta- Chronicon Thomæ Ruidburni.

Digitized by Google

men discrimine, vt vbi fuerant Archiflamines illic Archiepiscopos esse iuberet: at vero Episcopos eas sedes occupare, vbi antea Flamines constitissent: atque ita factum ab initio refert Harpsfeldius ex eodem Ruidburno, vt tres Archiepiscopi in Anglia statuerentur Londinensis, Eboracensis, Legionensis, eo quod nempe eas vrbes sub Gentilium infami Polytheia totidem Archiflamines rexissent.

Quas opiniones etsi fortasse præter animum lædendæ, Ecclesiæ editas aliqui putant, non esse difficile & arduum expugnare. Si enim Principum sedes atque Imperiorum vrbes præcipuæ, in Ecclesiastici ordinis capita euectæ sunt, vt quid lex ea in Galliis tanto tempore violata? Nam si rerum & temporum seriem explicemus, vrbes omnes quæ Regum ac Principum domicilio floruerunt, maioribus semper atque altioribus infulis paruerer. Sub prima Regum nostrorum propagine quis nescit Parisios, Suessionas, Aureliam, siue Genabum, sedes fuisse Imperii potissimas, ac Clodouei filios & nepotes diuiso patrimonio in istis ciuitatibus sedem elegisse. At Aurelia, Suessionum ciuitas, vrbs Parisiorum non sunt Metropoles. In Hispania estne Madritum, aut Seuilla, sedes insignis & Metropolitana? In Anglia nunquid Cantuariensis Episcopus cæteris eminet & tamen nunquam illic Rex Angliarum thronum collocauit. Sub secunda Carlomanorum stirpe Aquis granum, ciuitas Metẽsis fuere Regum nostrorum hospitio ac domicilio celebres. Idem de Theodonis Villa dici potest, & tamen ad summam Ec-

clesiarum dignitatem nunquam vrbes illæ sese euexerunt.

Parem huic nostro arguméto rationem opponit Gelasius I. ambitioni græcorũ de Constantinopolitanæ sedis Maiestate superbientiũ. *Risimus*, inquit, *quod prærogatiuã nolunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ ciuitatis. Nunquid apud Rauennã Mediolanum Syrmium, apud Treuiros multis temporibus nõ constitit Imperator? Nunquid harum vrbium Sacerdotes vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus vsurparunt?*

Gelasius primus ad Episcopos Dardaniæ.

Quod si non è maiorum nostrorum voluntate, sed ex antiquiore Romanorum politia petendam istam distributionem aliquis respondeat, huic ego vnum oppono. Præfectus Prætorio Galliarum non modo Galliarum septemdecim Prouincias regebat, sed etiam Angliam vniuersam, & Hispaniam. Si ergo Episcopus Arelatensis sacram suam, & Ecclesiasticam authoritatem cognitione & potestate præfecti Prætorio metiebatur, sequitur Episcopum illum non modo sub sua Primatia Gallias conclusisse, verum etiam Angliam, Hispaniã, aliasque regiones, quod est inauditum.

Amplius vero expendamus, an Diœcean partitio Prouinciarum dispositioni omnino respondeat. Atque vt cæteras omittamus prouincias, Gallia ipsa, cuius Diœceses summam cum politica & ciuili Regionum distributione affinitatem habuit: satis tamen ostendit Ecclesiam non semper suas dignitates ac prærogatiuas ab vrbium amplitudine ac maiestate desumpsisse. Ll ij

Ac si vetustiora liceret rimari, nonne olim, etiam ante Augusti tempora, Ædui, Lingones, Carnutes populorum erant Antesignani & ciuitates istę totis Regionibus nomen suum impresserant. Atqui nec ciuitas Aeduorum, nec Lingonum, nec Carnutum Metropoles fuerunt. Contra vero Lugdunensium populorum rara mentio hisce temporibus, & tamen Metropoleωs nomen & prærogatiuam subinde ciuitas Lugdunum est assecuta.

Sed his prætermissis ad recentiorem Imperii notitiā veniamus. Fatendum certe plurimam esse Ecclesiasticæ dignitatis & Politicæ cõsensionē in vrbibus ac ciuitatibus galliarũ: attamen non omnia eadem. Nam Tũgrorum ciuitas subest Agrippinensi in notitia galliarum, & tamen certum est Episcopatum prius Tũgris hæsisse, quàm Agrippinæ aut Treueris. Et certe Beatus Maternus eiusque successores non Agrippinæ, aut Treueris sed Tũgris præcipuā sedem posuerant. Maguncaciacum quandonam sedes facta est Archiepiscoporum? nisi tempore Bonifacii. Imo ipse Bonifacius diu solum nudumque tulit nomen Episcopi, nec prius Metropolita seu Archiepiscopus effectus est, quam potestatem accepisset à Gregorio tertio nouos Episcopatus fundandi, atque erigendi, vt constat ex Epistola prima eiusdem tom. 1. Concil. Galliæ Et tamen Maguncaciacum in Notitia Galliæ prima inter Germanię ciuitates numeratur. Arelaten, quam Galliarum omnium Metropolim ab initio extitisse sciunt omnes, nonne Prouinciæ Viennensis ciuitas fuit & tãtum abest, vt Metropo-

Greg. 3. to. 1. Concil. Galliç.

lis fuerit, quin potius in notitia Prouinciæ Viennensis penultima recensetur. Et tamen Arelatensem Episcopum alios ordinasse per Prouinciam Viennensem & Narbonensem, constat ex Epistola quarta Zosimi Papæ ad Hilarium Episcopum Narbonensem.

Idem argumentum ex antiquâ Massiliæ Primatiâ potest deduci. Nam cum sanctus Proculus vindicaret sibi Primatum in Ecclesias omnes & Episcopatus Prouinciæ secundæ Narbonensis, eo quòd nempe omnes istas Ecclesias instituisset, primusque in iis Regionibus per discipulos fidem propagasset, obstitere eius conatibus Prouinciæ secundæ Narbonensis Episcopi dicentes, non debere se ab alterius Prouinciæ Episcopo (nam Massilia est ciuitas Viennensis) ordinari. Concilium Taurinense litem secundum Proculum diremit, eique Primatiam super Episcopos secundæ Narbonensis assignauit. *Id iudicatum est à sancta Synodo contemplatione pacis atque concordiæ, vt non tam ciuitati eius quæ in altera Prouincia sita est, cuius magnitudinem penitus nesciremus quam ipsi potissimū deferretur, vt tanquam pater filijs honore Primatus assisteret.* Duo tamen addo: Vnum Primatum hunc cito desiisse, nec vltra viginti annos durasse. Nam Zosimus Papa Narbonensem secundam Arelatensi restituit. Alterum est quod vbi confusæ erant & obscuræ Ecclesiarum origines, hoc est cum nesciretur quænam Ecclesia ab alia originem traxisset, Ecclesia ordinem ciuilis distributionis sequuta est. Imo vero cum nimis

plures vni Episcopo Diœceses subderentur, neque posset his obeundis ac lustrandis sufficere Ecclesia, ad ciuilem & politicam amussim Metropolitarum fines ac terminos præfigebat, & ea fortasse caussa Narbonensis Prouinciæ Diœceses Arelatensi fuerunt subtractæ, à Bonifacio allegante hanc in rem Canonem sextum Nicenæ Synodi, quo decernitur vt Episcopatus seriem atque ordinem Prouinciarum sequantur.

Faciunt itaque contra aduersarios non leues coniecturæ. Absurdum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque & diuisiones perpeti, quas pro suis caussis faciendas duxerit Imperator, vt recte monuit Innocentius primus epist. 18. ad Alexandrum Antiochenum.

Et certe ne quidem nouæ Diœceseωs erigendę facultatem Regibus atque Imperatoribus Ecclesia siue sonticis rationibus condonauit superiori capite remotum vidimus ab Episcopatu eum, quē Vuamba Rex Hispaniarum in Ecclesia Prætoriensi collocarat. In Gallia nostra, cum Rex Childebertus Meleduni seu Mecledone, quæ Parochia est Senonensis Diœcesis Episcoporum instituere vellet, obstitit nouitati eiuscemodi Leo Episcopus Senonensis, vetuitque, indicto ordinantibus & ordinatis Anathemate, ne in vrbe ista sui iuris & imperii nouus Præsul crearetur. Eadem ratione cum Theodoricus & Theodebertus in partibus Franciæ, quæ Episcopo Taurinensi Parochiarum nomine & titulo subie-

Apud Syrmondum tom. 1. Concil. Galliæ.

ctæ erant nouos episcopos instituissent, eos remoueri mandauit Gregorius Papa, vt constat ex eiusdem epist. 120. lib. 7. Si ergo Regibus olim non licebat nouas sedes pro arbitrio fingere, neq; etiam licitum fuit dignitates, earumdem ordinem, ac iura pro rerum suarum commodo immutare. Greg. epist. 120. lib. 7.

Fatendum tamen non ita aduersam fuisse Regum consiliis ac meditationibus Ecclesiam, quin eorundem studiis ac desideriis inclinata, Diœceseωn formam & structuram permutarit. Ita nouissimo hoc sæculo datum est LVDOVICI inuictissimi Regis felicitati ac magnitudini, vt ciuitas Parisiēsis in Metropolim tolleretur. Existimauit etenim Romanus Pōtifex non decere summum virtutibus ac victoriis Principē nisi summis quoque Præsulibus summitti.

Vnde vero factum sit, vt maximæ & luculentissimæ sedes in amplissimis quoque ciuitatibus fuerint collocatæ, non est operosum imaginari. Siquidem primi fundatores Ecclesiarum ac Christi præcones, quærebant vrbium frequentiam & populi cœtum: nam facile est è numerosa turba aliquem nancisci cui persuadeas. Deinde commodiùs latebant in magnis ciuitatibus quam in vicis. Tandem propositum erat Apostolis Reges adoriri, atque Imperatores, atque ab istorum victoria tam illustres ac florentes triumphos auspicari. Vnde monebat Christus, *Cum steteritis ante Reges & Principes nolite cogitare quid loquamini.* De Primatu vero Arelatensi singularem inuenio rationem. Nam Arelatensium ciuitas præcipuo erat & priuato fœdere cū

Romanis connexa: Antiqui eam Romam Gallulã vocabant, ibi Latini idiomatis vsus & exercitatio: Itaque qui Roma missi sunt, eam primum vrbem appulerunt, quod linguæ, gentis ac Imperii commercio & necessitudine faciliorem ad flectendos populorum animos rationem inuenirent.

Certum est itaque Episcopatus & Diœceses fuisse descriptas habita ratione disciplinæ ac institutionis. Vt enim Roma, è qua totus orbis rerum credendarum legem depromit, caput est, & mater Ecclesiarum: ita reliquæ Diœceses Metropoleωn nomen & dignitatem sibi pepererunt, alias edocendo, & ad Christi cultum perducendo.

Eo respexisse videntur Episcopi Prouinciȩ in libello, quem Leoni Papæ obtulerunt de renouando Ecclesiæ Arelatensis priuilegio. Si quidem ad restituendos ei honores antiqui Primatus, Leonem hortantur non ab vrbis magnitudine aut claritate ducto argumento, sed ex eo quod ipsa inter omnes Galliȩ ciuitates, luce Euangelij prima fulserit, quam deinde cæteris ciuitatibus sit impertita. *Omnibus*, inquiunt, *Gallicanis Regionibus notum est, sed nec Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatensis ciuitas missum à beatissimo Petro Apostolo sanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem & exinde alijs paulatim regionibus Galliarum bonum fidei, & Religionis infusum, priusque alia loca ab hoc riuo fidei quem ad nos Apostolicæ institutionis fluenta miserunt, meruisse manifestum est Sacerdotes, quam Viennensem ciuitatem, quæ nunc impudenter*

Apud Syrmondum tom. I. Cōc. pag. 89. sub ann. 450.

ac

ac notabiliter Primatus exposcit indebitos. Vnde apparet eiusce temporis Episcopos ignorasse sedium prærogatiuas esse ab vrbium dignitate & maiestate repetendas. Namque non erant nescij Viennam Metropolim esse Viennensium, Arelatem verò huic esse politica lege subiectam, proindeque fieri non posse, vt Primatus dignitas Viennæ negaretur, si modo constans erat Episcoporum gradus & prærogatiuas locorum mutatione conuerti.

His addendum, Episcopatuum in Anglia dignitatem non ab alio fonte, quàm ab ordine Euangelij recepti promanasse. Etenim postquam Euangelici verbi facibus iterum illustrata est Anglia, Cantuaria Primatum consequuta est, quod illic Augustinus ad fidem prædicandam missus à Gregorio sedem habuisset, & hanc sequitur Episcopatus Rocestrensis, licet vrbis nomine, censuque tenuis, quandoquidem eodem fere tempore Rocestrenses cum Cantuariensibus ad fidem venerunt, vt est apud Harpsfeldium pag. 67.

In hac ergo contentione dubiis hinc inde rationibus atque argumentis, concludi, vt arbitror legitime posset, in summas, atque amplissimas ciuitates Ecclesiam summos quoque atque eximios honores contulisse, non quod ciuilis dignitas sola, suam in Episcopos lucem transfundat, & non alio quam vrbium suarum nomine Patriarchæ aut Metropolitani glorientur: sed quod fere vbique contigerit, vt in egregiis vrbibus ac Metropolitis seu Apostoli seu Apostolici viri constiterint, ac inde salutares E-

Digitized by Google

uangelii riuos reliquæ ciuitates hauserint. Ita noui-mus Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas honorem suum è Petri, qui illic sedit, merito deriuasse. Sic apud Tertullianum Apostolicæ Ecclesiæ leguntur fuisse in iis præsertim vrbibus quæ capita Prouinciarum essent. *Age*, inquit, *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis suæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ, Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas autenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, repræsentantes faciem. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es à Macedonia? habes Philippos. Si potes in Asiam tendere? habes Ephesum: si autem Italiæ adieceris, habes Romanam, vnde nobis quoque authoritas præsto est statuta.*

Tertullian. de præscriptionibus.

De dote & fundatione Episcopatuum. Episcopis amplæ facultates prouisæ. Familia Episcoporum Galliæ primis temporibus non inculta. Episcopatuum cum aliis Ecclesiis uniones propter redituum tenuitatem.

CAPVT XIV.

SVb prima Christianæ Religionis initia dos & erectio Episcopatuum, non ex opibus ac censu pendebat nec nutu aut flagitatione Principũ instituebantur. In magnis atque amplis ciuitatibus vbi messem plurimam sperabant Apostoli illic thronum non auro, argentoque fulgentem sed sangui-

ne ac vulneribus clarum collocabant. Pro dote erat populorum pietas, pro censu Religio, pro stipendio charitas: Neque tamen inficiari quisquam audeat summam rerum omnium, etiam quæ opes ac fortunas spectant, penes Episcopum resedisse; nec oblationes aut vota fidelium alia quam Episcopi manu ac voluntate licuisse regi. Id fuse à nobis & tractando de Parochiis, & de primæua Ecclesiæ politia expositum, non potest, sine nausea recoqui. Concludendum ergo dotem antiquorum Episcopatuum fuisse prædia & res pene omnes immobiles tertiam Decimarum & Oblationum apud Hispanos, apud Gallos & Italos quartam. Deinde iura quædam & obuentiones, Cathedraticum, Circatas Synodaticum Eulogias, & alia quæ Deo dante exponemus, libro secundo, partis secundę.

Quod ergo hîc occurrit difficultatis, in nouorum Episcopatuũ erectione & dote est. Ac illud imprimis animaduertendum antiquos patres perpetuo nitori ac splendori Episcoporum consuluisse, prouideque prospexisse, ne ea dignitas nimio squallore ac paupertate mortalibus, qui vniuersa cultu ornatuque metiuntur, sordesceret. Licet enim obiiciant nobis, olim Episcopos sine familia fuisse, quod probare contendunt ex eo quod etiam Constantini temporibus duobus Episcopis & Chresto Siracusæ Metropolitæ tres tantum famuli assignentur, qui Arelatem proficiscentibus in via ministrent: atque ex eo conijciant tenuem fuisse eo tempore & modestum Episcopis famulatum. Attamen etiam inter

Epist. Constant. Augusti ad Chrestum Episcopum Syracusanum tom. 1. Cõc. Gall. p. 3.

initia nascentis Ecclesiæ apud Gallos non ita fuisse tenues & angustos reditus Episcoporum quin familiam haberent in certas classes atque ordines distinctam, produnt Historici. Brixius qui proxime Beato Martino successit in Episcopatu Turonensi dicitur habuisse seruos Cubicularios apud Gregorium Turonensem lib. 12. cap. 1. *Mulier*, inquit, *ad quam eius cubicularij vestimenta deferebant abluenda, quæ sub specie Religionis erat veste mutata, concepit & peperit, &c.* Ex testamento Remigij liquet ipsum non mediocrem, nec incultam habuisse familiam, vasa apud ipsum fuisse aurea atque argentea, item vim pecuniæ non exiguam, quippe qui Sparnacum villam dicat se emisse ab Eulogio quinque millibus libratum argenti.

Greg. Turonens. lib. 1. cap. 1.

Comitatum vero Episcopis semper illustré fuisse etiam ex decreto mandatoq; Principũ, liquet ex eodé Gregorio, vbi Comitatũ describit Cautino Archidiacono assignatum, cum ad occupandũ Episcopatum Aruernæ ciuitatis profecturus esset. *Tunc ex iussu Regis*, nempe Theodoualdi, *traditis & clericis & omnibus, quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant ordinatisque qui cum eo pergere deberent Episcopis Camerarijs Aruerno eum direxerunt.* Vbi vides Comites datos Cautino Clericos, Episcopos Camerarios. Gregorius magnus lib. tertii, epistola quadragesima quarta agnoscit in Episcopis sui temporis familiam satis numerosam, in qua nil reprehensione dignum animaduertit, nisi quod suadet, vt abiecto famulatu laico, Clericis seruis & ministris vtantur: Paulus

inter virtutes Episcopales hospitalitatem recenset. At hospitibus esse non possunt benefici & liberales, qui vix habent sibi vnde famem arceant. Itaque Gregorius in responsione ad primam interrogationem Augustini Anglorum Episcopi, largiorem Episcopis portionem in opibus Ecclesiæ decerni constituit, vt & suę familiæ & hospitibus suppetant necessaria. *Mos est*, inquit, *Apostolicæ sedis ordinatis Presbyteris præceptum tradere, vt de omni stipendio quod accidit, quatuor fiant portiones, vna videlicet Episcopo & familiæ eius propter hospitalitatem & susceptionem, alia Clero, tertia verò pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis.*

Cum ergo cura fuerit Ecclesiæ, ne paupertate & inopia summa dignitas angeretur, hinc est factum vt lapsis Episcopatuum facultatibus, & ciuitate in qua sedebant Episcopi in extremam calamitatem adducta, insignia quoque Præsulatus ab ea recesserint, & vel è duabus Ecclesiis, vna sedes facta sit, vel ab vrbe diruta, locus Episcopii in florentem & insignem ciuitatem translatus. Cuius rei extant apud Gregorium exempla quam plurima. Quippe cum Ecclesia Formiensis paupertate laboraret, ipsi Ecclesiam Menturiensem clero plebeque, fato temporum destitutam adiungit, & omnia ipsius iura ac reditus assignat lib. 2. epist. 8. Ita Regitano Episcopatui Carinensem Ecclesiam coniungit lib. 5. epistola nona. *Postquam*, inquit, *Ecclesia Carinensis defuncto eius antistite alium ordinari nec loci desertio, nec sint imminutio personarum, maiori cura con-*

Greg. Magn. lib. 2. epist. 8.

Greg. lib. 5. epist. 9.

striguntur, &c. De translationibus vero Episcopatuum propter bellicam cladem, insignis est locus apud eundem Epistola vndecima libri secundi, vbi Velitrensem Episcopatum transfert in locum qui dicitur Harenata. *Temporis,* inquit, *qualitas admonet Episcoporum sedes antiquitus certis ciuitatibus constitutas ad alia quæ securiora putamus eiusdem Diœceseos loca transponere, quo & habitatores nunc degere & barbaricum posit periculum facilius declinari, propterea te Joannem fratrem coepiscopumque nostrum Velitrensis ciuitatis sedemque tuam in locum, qui dicitur Harenata, ad sanctum Andream Apostolum præcipimus exinde transmigrari.*

Lib.2.epis.11.

Quamobrem cum opum ac fortunarum dissipatio plurimum semper de luce & splendore Episcoporum detraxerit, quid mirum si ne pietatis quidem specie res Episcopij minui deterique patres siuerint. Vnde in Synodo Constantinopolitana coercentur Episcopi, qui Monasteria extruentes reditus sedium suarum consumunt. *Multos Episcopatus ruere, & perpetuo exitio tradi videmus, quòd qui eis præsunt, omnem de iis curam & sollicitudinem in recentes Monasteriorum extructiones conferunt, & eos diuellentes ac distrahentes, & vt ad se pertineant reditus molientes, vt ipsa augeantur laborant: Hoc ergo statuit sancta Synodus nulli licere Episcopo priuatum Monasterium ad proprij Episcopatus perniciem recens excogitare.*

Synodus Constanti-nopoli. can. 7.

Cum ergo caute prospectum sit à Patribus, ne antiqui Episcopatus fortunis suis & auito fundo

pellerentur, multò prudentius constitutum, ne Episcopatus noui sine dote congrua crescerent. Qua in re dicendum primo Episcopatus non temere nec sine caussa scissos ac diuisos: Multitudo populi, amplitudo Diœcesis, aut noua gentium quarundam ad fidem accessio, expulsioue barbarorum occasionem dedere nouis sedibus erigendis.

Propter amplitudinem ac spatia immensa Diœceseωn scissos Episcopatus liquet ex Synodo Carthaginensi sub Honorio Canone 60. Vbi decernitur eum Episcopum, qui ab alio traditam sibi Diœceseωs partem regendam acceperit, eas tantum obtinere Parœcias, quæ ex alterius consensu sibi obtigerint. Expulsione vero barbarorum nouos Episcopatus institutos docent Hispaniarum historiæ. Compostella in Episcopatum euecta est, depulsis Gothis & Barbaris: eius Episcopus diu retinuit nomen Iriensis, cui successerat. Tandem ex concessione Vrbani II. nomen Iriense prorsus oblitteratum, & Compostella exempta à Metropolitæ Braccarensis ditione, in Metropolim euecta: Gadibus nouus factus est Episcopus. Granatum facta est quoque ciuitas Metropolitana, extincto fortasse Episcopatui Eliberitano suffecta., Mondonedo sublato Ribadeorum Episcopatu Cathedram excepit, Zamora quoque in hunc honorem elata, Lerium in Portu-Gallia non procul à Conimbrica à Paulo III. S. Pontifice infulis donata est. Quantum vero de dote constituenda solliciti fuerint Reges Hispaniarum, liquet ex indice & catalogo Episcoporum, quem te-

Synod. Carthaginens. sub Honorio can. 60

Ioannes Vasæus.

xuit Damianus à Goez, ex quo apparet omnes illos Episcopos, etiam recentioris instituti, opimis esse facultatibus instructos. Archiepiscopo Granatensi assignantur decem millia aureorum ducatorum pro annuo reditu, Episcopo Zamorensi duodecim millia, Episcopo Leriensi quinque millia.

Damianus à Goez.

Nec minor aliarum nationum, earum etiam quę vicinia ferarum gentium laborabant, in Episcopatibus fundandis, dotandis liberalitas fuit ac deuotio. Postquam enim ad Vagiros & Obotritos Euangelij verbum peruenit, Aldenburg ciuitas sub Othone magno facta est sedes Episcopi, cui defuturum aliquid arbitratus est optimus Princeps, nisi ad dignitatis tantæ Religionem, opes quoque immensas adijceret, quibus se aduersus barbariem tueretur, & Infidelium atrocitatem largitione munerum demulceret. Ita Hemoldus Presbyter libro primo Chronici Sclauorum. *Fuerunt*, inquit, *Aldenburgenses Pontifices admodum honorabiles erga Regulos Sclauorum, eò quod munificentia Magni Principis Ottonis cumulati essent rerum temporalium affluentiâ, vnde possent copiose largiri & fauorem sibi populi conciscere.*

Hemoldus Presbyter Chronici Sclauorum cap. 11.

Subinde porro cum Aldenburgensis Ecclesia diuisa fuisset, atque intra eius terminos duæ de nouo Diœceses efformatæ, nempe Mekilinburgensis & Racesburgensis: His quoque dos amplissima prouisa est, vt ex eodem Chronico liquet. Nam capite 78. de dote Racesburgensis Ecclesię hæc habet Helmoldus. *Ordinatus est in Racesburg Episcopus Dominus Euermordus præpositus de Magdeburg, deditque ei*

Hemoldus lib. 1. cap. 78.

Comes

Comes Polabrorum Henricus insulam ad habitandum, prope Castrum. Præterea trecentos Mansos resignauit duci dandos in dotem Episcopij. Cuius munificentiæ exemplo pellectus Comes Obotritorum seu Slauorum Odolphus trecentos similiter mansos dedit Episcopo Aldenburgensi, præter antiquum patrimonium: vnde apparet non mediocres fuisse Episcoporum opes, nam quisque mansus continet duodecim iugera seu bunnuaria. Vnde dos in terris & prædiis fuit trium millium & sexcentorum iugerum terræ, præter alias obuentiones.

Tandem cum sedes Aldenburgensis Lubecam translata fuisset, tum primum quoque de dote & patrimonio Ecclesiæ cogitatum, ne Clerici illic consistentes ac Episcopi assessores sine fundo essent, vt est apud eundem Helmoldum lib. 1. cap. 90. In Gallia quoque propter amplitudinem & spatia Diœceseωn noui aliquando Episcopatus erecti, siquidem Nomenoius Turonensis Antistes, Britanniam Aremoricam nouis Episcopatibus illustrauit, thronis ac sedibus in Monasterio Briocensi, Dolensi, & Trecorensi, (quod sancti Rabatuali Monasterium dicebatur) constitutis ac fundatis: Vnde cum ius Metropolitæ & Archiepiscopi dignitatem Dolensi cessisset, conati sunt postea Aremoricorum Prælati subducere sese cognitioni & auctoritati Turonensis Metropolitæ, quasi reuulsi ab eius ditione. Quamobrem in Synodo Tullensi re ista in examen adducta, scribendam censuerunt Patres, Epistolam ad Episcopos Britonum eo nomine. *Vt*

Synod. Tullensis apud Syrmundũ in capitulis Caroli Calui.

ad Metropolim suam redeant, eique debito iure se subdant, nec à Canonica & Episcopali communione se segregent. Vt videre est apud Syrmondum in capitulis Caroli Calui. Verum huic contentioni ac molitioni finem non fecit Synodus Tullensis, nam durabat ista Metropolitarum conflictatio Innocentij III. temporibus, qui totam hanc litem in fauorem Turonensis Episcopi diremit, sacro diplomate, cui initium est. *Doleat Dolensis, gaudeat Turonensis Ecclesia:* Alij censent Dolensi idcirco factam occasionem viamque apertam ad vindicanda Metropoleωs iura, quod in ea Ecclesia primum sederit Beatus Samson Archiepiscopus Hibernia pulsus, qui quamdiu vixit, ius pallij ad specimen & memoriam retinuit antiquæ dignitatis, quod ius pallij etiam successores sumpserunt, vnde nata opinio Metropoleωs.

Bulla Innocentii III. quæ incipit doleat Dolensis.

In Diœcesi Pictonum, nouæ sedes in Lucionensi & Malleacensi ciuitatibus erectæ, ex Monasteriis. Bonifacius VIII. Apameam Narbonensis Prouinciæ ciuitatem Cathedra ornauit. Ioannes 22. in fingendis Episcopatibus nouis plurimus fuit. Tholosanam Ecclesiam pallio illustratam, iussit præesse sex Episcopatibus de nouo institutis Montisalbano D. Papuli, Lombariensi, Riuensi, Vaurensi, Mirapicensi. Idem Limosam quæ postea Monasterium effecta est, & D. Pontium fecit episcopatus, ita Albiorum ciuitas in duos Episcopatus scissa est Castrensi nimirum sede intra eius fines collocata. Sic Agenensis, ex se hoc est ex sua amplitudine Codo-

Digitized by Google

mensem Cathedram peperit, Lemouica Tutelensem, Ruthena Vaurensem.

Nouissimo vero sæculo nouæ Diœceses in Belgio erectæ, postulante Philippo Hispaniarum Rege. Is enim per Franciscum Sonnium flagitauit à Pontifice Paulo IV. vt quia Episcoporum penuria laborabat Belgium, atque is terræ tractus tam vastus, ac cultus paucorum admodum Prælatorum sollicitudine regeretur, liberet summo Pontifici nouos in Belgio Episcopatus condere, & eos qui iam fundati erant ab extraneorum Præsulum auctoritate liberare. Pontifex postulationem Principis septem commisit Cardinalibus examinandam, qui typis & figuris Regionum ac Prouinciarum diligenter inspectis, ad Sacrum Senatum, quid circa id negotii gerendum sibi videretur, retulerunt. Itaque summus Pontifex cum consilio sacri Purpuratorum Senatus ita decreuit: nempe conformiter. Extrauaganti Ioannis 22. quæ incipit *Saluator noster de Præbendis ac dignitatibus*, diuisit ac diuulsit Ecclesias Cameracensem, Traiectensem, Attrebatensem & Tornacensem antiquas Belgii Cathedras, à Prouinciis Remensi & Coloniensi. Diuisit etiã quatuordecim insignia oppida videlicet Mechliniense, Antuerpiense, Harlemense, Dauentriense, Leouardiẽse, Groeningense, Middelburgẽse, Buscoducẽse, Ruræmondense, Namurcense, Audomarense, Iprẽse, Gandauense & Brugense, à suis Diœcesibus videlicet Cameracensi, Traiectensi, Leodiensi, Morinensi & Tornacensi, erexitque in ciuitates & Ca-

thedrales Ecclesias, tres vero fecit Archiepiscopatus Cameracensem, Vltraiectensem, & Mechliniensem nouam Diœcesim. De dote vero & patrimonio eorum Episcopatuum sic constituit Pontifex: nempe vt nuncius Apostolicus, visis ac lustratis Regionibus & Monasteriis ac Ecclesiis intra fines cuiusque Diœceseos conditis, assignaret Archiepiscopo Mechliniensi quinque millia Ducatorum auri de Camera, vnicuique vero Episcoporum tria millia pro annuis reditibus, sumendis ex certis Decimis & obuentionibus Ecclesiasticis. Interim vero dum ista agi & perfici possent, Rex Hispaniarum ministraret Archiepiscopo Mechliniensi tria millia ducatorum auri de Camera, & vnicuique Episcopo mille & quingentos ducatos annui certique reditus, verba Bullæ subtexo. *Archiepiscopali Mechliniensi quinque millium & cuilibet ex Episcopalibus mensis huiusmodi 3. millium ducatorum auri de Camera annuos reditus ex certis Decimis bonis & fructibus reditibus ac prouentibus Ecclesiasticis per dictum nuncium specificandis ac repartiendis ex nunc prout ex tunc, & è contra postquam specificati, ac repartiti fuerint. Ac interim donec specificatio & repartitio huiusmodi factæ & effectum sortitæ sint, & non vltra Mechliniensi 3. millium ac cuilibet ex Episcopalibus mensis prædictis mille & quingentorum ducatorum similium annuos reditus, per ipsum Philippum Regē ex reditibus & prouentibus, quos ex dicta Regione percipit assignandos & Archiepiscopo Mechliniensi ac singulis Episcopis pro tempore existentibus singulis annis, quousque specificatio &*

Bulla Pauli 4. de erectione nouorum Episcopatuū in Belgio quæ incipit Super vniuersi anno 1559. Pontif. anno 4.

repartitio prædictæ, ac pro ea tantum parte, quâ plenarium suum effectum minus sortitæ fuerint, & non vltra integre & proportionaliter persoluendos pro earum dote, pari consilio eadem authoritate etiam perpetuo applicamus & approbamus.

Ex quibus patet de dote Episcoporum semper Romanos Pontifices fuisse non mediocriter sollicitos; quippe qui non ignorabant ad sordidas artes ad fœdam Principum & Magnatum adulationẽ, Clericos non alio magis consilio quam eluctandæ ac amoliendæ paupertatis adduci.

Hinc exosi fuerint Antiquitati præsules illi atque Episcopi, qui, ad similitudinem eorum qui otiosi cinguli honore præcincti, vacantes olim dicebantur. Vacantiui sunt appellati; quippe qui sine certa sede & Cathedra oberrantes, eò se conferrent, quocumque vocaret quæstus & sordidissimi lucri cupiditas, de quibus insignis est locus apud Synesium epistola 67. ad Theotimum. Περινοστοῦσί τινες βακαντίβοι παρ' ἡμῖν (ἀνέξῃ γὰρ μου μικρὸν ὑποβαρβαρίσαντος ἵνα διὰ τῆς συνηθεστέρας τῇ πολιτείᾳ φωνῆς τὴν ἐνίων κακίαν ἐμφατικώτερον παραστήσαιμι) οὗτοι καθέδρας μὲν ἀποδεδειγμένην ἔχειν οὐ βούλονται· οἵ γε τὰς οὔσας ἀπολελοίπασιν, οὐ κατὰ συμφορὰν, ἀλλ' αὐθαίρετοι μετανάσται γενόμενοι, καρποῦνται δὲ τοὺς ὑμᾶς ἐκεῖ περινοστοῦντες ὅπου κερδαλεώτερον. Synes. epist. 67. ad Theotimum. *Oberrant nonnulli apud nos Bacantiui; Sines enim me barbara dictione vti, vt per nomen vsitatius in Republica nonnullorum improbitatem significantiùs exprimam. Ij nolunt habere sedem ratam & constitutam & reliquerunt Ecclesiam suam, non calamitate, sed vt vo-*

luntarij errones fruuntur honoribus illuc oberrantes, vbi maior quaestus.

Erant apud Gallos eiusdem fere conditionis Episcopi, qui se Scotos dicebant. Illi sine sede & cathedra palabundi cum certos ac constitutos reditus non haberent, omnem suam spẽ in praecipiti ac temeraria Presbyterorum atque Diaconorum ordinatione collocabant, aduersus quos Concilii Cabilonensis editus est Canon 43. *Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt Episcopos esse & multos negligentes absque licentia dominorum suorum siue Magistrorum Presbyteros & Diaconos ordinant, quorum ordinationem, quia plerumque in simoniacam incidit haeresim & multis erroribus subiacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes vno consensu decernimus.*

Concil. Cabilo. 2. can. 43.

En ergo Lector humanissime, quae ad Ecclesiarum omnium Capellarũ oratoriorum, Parochiarũ, Monasteriorum, Episcopatuum originem ac fundationem pertinent.

COROLLARIVM HVIVS LIBRI.

PLures adhuc sunt Beneficiorum & sacrarum ædium tituli de quibus, nisi res eas in alium locum referendas censerem, hoc libro esset pertractandum. Ex monasteriis enim pullularunt prioratus quos à Monachorum cellis antiquioribus initium duxisse crediderim. Cum enim è Monasteriorum cœtu & frequentia in solitudinem ac tranquilliorem secessum exercitatiores & Philosophiæ magis dediti commearent, cellas plerumque in desertis & inaccessis locis conditas petebant, cum Abbatum nempe consensu, vnde antiquis dicti sunt κελλιῶται. Sunt & lauræ ac para-lauria appendices & propagines & surculi Monasteriorum de quibus frequens mentio apud Palladium & in Codice Iuris Orientalis.

Ista vero remotiora à ciuitatibus loca, nunc subseruiunt deriuandis Monachorum coloniis si quando nimia turba & frequentia maius Monasterium turgeat, aut si quos oportet solitudine ac disciplina austeriore corrigi. Pleræque vero cellæ nunc in simplicis tonsuræ Prioratus cesserunt quia olim in istis cellis nulli erant Presbyteri, aut Abbates quemadmodum in aliis Monasteriis.

Hic quoque de Xenodochiis leprosariis dici posset quarum institutio ex Concilio Aurelianensi quinto repetenda verum materia ista nimis ampla.

est, vt possit hoc volumine contineri. Ista exponemus cum ad administrationem bonorum Ecclesiasticorum noster se prouehet stylus: illic, quæcumque in gratiam pauperum excogitauit Ecclesia narrabimus: è quibus patebit in bonis Ecclesiasticis summum perpetuo præsidium pauperes habuisse, proindeque illis indignari nihil aliud esse quam inuidere solatia miseris & calamitatibus æternitatem precari.

LIBER

Digitized by Google



LIBER TERTIVS.

DE BONIS ECCLESIARVM in specie, nempe de mansis, prædijs, seruis, Colonis, libertis.

POTSQVAM communem quandam bonorum Ecclesiæ picturam oculis subiecimus, nunc doctrinæ ratio postulat, vt singulas fructuum, ac obuentionum species aggrediamur quibus, Ecclesia eos alit quise pro Imperij salute, & Reipublicæ splendore sacris altaribus deuouerunt. Neque miretur aliquis tot tubis ac canalibus in Ecclesiam opes confluxisse, nec quidquam antiquius, aut iucundius populos Regesue habuisse, quam vt æmulis largitionibus Sacerdotum stipendia augerent, & & extra inopiæ metum , & calamitatum discrimen, seu Clericorum, seu Monachorum Sodalitia collocarent. Indignum est humanis casibus ac miseriis premi, qui miserias quantum possunt, iugi obsecratione ab hominum ceruicibus arcent, & cœli sæpissime nostris sceleribus indignantis, vindices flammas, suffuso lachrymarum imbre restingunt! Certe quidquid Politici aculeatis inuidiæ mordacis scommatibus obstrepât, sordescit

in paupertate Religio, reuerentiam in sordibus amittit. Situ isto & squallore, quẽ illi nostris rebus tã impatienter optant, non tam sui amorem mortalibus allatura esset quam fastidiũ. Quis vnquam in haris & mapalibus subulcorum sacra patiatur celebrari? quem non afficiunt templorum ruinæ, labes, & rudera. Quis non irascitur incultis altaribus & neglectis? quod si hæc mortua & inanimata religionũ adminicula, nefas est non lucere puriùs ac nitere elegantiùs, quàm cetera quæ prophanas domos instruunt: quis nisi inuidiæ dirâ frenesi vexatus, velit ad extremam inopiam Sacerdotes adigere, & perpetuò cum calamitate luctari, quos supra templorum, atque altarium reuerentiã sanctiores ceremoniæ consecrarunt. Videamus, ergo quid populis & regibus Religio debeat, & suaui commemoratione beneficiorum, eorum votis, ac generosis largitionibus gratulemur. Bona itaque Ecclesiæ, de quibus in hoc libro acturi sumus, sunt mansi, seu prædia, alodia, feudi, serui, mancipia, coloni, tabularij.

CAPVT I.

De mansis Ecclesiarum. Variæ agrorum conditiones apud Romanos, Limitati, aßignati, redditi, locati, vectigales. Mansorum diuisio in apsos & vestitos. Mansus presbyteralis quot Bunnuariis constat.

AGRI omnes & prædia ab initio libera sunt, seruitutes & dominia hominum voluntas induxit: imposuit vincula terris & maribus hominum ambitio & exile istud punctum, quo res nostræ concluduntur in portiones ac sortes, societatis impatiens dominatio dissecuit. Inde bella, cædes, nequitiæ, proditiones, & quidquid scelerum, Numen irritat & nostram incusat amentiam qui animam, quâ nihil homini esse charius potest, terrâ viliorem fecimus, & dum agrorum fines ferro bellisque protende nitimur, terminos alioquin satis angustæ minuimus vitæ.

Cum ergo natura agros liberos fecerit; quas illis, gentium iura seruitutes imposuerint videamus. Nec enim aliter mansorum & prædiorum, quibus à Principibus Ecclesia donata est, poterit intelligi, quàm si agrorum conditiones omnes breui imagine comprehensas oculis subiiciamus.

Seruitutes agrorum è victoriis populi Romani natæ sunt, ita enim Siculus Flaccus lib. de Condi- Variæ conditiones agrorum.

Siculus Flaccus lib. de condit. agrorum. Titulus Liuius.

tionibus agrorum. *Caussam diuidundorum agrorum bella fecerunt. Captus enim ager ex hoste varie diuisus est.* Diuisionis modum tradit Liuius lib. 3. sub fine. *Agros*, inquit, *ita captos alios in victorem populum partiebantur, alios vendebant, alios militibus assignabant, alios locabant, aliis certum vectigal siue stipendium imponebant.* Qui agri militibus dabatur in præmium rei bene gestæ & solatium senectutis l. *Lucius ff. de Euictionibus*, illi dicebantur Limitati, apud Aggenum & Flaccum: quorum alii erant assignati qui de nouo militibus dabantur, alii redditi, quos nempe ex permutatione consequebantur, vt continuam haberent possessionem, quemadmodum docet Siculus Flaccus loco citato. Venditi agri seu hastæ subiecti fuerunt, quos populus Romanus vendi curabat, & eorum pretium ærario inferebatur l. *in agris. De acquirendo rerum dominio:* iidem dicuntur Quæstorij apud Siculum Flaccum. *Quos ex hoste captos populus Romanus per Quæstores vendidit.*

l. Lucius 11. ff de Euictionibus lib. 2 tit. 2.

l. in agris 16. ff. de acquirẽdo rerum dominio li. 41. tit. 1.

Locati agri & vectigales hi sunt proprie, è quibus seruitutes prædiorum & feuda originem traxerunt. Nam cum pars agrorum vendita, pars militibus assignata foret: quod reliquum erat id in vsu & possessione Reipublicæ manebat, hique agri apud Aggeum Vrbicum dicuntur subseciui. Hos autem agros aliquando populus Romanus locabat, vel ad longum tempus, vel ad lustra singula, & constituebat per prouincias publicanos, ac redemptores, qui publicorum prædiorum redi-

tus colligebant. Aliquando vero non locabat agros populus Romanus, sed vtendos fruendos dabat certis conditionibus, siue cum onere vectigalis per singulos annos pendendi, vnde agrorum censualium conditio manauit. Hoc autem vectigal, vel ex quintâ parte vel ex decimâ fructuum constabat.

Locati agri & vectigales qui fuerint.

Ceterum quid inter agros locatos & vectigales intersit, facile apparet. Nam agri locati tam possessio quam proprietas erat populi Romani. At vero agri vectigalis proprietatem quidem habebat populus, non autem possessionem, dicunturque agri ciuitatum, non possessiones, l. *quæstio* ff. *de verborum significationibus* : & qui eos agros colunt, licet fruendos in perpetuum accepissent non tamen propterea proprietatem habebant, sed vsum tantum & possessionem l. *agri ciuitatum* § *qui in perpetuum*, ff *si ager vectigalis*.

l. quæstio 115. ff. de verbo. signific. lib. 50. tit. 16.

l. agri ciuitatum §. qui in perpetuum ff. si ager vectigalis.

Præter istas agrorum conditiones, duæ quoque supersunt. Nam aliquando populus & Imperator fundum & agrum veteri possessori restituebat, *quorumdam*, inquit Flaccus, *dignitas, gratia, aut amicitia victorem ducem mouit, vt eis concederet agros.* Vnde eorũ agrorum limites his notis impressi reperiuntur R. V. P. *redditum veteri possessori.* Aliquando tributis & stipendiis onerabant. Vnde dicuntur prædia tributaria & stipendiaria: de quibus §. *per traditionem instit. de rerum diuisione*. Theophilus vult Imperatores orbe subacto, quasdam prouincias populo dedisse, quæ stipẽdiariæ dictæ

Flaccus de Condit. agrorum.

§. per traditionem inst. de rerũ diuisione.

Theophilus instit de rerum diuisione.

sunt, quasdam sibi retinuisse quæ tributariæ sunt appellatæ ἐπειδὴ τέλος τὸ ἐστὶ τὸ βαρὺ τέλος ὅπερ, ἐπιβάλλει τοῖς οἰκείοις ἐπαρχιώταις ὁ βασιλεύς, ὡς πολλὰ δαπανῶν περὶ τὴν τῶν στρατιωτῶν ἀποτροφήν. *Tributum est graue vectigal, quod Rex imponit propriis prouincialibus quia multas impensas facit in alendo exercitu.*

Prima mansorum diuisio.

Index Donat. Ecclesiæ Salisburgēs. apud Canis. tomo 6.

Istis ex iure antiquo, cum venia sacrorum iuris Antistitum prælibatis, varias mansorum & prædiorum Ecclesiasticorum species expendemus, ac primo Mansi alij dicuntur Apsi, alij vestiti: alij inter apsos & vestitos, quæ diuisio petitur ex indice donationum Ecclesiæ Salisburgensis apud Canisium tomo sexto antiquæ lectionis.

Quid sit Mansapsus.

Concil. Valentinum 3. cap. 4.

l. instrumēta ff. de fundo instructo

Mansus apsus nil aliud significat, quam prædiū nudum & inueste, sine instrumento rustico: at è contra mansus vestitus est prædium rustica suppellectile, instructum, mancipiis nempe colonis armentis, quæ ad terram colēdam sunt necessaria. Vnde in Concilio Valentino alio nomine dicitur *Colonica vestita*, veteres Latini fundum instructum appellarunt: quæ sint fundi instrumenta docet Vlpianus l. *instrumento* ff. de *instructo vel instrumento legato* ex libris Sabini ad Vitellium. Nempe homines, qui agrum colunt, & qui eum exercent, præpositiue sunt his: quorum in numero sunt villici, monitores, qui nempe cessantes & pigros monent, boues domiti, & pecora stercorandi caussa parata, vasa quæ vtilia culturæ sunt, aratrum, ligones, sarcula, &c.

Ceterum qui mansus in Ecclesiæ parochialis,

aut alterius dotem dabatur, is debuit habere duas conditiones. Primo oportuit esse mansum vestitum seu instructum. Instrumentum autem in tribus mancipiis collocat Concilium Valentinum tertium can. nono. Decretum Hungaricum in duobus mancipiis equo, iumento, sex bobus, duabus vaccis, & triginta quatuor minutis bestiis. Secundo mansus Ecclesiasticus siue parochialis debuit esse integer hoc est iustis terræ mẽsuris completus: completur autem mansus & fit integer quando continet duodecim iugera terræ, quæ iugera modo *Buunuaria* dicuntur modo *Hoba* modo *Acra* in antiquis monimẽtis. Mansi integri mentio fit, in Isacij Lingonens. præfatione ad suos Canones, & in Capitulis Herardi Turonens. cap. 40. Nominatim vero mãsorum integrorum spatia & mensuram præfiniunt leges Longobardorum authore Carolo Imperatore libro tertio lege quadragesima sexta, *de Ecclesiis Emendandis volumus, vt ita obseruetur, vt in Capitulari nostro continetur, quod ad Olonam fecimus, & si in vno loco plures Ecclesiæ sint, quàm necesse sit destruantur. Quod si forte in alio loco Ecclesia sit constructa quæ tamen necessaria sit & nihil dotis habuerit, volumus vt secundum iussionem domini ac genitoris nostri vnus mansus cum duodecim Buunnariis de terra arabili detur, & mancipia duo, à liberis hominibus qui in eadem Ecclesia officium audire debent, vt sacerdotes ibi possint esse, & diuinus cultus fieri, quod si hoc populus facere noluerit destruatur.*

Decretum Stephani Regis Hungariæ ca. 34

Isaici Lingonensis Canones.

Capitula Herardi Turonensis. c. 40.

Leges Longobardorũ lib. 3. l. 46. tit. 1.

Et certe tanta religione tenebantur veteres erga parochiarum sacerdotes, vt nefas esse ducerent quidquam de integritate mansi prædij Ecclesiastici deficere. Vnde Archidiaconi Ecclesias lustrātes solebant imprimis sacerdotum commodis prospicere, & percontari, num mansum integrum & iustam terræ portionem obtinerent. Quod si quid deesset, tum certe parochianos ad supplendum iustæ mensuræ congruentis cumulum adigebant. Patet ex Capitulis Hincmari Remensis, in quibus Archidiaconis imperant, vt inquirant de manso Ecclesiæ. *Si presbyter habeat mansum habentem Bunniaria duodecim præter cemeterium & cortem vbi Ecclesia & domus ipsius continetur, aut si habeat mancipia quatuor.*

Capitula Hincmari Remensis to.3. Concil. Galliæ.

CAPVT II.

Quo abierunt mansi presbyterales. Calamitas Ecclesiarum sub Carolo Simplici. Ecclesiæ venditæ mansi Monasteriis dati, &c.

CVm itaque parochiarum Ecclesiis, tam caute, ac religiose veteres prospexerint: vt nullam illarum sinerent, sine competenti terrarum & agrorum dote ædificari, dubium valde & incertum quo res istæ abierint, & quæ tam infelices harpyæ villarum parochos & sacerdotes suis opibus

Digitized by Google

opibus misere spoliatos extrema paupertate mactauerint.

Certe quod in ea re comperi paucis aperiam. In eo ætatis flexu, quo post longas iactationes & motus periculosos, res Galliarum in Hugonis Capeti domum & potestatem transierunt, Caroli magni leges vna cum stirpe videntur maiestatem & reuerentiam amisisse.

Namque vt vitæ nostræ spatia morbi difficiles, quasi termini quidã ac limites discernunt, nec sine violenta corporis iactatione ab vna ætate in aliam datur transitus. Ita Imperiorum conuersiones seu fortunatas seu lugubres Catastrophas, præit fatalis legum atque ordinum omnium commutatio. Cæcos mortales & quasi insana vertigine laborãtes, diuina prouidentia ad eum quem destinauit scopum solet deducere.

Itaque expirantibus Carlomannorum rebus, senescẽte eorum prudentia, nec amplius imperij molem ferre valentibus magni Imperatoris nepotibus, res Ecclesiarum mirum in modum sunt deformatæ. Nam & nobiles quibus pro Rege erat Libido, & pro lege Cupiditas sacrum patrimoniũ inuaserunt: seque Ecclesiarum dominos faciendo, quidquid pauperes parochi prædiorum, & agrorum habuere, impia rapacitate subtraxerunt. Vt enim Reges eo tempore Abbatias & Episcopatus Ducibus ac Comitibus regni, vt sibi in bello deseruirent solebant mancipare. Ita nobiles inferioris gradus, aut parochiarum bona sibi assumebant,

Calamitas Ecclesiæ sub finem stirpis Carlomannorum.

aut diuidebant militibus De Abbatiis & villis Ecclesiarũ datis regni Magnatibus, diserte Aimoinus, vbi initia Imperij Ludouici Balbi describit, *Ludouicus*, inquit, *accepto nuntio in Audriaca villa, de morte patris sui Caroli, quos potuit sibi conciliauit, dando eis Abbatias, & Comitatus & villas, secundum vniuscuiusque postulationem.* De parœciis vero militibus assignatis loquitur Ioãnes Nonus in Concilio Rauẽnatensi. *Plebes*, inquit, *Ecclesia (id est parœcia) nullatenus, aut Comitibus, aut Episcoporum vasallis, aut vllis laicis in beneficia tribuantur.*

Aimoini continuator lib. 5. cap. 36.

Ioannes Nonus in Côcil. Rau.

Auxit illis temporibus Ecclesiarum calamitatem violenta Normanorum irruptio, qui cum cultum veri Dei nescirent, sed idolo cuidam seruirent, quem Thur vocabant, eique humanum sanguinem libarent, vt refert Guillelmus Gemeticensis Historiæ Normanicæ libro 2. cap. 5. idcirco in odium Christianæ Religionis passim in Ecclesias sæuiebant, & diris cruciatibus Sacerdotes enecabant. Inde nata Ecclesiarum strages & dissipatio. Odericus Vitalis quem debemus viro Antiquitatis peritissimo, & de litteratis omnibus bene merito, Andreæ du Chesne, sic de rei Christianæ statu in Gallia loquitur. *Postquam*, inquit, *regnum Francorum fauente Deo valde super vicinas gentes sublimatũ est, & frequentibus triumphis Regum suorum Pipini, Caroli Magni, & Ludouici Pij dilatatum est: Nimia cupiditas & superbia, atque libido proceres, atque mediocres, atque infimos inuaserunt, & in nequitiarum laqueos præcipitantes, contra salutis suæ auctorẽ,*

Guillelmus Gemeticẽsis lib. 2. cap. 5. Historiæ Normanicæ.

Odericus Vitalis Historiæ Ecclesiast. lib. 3. ad annum 678. pagina 458.

ne et fideliter obedirent, duxerunt: Prædictis cladibus omnis ordo Clericorum, & Laïcorum, pulsatus à pristino robore corruit. Et paulo post *tempore Caroli Regis Francorum, qui Simplex cognominatus est, Brido cognomento Costa Ferrea filius Lobroci* Danorum *Regis, &c. in Galliam intrauit, & oppida vrbesque cum Sanctorum cœnobiis concremauit, & per triginta annos super Christianos cum suis complicibus insatiabiliter furuit.*

Certe à temporibus Caroli Simplicis, ad annum millesimum atrocissime vexatas fuisse & dilaceratas res Ecclesiarum hinc maxime coniicere est, quod sub annum millesimum per totam Galliam omnes Ecclesiæ de nouo fuerunt instauratæ. Glaber Rodolphus lib.3. historiæ cap.4.

Glaber Rodolphus, lib. 3. cap. 4.

Igitur infra supra dictum millesimum, tertio iam fere imminente anno, contigit in vniuerso pene terrarum orbe, præcipue tamen in Italia, & in Galliis innouari Ecclesiarum Basilicas, licet pleræque decenter locatæ minime indiguissent. Æmulabatur quæque gēs Christicolarum aduersus alteram decentiore frui. Erat enim instar ac si mundus ipse excutiendo semel reiecta vetustate, passim candidam Ecclesiarum vestem indueret: Tunc denique Episcopalium sedium Ecclesias *pene vniuersas, ac cætera quæque diuersorū sanctorum Monasteria, seu minora villarum oratoria in meliora quique permutauere fideles.*

Quid vero pacatis tandem Galliarum rebus de mansis terris Ecclesiarum parœchialium factum est videamus. Certe complures earum in Nobilium & Magnatum potestate remansisse credibile est, seu quod eorum hæredes patrimonij partem

esse crederent quod aui patresque Deo abstulerant, & impietatis fructum peculium esse ducerent militare: seu quod fatetur rapinam qui reddit, & latrocinia maiorum accusat, qui eorum prædam quantumuis infamem reiicit: Aliunde vero res parochialium Ecclesiarum constat à nobilibus quibus aliquid inerat religionis, traditas fuisse Monasteriis & Abbatiis; adeoque tam pingues & opulentæ domus spoliis parochorum creuerunt, qui vix earum rerum exiguam nunc portionem recipiunt quas totas olim possidebant. Huius rei plurima habemus exempla in historia præsertim Normanorum. Siquidem in hac parte regni sub primis Ducibus recẽs Christianis Nobiles & Magnates summam in Ecclesias potestatem exercebant, & eas quasi titulo dominij possidebant. Quippe istis temporibus, emi & vendi Ecclesias in Normaniâ scelus non erat, sed Abbates ad augendas res suas à militibus, seu nobilibus eas pretio comparabant.

Mãsi parœchiarũ Monasteriis dati.

De Abbate Vticensi sic habet Odericus Vitalis sub Guillelmo secundo. *Ecclesiam sanctæ Mariæ de Bosco à supradicto Cœnobio prisco tempore constructam, cum silua ibi presente comparauit Theodoricus Abbas à Guillelmo, & Roberto filijs Rodulphi cognomento Fraisuil, decem & octo libris, sicut tenuerat eam quidam Monachus nomine Placidus. Præterea vendidit Hubertus Deuncius prædicto Abbati, Ecclesiam eiusdem villæ, & arpenta terræ.*

Odericus de Vitalis, lib. 1. Hist. Eccles.

Vt ergo omnia illic erant venalia, sic quoque

terræ,seu mansi Presbyterales nonnunquam vendebantur ab iniquis possessoribus. Ita idem Odericus refert Ecclesiam sancti Martini, super fluuium Vacoli, Monachis Vticensibus venditam vna cum terra Presbyteri. Terra autem Presbyteri istis temporibus mansum Presbyteralem significat, de quo nunc agimus. Vnde nunquam exprimitur quot iugera habeat terra Presbyteri, quia certa erat eius mensura. *Robertus*, inquit, *Helgonis filius consentientibus & condonantibus eius Dominis Vuilelmo, scilicet atque Rodberto cum filijs & nepotibus eorum, Ecclesiam sancti Martini super fluuium Vacoli Monachis præfati cœnobij vendidit, & in eodem loco terram Presbyteri, cum alia terra octo Carrucarum, quam emerunt non modico pretio.*

Vt autem vendi, sic dari Ecclesias Monachis consuetudo erat, & vniuersam decimam ijs addici. Exempla plurima sunt apud eundem auctorem, *Possessiones*, inquit, *quas Robertus & Hugo, & Exnaldus filij Roberti de Grentismain illio, pro salute sua, Vticensi* Ecclesiæ *tradiderunt, hæ sunt. In Nucereto, Ecclesia cum omni decima, & terra Presbyter, cum arabili terra trium Carrucarum.* Et paulo post. *Ecclesiam de Louignero, cum terra Presbyteri.* Et pagina sequenti. *Villam quoque quæ vocatur Meldode, & Ecclesiam de Limboth, cum terra Presbyteri.* Et paulo post enumeratis pluribus donationũ generibus. *Hęc omnia*, inquit, *libenter dederũt pro redemptione animarum suarum, cum omnibus decimis, & terris Presbyterorum.* Quibus in donationibus iustitiam magis agnosco

Odericus vitalis sub Guilelmo 2. pag. 462.

quam pietatem, nec enim sua donabant, sed aliena restituebant.

Addendum non solum Nobiles, sed Episcoporum complures, Ecclesias & mansos Presbyterales Monasteriis dedisse. Nec solos Galliarũ parochos morbus hic afflauit, sed in Germania, & vniuersis prope imperij partibus, res Ecclèsiarum ad Monachos, & Collegia Canonicorum transierunt, adeoque prope nudi & inuestes remansere Villarum Sacerdotes, & ad turpem mendicitatem cõpulsi, post quam Collegia & Abbatias suis opibus, ac bonis ditauerunt. Quamobrem sæpius actum in Conciliis quomodo parochorum extremæ paupertati consuleretur, iique Ecclesiarum cõmoda sentirent, in quos oneraquæque grauissima, & molestissima deuoluuntur. Concilium Coloniense publicam in hoc malum querelam edidit. *Ecclesiæ*, inquit, *Cathedrales ac Collegiatæ itidem Monachi, seu Religiosi, qui Ecclesias parochiales, aut suis* Ecclesiis, *vel Monasterijs vnitas habent, aut regendas alijs committunt, aut præsentando committi procurant, adeo interdum omnem prouentum emungunt, vt residui reditus, qui rectoribus* Ecclesiarum *permittuntur, nimis tenues sint, & exiles. Quamobrem nostræ curæ erit, vt tanta portio rectoribus istis aßignetur, vnde iura Episcopalia soluere, & congruam sustentationem poßint habere.* Itaque cum fieri nullatenus posse animaduerterent Patres præfati Concilij, vt languentes parochi, tam ieiunis stipendiis non dicam dignitatis suæ meritum tuerentur, sed ne vitam quidem

Concil. Prouinciale, anno 1536. tit. de victu parochorum. cap. 4.

sustentarent: permisere parochis, vt denarium semel à fidelibus in Paschate conferri solitum quater in anno exigerent. *Iustum ac decens putamus, vt singuli parocitani denarium illum consuetum, sed duplicatum in anno quater, videlicet in festis illis maioribus veluti in Natali* Dominico, *Paschate, Pentecoste, Assumptione Virginis gloriosæ, id est singulis festis duos denarios parocho pendant. Quis enim tam sordidus est, qui non æquum putet modicum quid caduci, & temporalis subministrare illi, à quo spiritalia, ac æterna vicissim repetit; Certe omnes scire debent, eos qui in sacrario sunt edere, & qui altario deseruiunt, cum altario participare. Nam & dominus ordinauit his qui Euangelio deseruiunt de Euangelio viuere. Qui se vnica solutione quæ vno albo rotato fiet, liberare volet id ipsi liberum esto. Ne vero Paræcus, aut in contentionem, aut suspicionem trahatur: potius hæc pecunia per* Ecclesiæ Oeconomos, *aut alios probatæ fidei viros collegitur.* Concil. Colonìense, d. victu paroce cap. 6.

En itaque mansorum Ecclesiasticorum, ac præsertim parochialum diuisio in apsos, vestitos, integros, & non integros, eorumdem quantitas, origo, progressus, desitio. Nunc alias eorumdem qualitates expendamus.

CAPVT III.

De variis mansorum generibus. Quid mansi tributales ingemules, Barscalci, Indominicati, &c. Quid Fodrum paratura Mansionatuum. Agri Ecclesiæ an tributis olim obnoxij. Mansi ad luminaria dati, &c.

MAnsi quidam appellantur Tributales, quidam Seruiles, quidam Indominicati, quidam Ingenuiles, quidam Barscalci. Seruilium Indominicatorum & Ingenuilum frequentior est métio, quam Tributalium & Barscalcorum. Hincmarus Remensis in Capitulis ad Archidiaconos suæ Diœcesis monet, vt inter lustrandum parœcias inquirant à sacerdotibus, *quot mansos habeant in sua parœcia, ingenuiles seruiles, aut accolas.* Accolæ auté idem sunt quod Indominicati, nisi forte Accolas illic intelligamus non de mansis, sed de villanis & parochianis: quot nimirum habeat parochianos. Aimoinus monachus lib. 5. cap. 35. vbi de tributo quod Carolus Caluus Romam profecturus in vniuersa Gallia pendi constituit, terram vniuersam partitur in mansos, ingemules, seruiles, & indominicatos. *Placitum generale Kalendis Junij habuit vbi per capitula qualiter Regnum Franciæ filius suus Ludouicus cum fidelibus & regni primoribus regeret, vsque dum ipse Roma rediret ordinauit, & quomodo*

Hincmarus Remensis in capit. ad Archidiaconos suæ Diœcesis.

Aimonius lib. 5. c. 35.

modo tributum de parte Regni Franciæ quam ante mortem Lotharij habuit, sed & de Burgundia exigeretur disposuit. Scilicet vt de mansis Indominicatis sol. duos de vnoquoque manso ingenuo quatuor denarij de censu dominico, & quatuor de facultate Mansuarij: de Manso vero serujli duo denarij de censu Dominico, & duo de facultate Mansuarij.

Mansorum vero Tributalium & Barscalcorum mentio fit in donationibus Ecclesiæ Salisburgésis, quarum indicem texuit Arno Episcopus apud Canisium. Cóferendo itaque mansos tributales cum agris tributariis, non erit difficile eorum naturam assequi, & coniectare. Népe mansi tributales sunt quibus à principe tributum erat impositum ad onera bellica & sumptus rei publicæ procurandæ: Tributorũ autem originem referunt ad Carolum magnum, qui fracta Longobardorum feritate, victis Ciuitatibus tributum imposuit, quod maxime pendere cogerentur, cum iter per Prouincias Imperator faceret. Ita Sigonius de regno Italiæ lib. 4. *Feudatariis*, inquit, *ciuitatibus Ecclesiis ac monasteriis certa tributorum genera imposuit foderum paraturam & mansionaticum appellata, quæ aduenienti potissimum in Italiam Regi persoluerent. Quæ deinde pro ipsius & successorum eius benignitate, aut ex parte leuata aut in totum remissa sunt.*

Arno Episcopus in indice donationum Ecclesiæ Salisburgensis

Sigonius de regno Italiæ, pag. 90.

Quid autem fuerint antiquitus foderum paratura & mansionaticũ breui exponit idem Sigonius lib. 7. de regno Italiæ sub Othone magno, vbi de Longobardis loquitur, qui in tributis imponendis

Sigonius de regno Italiæ lib. 7. sub Othone magno.

veteres Gallos sunt imitati. *Tributa,* inquit, *quæ ille* (Fredericus) *à Francis instituta retinuit fuere foderum Paratura, & Mansionaticum. Foderum summa quædam frumenti fuit, quam aduenienti in Italia Regi populi soluere tenebantur, pro quo sæpe etiam æstimata pecunia pendebatur. Paratura sumptus quem iidem in vias pontesque fluminum, quà transiturus aut quò aditurus Rex erat, reficiendos impendere. Mansionaticum vero sumptus in tecta & cætera quæ regio exercitui in agro hospitanti, necessaria præbere iubebantur.* De fodro vide legem quartam tit. 8. lib. 3. Longobardicæ legis Fredericum de pace Constantiensi, Petrum de Vineis lib. 2. epist. 29.

l. Leges Lõgobard. lib. 3. tit. 8. l. 4.

De mansionatico lib. 2 capit. tit. 17. Hincmarus epistola ad Clerum Tornacensem, Aimoinus lib. 5. cap. 10. de parata aut paratura in Marculphi formulis, formula 6. & 7 Aimoinus lib. 5. cap. 7.

Hincmarus epist. ad Clerum Tornacensem Formulæ Marculphi Aimoinus lib. 5. c. 7.

Certum est vero sub Caroli magni temporibus eiusque progenie, maximam publici tributi partem, in exhibendo Regi commeatu necessario fuisse positam. Nam vbicumque Rex degeret, certam annonam ciues ei & militibus præstabant. quamobrem ne eadem prouincia, Regij hospitij onus frequentius ferendo, pauperasceret & crebris sumptibus tandem exhauriretur, Ludouicus Pius Caroli magni filius, quatuor prouincias Regni sui ad hyemandum elegit, in quarum singulis ordine suo, hyberni tẽporis molestias vna cum militibus transigebat, vt vnaquæque earum successiuis temporibus, cum Imperator aberat, vires

& opulétiam resumeret, ea vero loca fuere Theotuadum Palatium Casinogilum Audiacum & Eurogilum, vt testatur Aimoinus lib 5. cap. 3.

An autem Mansi Ecclesiæ fuerint tributales, & an prædiis Ecclesiæ aliqua tributa fuerint imposita breui dicendum. Certum est Ecclesias duo genera terrarum habuisse. Quædam enim in dotem Ecclesiæ erant condictæ & contraditæ, quædam vero ad dotem Ecclesiæ non pertinebant, sed erant veluti aliquod eius incrementum, nec tam necessitatis Ecclesiasticæ subsidium, quàm splendoris adminiculum. Atque eas terras, quæ Ecclesiæ, dotis nomine obuenerant, omnino liberas esse oportuit, & à tributo quouis immunes. Nam si seruos olim Herculis templum ingredi, eidemque sacra facere Religio fuit. Si annulum summis impiarum Religionum Sacerdotibus, nisi fractũ & quassatum gestare nefas, ne seruitutis insignia etiam inter ornamenta digitorum haberent. Quanto magis decet omni onere seruili libera esse quæ Deo vouentur, & sacris altaribus, vbi sacra fiunt quæ homines liberant, & atrocissima dæmonum seruitute ereptos, pristinæ restituunt natalĩu dignitati Proinde Canone sexagesimo tertio, Concilij Meldensis Canone 15. Concilij Vuormaciensis, in Capitulis Herardi Turonensis capitulo quadragesimo in Canonibus Isacii Lingonensis in præfatione, cautum sanctissime ne cuiquam seruitio obnoxius sit mansus Ecclesiæ. Quod diserte expresserunt Carolus & Ludouicus Capitularium

libro quinto Capitulo 45. *De vno manso ad Ecclesiā dato de quo aliqui homines, contra statuta sibi seruitium exigunt, quicunque pro hac caussa accusatus fuerit Comes vel missus, hoc quod inde subtractum est presbyteris cum lege sua restituere faciant.*

De mansis vero qui è dote Ecclesiæ non erant, alij quidem dati erant Ecclesiæ tributorum expertes, alij vero tributis onerati. Qui tributorum expertes ab initio fuerant illi non facile tributo subdebantur, nec vnquam fere, nisi in Regionibus de nouo subactis à Rege Francorum, vt nouis dominis parere discerent, & tributi præstatione obsequium faterentur. Sic Longobardicis Ecclesiis tributum impositum refert Sigonius loco citato. Alioquin vero Reges sanctissimi ab Ecclesiæ prædiis semper tributa remouerunt. Vnde Gregorius magnus inter cætera paternæ pietatis consilia Theodoricum & Theodebertum Francorum Reges saluberrime hortatur, ne Ecclesiæ prædia violatis maiorum institutis, tributo supponant. *Audiuimus*, inquit, *quia Ecclesiarum prædia tributa nunc præbeant & magna super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi quibus etiam licita relaxantur.*

Lib.7.epist. 112.indict.2.

Qua autem ratione afflictæ & laboranti Reip. Ecclesia subuenerit, & quoties in splendorē regni & pacem ciuium suas opes erogarit, erit alius dicendi locus. Nunc ad terras tributarias redeundo, dicendum quod si terræ aliquo tributo oneratæ Ecclesiæ darentur, tum certe oportebat Eccle-

ſiam in ærarium Principis, aut militum annonam condictum vectigal conferre & quotannis ſtipen, dia præfixa perſoluere, niſi Princeps ſingulari munificentia ius ſuum Eccleſiæ remitteret. Licet enim Religionis ratio maxima habenda ſit, ſummumque Imperij pignus, ac præſidium in pietate collocandum, non eſt tamen minuenda Principis maieſtas neque ſuccidendi Reip. nerui, qui in vectigalibus & opimo pecuniarum cenſu verſantur. Nam vt Principis eſt religionem tueri, & pacem ſacris altaribus quærere, ita religionis eſt auctoritatem Principis fulcire, & erogatis è ſuo fundo ſubſidiis, ſpontaneæ ſubuentionis exemplo, populum ad communes ſuppetias animare. Ita vero piiſſimi Imperatores Carolus, & Ludouicus ſanxerũt, ne terræ Eccleſiæ datæ, à tributo eximeretur capitularium, lib. quarto, cap 37. *Quicumque terram tributariam vnde tributum ad partem noſtram exire ſolebat, vel ad Eccleſiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam ſuſceperit, tributum, quod inde ſoluebatur omni modo ad partem noſtram perſoluat, niſi forte talem firmitatem de parte* Dominica *habeat, per quam ipſum tributum ſibi donatum poſſit oſtendere.* Capitul. lib. 4. cap. 37

Atqui ſæpiſſime Principum munificentia tributa, ab Eccleſiaſticis prædiis ſibi debita remiſit. Ita Concilium Troſleianum ſentit prædia omnia Eccleſiaſtica ex largitione præcedentium Regum immunitatem habere à tributis fiſcalibus, & omni Dominorum exactione In priuilegio Eccleſiæ Mindenſis, immunitatem legimus eidem con- Concil. Troſleianũ cap. 6.

tem accesserunt Marchionum, Comitum & Baronum tituli. De quibus consulendus Cuiacius ad librum primum de Feudis tit. primo vbi nominum istorum origines expendit.

Cuiacius in lib. 1. de Feudis, tit. 1.

Cæterum Mansi Indominicati, neque cum onere census præstandi tradebantur, neque eos ad colonariam conditionem dabant Nobiles, sed ipsos sua cura, atque impendio inarabant. Vnde cum in ceteris mansorum generibus Mansuarius reperiatur, hoc est qui mansum conducit certis conditionibus colendum, vtendum, fruendum, soli mansi Indominicati sine Mansuario erant: propterea quod non elocarentur, sed ab ipsis Dominis colerentur. Hoc vero liquet ex Aimoino, apud quem Carolus Caluus in Italiam profecturus tributum super singulis Mansorum imponit, ita vt tam Dominus mansi, quam mansuarius onus inter se tributi pendendi partiantur. At eo loco mansi Indominicati nullum habent mansarium, sed soli seruiles, atque ingenuiles. Itaque indominicati erant, qui mansuariis non elocabantur, sed quos ipsimet Domini prædiorum suo labore, atque opera colebant verba autem Aimonii sunt concitauimus. Vbi de distinctione mansorum à nobis actum est. Sed vt requirendi tædium summoueā pauca repeto ex libro quinto capite trigesimo quinto. *Scilicet vt de mansis Indominicatis solidus vnus.* De *vnoquoque manso ingenuo quatuor denarij de censu Dominico, & quatuor de facultate mansuarij,*

Quid mansuarius.

Vt à manso mansuarij, ita à Bunuarijs Bunuarij, & ab Hobis Hobarij nūcupati sunt

Aimoinius lib. 5. cap. 35.

de

Digitized by Google

de manso vero seruili duo denarij de censu Dominico, *& duo de facultate m insuarij.*

Mansi vero Ingenuiles dicuntur, quos Domini prædiorum colendos tradebant hominibus ingenuæ, seu liberæ conditionis, quibus vnus præerat mansarius qui certum censum, seu pensionem, siue nummariam, siue frumentariam Domino fundi, ac prædij persoluebat. Eodem modo Seruilis dicitur, qui per seruos colitur, qui ita glebæ insiti sunt, vt ab ea auelli non possint, & nequidem cum Dominorum voluntate in alienum fundum transferri: his quoque præerat mansuarius, qui collectis & receptis fructibus conditionibus à Domino dictis sese liberabat.

Ingenuiles & seruiles mansi, qui nam sunt.

De Mansis Barscalcis rara mentio fit in antiquis tabulis. Ex nominis autem origine apparet fuisse mansos insigniores Nobilium. Nam nobiles olim Barones dicebantur, id est graues ac venerandi à Græco βαρὺς, vel à latino vocabulo vir quod veteres Longobardi corrupte *var* efferebant. Vnde apud eos Varigildum pro Virigildum, hoc est pœna, seu mulcta occisi hominis. Vel certe Barscalci mansi idem sunt, ac ingenui & liberi, nam baro in legibus Alemanicis hominem liberum & ingenuæ conditionis, sigificat tit. 95. *Si ancilla fuerit soluat solidum vnum, si Barus fuerit similiter.*

Mansi Barscalci.

Baron. vnde dictus.

Leges Longobardicæ.

Legum Alemanicarum, tit. 95.

Cæterùm quinam essent ingenui, & quænam eorum conditio non satis patet. Nisi forte dicamus ingenuos in Germania, Gallia, & aliis Regio-

CAPVT III.

De variis mansorum generibus. Quid mansi tributales ingemules, Barscal i, Indominicati, &c. Quid Fodrum paratura Mansionatuum. Agri Ecclesiæ *an tributis olim obnoxij. Mansi ad luminaria dati, &c.*

MAnsi quidam appellantur Tributales, quidam Seruiles, quidam Indominicati, quidam Ingenuiles, quidam Barscalci. Seruilium Indominicatorum & Ingenuilum frequentior est métio, quam Tributalium & Barscalcorum. Hincmarus Remensis in Capitulis ad Archidiaconos suæ Diœcesis monet, vt inter lustrandum paroecias inquirant à sacerdotibus, *quot mansos habeant in sua paroecia, ingenuiles seruiles, aut accolas.* Accolæ autẽ idem sunt quod Indominicati, nisi forte Accolas illic intelligamus non de mansis, sed de villanis & parochianis: quot nimirum habeat parochianos. Aimoinus monachus lib. 5. cap. 35. vbi de tributo quod Carolus Caluus Romam profecturus in vniuersa Gallia pendi constituit, terram vniuersam partitur in mansos, ingemules, seruiles, & indominicatos. *Placitum generale Kalendis Junij habuit vbi per capitula qualiter Regnum Franciæ filius suus Ludouicus cum fidelibus & regni primoribus regeret, vsque dum ipse Roma rediret ordinauit, & quomodo*

Hincmarus Remensis in capit. ad Archidiaconos suæ Diœcesis.

Aimonius lib. 5. c. 35.

modo tributum de parte Regni Franciæ quam ante mortem Lotharij habuit, sed & de Burgundia exigeretur disposuit. Scilicet vt de mansis Indominicatis sol. dūs de vnoquoque manso ingenuo quatuor denarij de censu dominico, & quatuor de facultate Mansuarij: de Manso vero seruili duo denarij de censu Dominico, & duo de facultate Mansuarij.

Mansorum vero Tributalium & Barscalcorum mentio fit in donationibus Ecclesiæ Salisburgēsis, quarum indicem texuit Arno Episcopus apud Canisium. Cōferendo itaque mansos tributales cum agris tributariis non erit difficile eorum naturam assequi, & coniectare. Nēpe mansi tributales sunt quibus à principe tributum erat impositum ad onera bellica & sumptus rei publicæ procurandæ: Tributorū autem originem referunt ad Carolum magnum, qui fracta Longobardorum feritate, victis Ciuitatibus tributum imposuit, quod maxime pendere cogerentur, cum iter per Prouincias Imperator faceret. Ita Sigonius de regno Italiæ lib. 4. *Feudataris*, inquit, *ciuitatibus Ecclesiis ac monasteriis certa tributorum genera imposuit foderum paraturam & mansionaticum appellata, quæ aduenienti potissimum in Italiam Regi persoluerent. Quæ deinde pro ipsius & successorum eius benignitate, aut ex parte leuata aut in totum remissa sunt.*

Arno Episcopus in indice donationum Ecclesiæ Salisburgensis

Sigonius de regno Italiæ, pag. 90.

Quid autem fuerint antiquitus foderum paratura & mansionaticū breui exponit idem Sigonius lib. 7. de regno Italiæ sub Othone magno, vbi de Longobardis loquitur, qui in tributis imponendis

Sigonius de regno Italiæ lib. 7. sub Othone magno.

veteres Gallos sunt imitati. *Tributa*, inquit, *quæ ille* (Fredericus) *à Francis instituta retinuit fuere foderum Paratura, & Mansionaticum. Foderum summa quædam frumenti fuit, quam aduenienti in Italia Regi populi soluere tenebantur, pro quo sæpe etiam æstimata pecunia pendebatur. Paratura sumptus quem iidem in vias pontesque fluminum, quà transiturus aut quò aditurus Rex erat, reficiendos impendere. Mansionaticum vero sumptus in tecta & cætera quæ regio exercitui in agro hospitanti, necessaria præbere iubebantur.* De fodro vide legem quartam tit. 8. lib. 3. Longobardicæ legis Fredericum de pace Constantiensi, Petrum de Vineis lib. 2. epist. 29.

l. Leges Lógobard. lib. 3. tit. 8. l. 4.

De mansionatico lib. 2 capit. tit. 17. Hincmarus epistola ad Clerum Tornacensem, Aimoinus lib. 5. cap. 10. de parata aut paratura in Marculphi formulis, formula 6. & 7 Aimoinus lib. 5. cap. 7.

Hincmarus epist. ad Clerum Tornacencensem Formulæ Marculphi Aimoinus lib. 5. c. 7.

Certum est vero sub Caroli magni temporibus eiusque progenie, maximam publici tributi partem, in exhibendo Regi commeatu necessario fuisse positam. Nam vbicumque Rex degeret, certam annonam ciues ei & militibus præstabant. quamobrem ne eadem prouincia, Regij hospitij onus frequentius ferendo, pauperasceret & crebris sumptibus tandem exhauriretur, Ludouicus Pius Caroli magni filius, quatuor prouincias Regni sui ad hyemandum elegit, in quarum singulis ordinè suo, hyberni tẽporis molestias vna cum militibus transigebat, vt vnaquæque earum successiuis temporibus, cum Imperator aberat, vires

Digitized by Google

& opulētiam resumeret, ea vero loca fuere Theotuadum Palatium Casinogilum Audiacum & Eurogilum, vt testatur Aimoinus lib. 5. cap. 3.

An autem Mansi Ecclesiæ fuerint tributales, & an prædiis Ecclesiæ aliqua tributa fuerint imposita breui dicendum. Certum est Ecclesias duo genera terrarum habuisse. Quædam enim in dotem Ecclesiæ erant condictæ & contraditæ, quædam vero ad dotem Ecclesiæ non pertinebant, sed erant veluti aliquod eius incrementum, nec tam necessitatis Ecclesiasticæ subsidium, quàm splendoris adminiculum. Atque eas terras, quæ Ecclesiæ, dotis nomine obuenerant, omnino liberas esse oportuit, & à tributo quouis immunes. Nam si seruos olim Herculis templum ingredi, eidemque sacra facere Religio fuit. Si annulum summis impiarum Religionum Sacerdotibus, nisi fractū & quassatum gestare nefas, ne seruitutis insignia etiam inter ornamenta digitorum haberent. Quanto magis decet omni onere seruili libera esse quæ Deo vouentur, & sacris altaribus, vbi sacra fiunt quæ homines liberant, & atrocissima dæmonum seruitute ereptos, pristinæ restituunt natalium dignitati Proinde Canone sexagesimo tertio, Concilij Meldensis Canone 15. Concilij Vuormaciensis, in Capitulis Herardi Turonensis capitulo quadragesimo in Canonibus Isacii Lingonensis in præfatione, cautum sanctissime ne cuiquam seruitio obnoxius sit mansus Ecclesiæ Quod diserte expresserunt Carolus & Ludouicus Capitularium

libro quinto Capitulo 45 *De vno manso ad Ecclesiã dato de quo aliqui homines, contra statuta sibi seruitium exigunt, quicunque pro hac caussa accusatus fuerit Comes vel missus, hoc quod inde subtractum est presbyteris cum lege sua restituere faciant.*

De mansis vero qui è dote Ecclesiæ non erant, alij quidem dati erant Ecclesiæ tributorum expertes, alij vero tributis onerati. qui tributorum expertes ab initio fuerant' illi non facile tributo subdebantur, nec vnquam fere, nisi in Regionibus de nouo subactis à Rege Francorum, vt nouis dominis parere discerent, & tributi præstatione obsequium faterentur. Sic Longobardicis Ecclesiis tributum impositum refert Sigonius loco citato. Alioquin vero Reges sanctissimi ab Ecclesiæ prædiis semper tributa remouerunt. Vnde Gregorius magnus inter cætera paternæ pietatis consilia Theodoricum & Theodebertum Francorum Reges saluberrime hortatur, ne Ecclesiæ prædia violatis maiorum institutis, tributo supponant. *Audiuimus*, inquit, *quia Ecclesiarum prædia tributa nunc præbeant & magna super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi quibus etiam licita relaxantur.*

Lib. 7. epist. 112. indict. 2.

Qua autem ratione afflictæ & laboranti Reip. Ecclesia subuenerit, & quoties in splendorẽ regni & pacem ciuium suas opes, erogarit, erit alius dicendi locus. Nunc ad terras tributarias redeundo, dicendum quod si terræ aliquo tributo oneratæ Ecclesiæ darentur, tum certe oportebat Eccle-

ſiam in ærarium Principis, aut militum annonam condictum vectigal conferre & quotannis ſtipen, dia præfixa perſoluere, niſi Princeps ſingulari munificentia ius ſuum Eccleſiæ remitteret. Licet enim Religionis ratio maxima habenda ſit, ſummumque Imperij pignus, ac præſidium in pietate collocandum, non eſt tamen minuenda Principis maieſtas neque ſuccidendi Reip. nerui, qui in vectigalibus & opimo pecuniarum cenſu verſantur. Nam vt Principis eſt religionem tueri, & pacem ſacris altaribus quærere, ita religionis eſt auctoritatem Principis fulcire, & erogatis è ſuo fundo ſubſidiis, ſpontaneæ ſubuentionis exemplo, populum ad communes ſuppetias animare. Ita vero piiſſimi Imperatores Carolus, & Ludouicus ſanxerũt, ne terræ Eccleſiæ datæ, à tributo eximeretur capitularium, lib. quarto, cap 37. *Quicumque terram tributariam vnde tributum ad partem noſtram exire ſolebat, vel ad Eccleſiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam ſuſceperit, tributum, quod inde ſoluebatur omni modo ad partem noſtram perſoluat, niſi ſorte talem firmitatem de parte* Dominica *habeat, per quam ipſum tributum ſibi donatum poſſit oſtendere.* Capitul. lib. 4. cap. 37

Atqui ſæpiſſime Principum munificentia tributa, ab Eccleſiaſticis prædiis ſibi debita remiſit. Ita Concilium Troſleianum ſentit prædia omnia Eccleſiaſtica ex largitione præcedentium Regum immunitatem habere à tributis fiſcalibus, & omni Dominorum exactione In priuilegio Eccleſiæ Mindenſis, immunitatem legimus eidem con- Concil. Troſleianũ cap. 6.

Otho magnus diploma, datum anno 961

cessam ab omni onere fiscali. Vult enim Otho magnus ab vniuersis prædiis, & possessionibus. *Quas*, inquit, *nunc infra ditionem regni nostri possideat, vel quas deinceps in iura eius diuina pietas voluerit augeri. Nemo præsumat exigere, vel freda, seu fodra, vel paradas, vel mansiones, sed vt prædictum Monasterium sub tuitione Imperatoris consistat, & quidquid* (ait Imperator) *fiscus exinde sperare potuerit, pro æterna remuneratione, dictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum continuandi concessimus.* Iisdem pene verbis immunitatem eiusdem Ecclesiæ firmauit Henricus sanctus Imperator suo diplomate dato ad annum 1008. extat vtrumque in Chronico Mindensi 2. parte, edito per Ioannem Pistorium.

Pudeat itaque Hæreticos obiter dicam, tam insolentis contumaciæ, qua ritus Ecclesiæ Romanæ suggillant, & luminaria præsertim derident medio claroque die in ædibus sacris accensa. Quid est enim aliud in eum morem inuehi, quam Imperatorum pene omnium nomen cótumeliis aspergere, & appellare insanos, quibus olim tot Prouinciæ capita summiserunt. Nam vt breuiter dicam nil ab Imperatoribus, tam sanctè constitutum, quam vt inoffensa essent prædia, quæ pietas maiorum, Ecclesiæ luminaribus dedicasset: in eorum gratiam toties sua iura, & fiscales obuentiones remiserunt. Adeoque de immunitate mansorum quæ ad Ecclesiæ luminaria pertinēt singulare capitulum extat lib. 2. capit. 5. in quo sanctissimi Imperatores Lotharius, & Ludouicus ita ad-

hortatur Episcopos. *Ne vero Ecclesiæ illis, scilicet* Sacerdotibus, *commissæ in restauratione, aut in luminaribus iuxta possibilitatem ab illis negligantur vestra nihilominus inuigilare debet solertia. Vt sicut alios prohibetis ne de Mansis ad Ecclesiæ luminaria datis aliquid accipiant, sic & vos, & vestri Archidiaconi de iisdem Mansis, nihil accipiendo aliis exemplum præbeatis: sed potius ad id ad quod data sunt seruire cõcedatur, vt totum sicut dictũ est, in restauratione Ecclesiarum, & luminaribus vestra auctoritate & studio cedere posit.*

Restat exponendum quinam sint mansi Indominicati, seruiles, Ingenuiles & Barscalci.

Indominicatus mansus, nil est aliud quam prædium aliquod insigne ac nobile, quod neque colonorum, neque seruorum domicilium erat, sed Nobilium, ac dominorum domus, cuius ipsi titulum, & appellationem nonnunquam sibi adscribebant. Antequam enim in Baronum, Marchionum, Comitum, & alias eiuscemodi classes, atque ordines tota foret diuisa nobilitas, solebant Nobiles simplicem titulum nomenque domus suæ sibi præfigere, atque sese appellare Nobiles de tali vel tali loco. Vt ex Chronico Constantiensi liquet, in quo multi leguntur simplici titulo Nobilitatis illustres, adiecto nomine domus, vt *Hermannus, Nobilis de Arbona, Dietelmus Nobilis de Cleggoia, Henricus Nobilis de Tanu.* Postquam vero Marcarum, hoc est regni limitum, & Rectorum Prouinciæ, hoc est Comitum, cura cepit esse perpetua, & certis adscripta familiis, ad Nobilita-

Quid mansus Indominicatus.

Chronicon Constantiense Indice Episcoporum Constantiensium.

tem accesserunt Marchionum, Comitum & Baronum tituli. De quibus consulendus Cuiacius ad librum primum de Feudis tit. primo vbi nominum istorum origines expendit.

Cuiacius in lib. 1. de Feudis, tit. 1.

Cæterum Mansi Indominicati, neque cum onere census præstandi tradebantur, neque eos ad colonariam conditionem dabant Nobiles, sed ipsos sua cura, atque impendio inarabant. Vnde cum in ceteris mansorum generibus Mansuarius reperiatur, hoc est qui mansum conducit certis conditionibus colendum, vtendum, fruendum, soli mansi Indominicati sine Mansuario erant: propterea quod non elocarentur, sed ab ipsis Dominis colerentur. Hoc vero liquet ex Aimoino, apud quem Carolus Caluus in Italiam profecturus tributum super singulis Mansorum imponit, ita vt tam Dominus mansi, quam mansuarius onus inter se tributi pendendi partiantur. At eo loco mansi Indominicati nullum habent mansarium, sed soli seruiles, atque ingenuiles. Itaque indominicati erant, qui mansuariis non elocabantur, sed quos ipsimet Domini prædiorum suo labore, atque opera colebant verba autem Aimoni sunt concitauimus. Vbi de distinctione mansorum à nobis actum est. Sed vt requirendi tædium summoueā pauca repeto ex libro quinto capite trigesimo quinto. *Scilicet vt de mansis Indominicatis solidus vnus. De vnoquoque manso ingenuo quatuor denarij de censu Dominico, & quatuor de facultate mansuarij,* *de*

Quid mansuarius.

Vt à manso mansuarij, ita à Bunuarijs Bunnuarij, & ab Hobis Hobarij nūcupati sunt

Aimoinus lib. 5. & cap. 35.

de manso vero seruili duo denarij de censu Dominico, & duo de facultate mansuarij.

Mansi vero Ingenuiles dicuntur, quos Domini prædiorum colendos tradebant hominibus ingenuæ, seu liberæ conditionis, quibus vnus præerat mansarius qui certum censum, seu pensionem, siue nummariam, siue frumentariam Domino fundi, ac prædij persoluebat. Eodem modo Seruilis dicitur, qui per seruos colitur, qui ita glebæ insiti sunt, vt ab ea auelli non possint, & nequidem cum Dominorum voluntate in alienum fundum transferri: his quoque præerat mansuarius, qui collectis & receptis fructibus conditionibus à Domino dictis sese liberabat.

Ingenuiles & seruiles mansi, quinam sunt.

De Mansis Barscalcis rara mentio fit in antiquis tabulis. Ex nominis autem origine apparet fuisse mansos insigniores Nobilium. Nam nobiles olim Barones dicebantur, id est graues ac venerandi à Græco βαρὺ, vel à latino vocabulo vir quod veteres * Longobardi corrupte *var* efferebant. Vnde apud eos Varigildum pro Virigildum, hoc est pœna, seu mulcta occisi hominis. Vel certe Barscalci mansi idem sunt, ac ingenui & liberi, nam baro in legibus Alemanicis hominem liberum & ingenuæ conditionis, significat tit. 95. *Si ancilla fuerit soluat solidum vnum, si Barus fuerit similiter.*

Mansi Barscalci.

Baro, vnde dictus.

Leges Longobardicæ.

Legum Alemanicarum, tit. 95.

Cæterùm quinam essent ingenui, & quænam eorum conditio non satis patet. Nisi forte dicamus ingenuos in Germania, Gallia, & aliis Regio-

nibus habitos qui parentibus liberis, aut iustâ ser-uitute manumissis nascerentur. Ingenuos tamen non fuisse ab omni seruitio liberos existimauerim: nam ingenui Dominorum agros colebant, vt ex ista diuisione mansorum perspici potest.

CAPVT IV.

De Massis, Domibus. Nauibus, Seruis Massarijs, Burdationibus, &c.

MAnsi nomen, & appellatio, vt apud Gallos & Germanos recepta, ita Massæ vocabulum apud Latinos vsitatum. Est autem massa conglobatio quædam seu collectio possessionum, ac prædiorum quam Græci συγκτησιν vocant. Huius nominis mentio est apud Casiodorum, lib. 8. Epistola 33. vbi Rex Athalaricus iubet conductores, ac possessores massarum, prospicere ne rustici in mercatores aliosque peregrinos insiliant, qui ad Natale Sancti Cypriani celebrandum Lucaniam confluebant. Singulæ autem massarum suis erant titulis, ac nominibus insignes siue à primis cultoribus nomen habuissent, siue ab ijs qui donassent, aut vendidissent. Ita apud Gregorium libro primo indictione 9. Epistola quadragesimâ secundâ legimus Ecclesiam Romanam in Sicilia plures massas habuisse: alia enim

Cassiodorus lib. 8. epist. 33.

Gregorius lib. 1. Ep. 42. Indict. 9.

dicitur massa Varroniana, alia Subpatriana, alia Cinciana.

Qui massas colebant, illi Rustici Ecclesiæ siue Coloni Ecclesiastici dicebanturvel à massis et *serui massarij*. Censum autem & pensionem Ecclesiæ persoluebant partim in frugibus partim in nummis. In frugibus vt Romam quotannis è Sicilia conueherentur ad pauperum famem, & calamitates subleuandas.

Ita etiã bestiæ Massariæ dicebãtur boues, & armenta, quæ ad massã pertinebant, Const. Neapo. lib. 1. tit. 84.

Vnde idem Gregorius Magnus Epistolâ secundâ ad Iustinum Prætorem Siciliæ grauiter queritur quod iustum frumenti Canonem non curasset Romam importari. In pensione autem frugum iusti sanctique Pontifices monebant patrimonij Rectores, ne quâ fraude iniuriáve Rusticos premerent, & ne præter exactam mensuram siliquas addi compellerent. Erant autem siliquæ mensuræ leuiores, quas prophani prædiorum possessores cogebant Colonos ad cumulum iusti & cōdicti Canonis adiicere. Vectigalia quoque, & præstationes, quas pro modo facultatũ & fructuum collectorum Rustici Regibus pendebant, olim siliquæ dicebantur. Quibus exigendis sæpissime Episcopi prospexerũt, ne vltra modum Rustici à numerariis, siue exactoribus tributorum premenretur, vt patet ex Decreto Artemij Episcopi Tarraconensis apud Garsiam Loaisam, post Concilium Cæsar Augustanum secundum.

Greg. Epist. 2. l. 1.

Decretum Artemij Episcopi Tarraconensis.

Pensio vero Nummaria vetusto illo idiomate Burdatio dicebatur, hinc Gregorius Magnus Epi-

Quid Burdatio.

stola quadragesima secunda vetat ne Burdationes præmaturè fiant, hoc est ne exigantur à Rusticis pecuniariæ pensiones antequam fructus suos vendere potuerint, ac distrahere. *Cognouimus* (inquit) *quod prima illatio Burdationis Rusticanos nostros vehementer angustat, ita vt priusquam labores suos venūdare valeant, cōpellantur tributa de suo persoluere, quæ dum de suo vnde dent non habent, ab auctionarijs publicis mutuo accipiunt, & grauia commoda pro eodem beneficio persoluunt.*

Greg. Ep. 42. lib. 1.

Domus vero Ecclesiæ, multæ olim erant, præsertim in vrbe Romana quæ ad perpetuam emphyteusim sub certa pensione locabantur. Vnde Gregorius Magnus epist. decima nona libri tertij reditus omnes ædis sanctæ Agathæ, cui Leonem Acolythum præfecerat, assignat in pensionibus domorum vrbanarum. *Ideo*, inquit, *pensiones omnium domorum in hac vrbe constitutarum, quas prædictā Ecclesiam temporibus habuisse Gothorum constiterit, annis singulis congregare non desinas, & quantum in sartis tectis vel luminaribus aliaque reparatione eiusdem Ecclesiæ necessarium fuerit, erogare omnibus modis studebis.*

Gregorius epist. 19. li. 3.

Hoc autem singulare est, & notandum quod iis domibus, quæ ad Ecclesias pertinebant, tituli, & insignia Ecclesiarum inscribi solerent, hocque ritu Ecclesia possessionem domus adire crederetur.

Tituli domuū Ecclesiasticarum.

quamobrem Gregorius magnus epistola sexagesima tertia libri primi queritur Petronii domū à Constantino defensore iniuste titulatam. Quare cum Ecclesiam animaduerteret iure eam occupa-

re non posse, deiici ac deponi titulos iubet, quos error & ignorantia Constantini præfixerat. *Quoniam*, inquit, *docti sumus domum Petronij Notarij sanctæ Romanæ* Ecclesiæ, *cui* Deo *authore præsidemus à Constantino tunc defensore irrationabiliter titulatam, experientiæ tuæ præsentis præcepti pagina demandamus, vt omni excusatione vel dilatione omissa, deposito titulo eandem domum præsentium latrici Theodoræ Relictæ antedicti Petronij sine mora restituas, &c.* Gregor. Mag. epi. 61.

Naues autem Ecclesiam habuisse liquet ex l. *Iubemus. C. de sacrosanctis* Ecclesijs. quia verò naues Ecclesiæ certis gaudebant priuilegiis ac prærogatiuis; idcirco vt eas immunitates nonnulli suis nauibus conciliarent, solebant eas in tutelam, ac patrocinium Ecclesiarum contradere. Vnde Naues duplicis generis habuit Ecclesia, quasdam videlicet Proprias, quasdam vero Commẽdatas. De Commendatis locus est apud Gregorium epistola septuagesima ad Petrum Subdiaconum, quem monet vt naues Ecclesiæ commendatas constantissime tueatur. *Naues*, inquit, *quæ commendatæ Ecclesiæ sanctæ semper fuerunt in omnibus tuere, ad quod etiam tibi directæ gloriosi viri Leonis exconsulis litteræ concurrunt.* De nauibus Ecclesiæ. l. Iubemus. C. de sacrosanct. Eccl. Naues Cõmendatæ. Gregorius epist. 70. lib. 1. ad Petrum Subdiaconum.

De Nauibus Ecclesiæ sancti Maximini Treuerensis, & earumdem immunitate extat priuilegium Caroli Magni apud Aubertum Myræum in diplomatibus Belgicis cap. 8. Diploma Caroli Magni de nauibus Ecclesiæ apud Aubertum Myræũ c. 8. Diplomatũ Belgicorum

Caput IV.

De Seruis Colonis & Mancipiis Ecclesiarum. Quid Coloni censiti, originarij. Quot modis seruos Ecclesi.. acquirebat. Quid Casati. Eorum duo genera va alli & serui. Serui quomodo æstimabantur liberti Ecclesiæ duplicis generis. Familia Ecclesiæ ex quibus constaret, &c.

Alteram Ecclesiastici patrimonij partem, in seruis, colonis & mancipiis constitutam, satis prodit creberrima eorum, seu in Conciliis, seu in donationum Cartis ac diplomatibus, seu in Historiis mentio. Tam variæ autem ac discrepantes seruorum propagines ex primigenio isto romanæ seruitutis fonte pullularunt, vt omnis eorum Historia & conditio nondum sat lucis videatur habuisse.

Repetenda vero huius tractationis initia ex antiquo Romanorum iure. Namque agros olim aut sua manu & operâ aut conductitiâ & mercenariâ colebant. Nec manum suam terræ serendæ & colendæ olim præbere dedignabatur victrix Romanorum simplicitas. Gaudebat terra vomere laureato, & triumphali aratore, atque eadem manu tractabantur semina, qua bella Si vero alienis operis agros colerent, vel mancipiis in ea re vtebantur hoc est hominibus conditione seruis, l.

Plinius in Panegyrico

si mancipia ff. *de fundo instructo.* l. *cum de lanionis.* §. *si fundum*, eodem tit. Erant autem inter mancipia rustica, mulier custos fundi aut prædij, villicus, molendaria, bubulcus, putatores, pastores, fossores, l *si ita testamento.* §. *mulier.* ff. *de fundo instructo.*

l. si mancipia ff. de fundo l. instructo. l. si ita testamento §. mulier. ff. de fundo instructo.

Sin vero mancipiis carerent, quibus agri colerentur, conducebant mercede homines liberos, qui suas operas elocabant, & hi proprie agricolæ dicuntur, quorum, liberam omnino fuisse conditionem liquet ex l. *nunquam.* C. *de agricolis.* Cum vero agros colendos liberi homines ad longum tempus conducerent, aut domino fundi certam pecuniæ summã ex agrorum reditu persoluebant, aut partem fructuum, atque obuentionum rusticarum præstabant. Posteriores isti dicuntur à Latinis *partiarij* Græcis μορτῖται, l. *si merces.* § *Vis maior.* ff. *locati & conducti.* Vbi partiarij coloni à pecuniariis differre dicuntur, quòd si vis maior θεοῦ βία, fatum ineluctabile astrorum, damnum frugibus intulerit, colonus partiarius partem quoque damni ferre tenetur, quia societatis iure, damnum & lucrum cum Domino fundi partitur. Præter mancipia & colonos conductitios, erant quædam familiæ, quæ sese colendis agris deuouebant sub certa pensione Dominis fundi præstanda, & hæ, vel in perpetuum colonariam cõditionem induebant, vel ad tempus. Si ad tempus illo exacto pristinæ conditioni restituebantur, nisi forte per spatium triginta annorum agris colendis incubuissent: nam post annos tringinta, nefas erat ip-

l. nunquam C de agricolis.

l. si merces. §. vis maior ff. locati & conducti.

Digitized by Google

sis à gleba absistere, sed præscriptione vtebatur aduersus eas Dominus fundi, quominus libertatem reciperent. quam legem trigenariæ præscriptionis tulit Anastasius Imperator, l. *cum satis*, §. *cum autem*, C. *de agricolis colonis & censitis*.

L. cum satis §. cum autem. C. de agricolis colonis censitis.

Qui vero in perpetuum colonariæ rei se se addicebant, illi fiebant serui glebæ, seu adscriptitij pari fere conditione, quâ curiales, qui se curiæ deuouerant non poterant officijs, & functionibus curiæ renunciare, l. *cum per alias*, C. *de Colonis Palestinis*.

L. cum per alias C. de Colonis palestinis.

Adscriptitij si quos susciperent liberos quamdiu in colonaria essent conditione, illi dicebantur Originarij, l. *Originarios de agricolis colonis & censitis*.

L. Originarios C. de Agricolis, colonis & censitis.

Tandem censiti dicuntur, quibus certa portio terræ sub annuo censu erat assignata. Qui census si per capita solueretur dicebatur, *capitatio*, si per iugera *Iugatio*, de quibus vide l. *Coloni, C. in quibus caussis*. Quibus ita præmissis, Certum est Ecclesiam antequam seruitutes è medio sublatæ fuissent, puduissetque Christianos infami iugo summittere, quos Christus pretio sanguinis dato in libertatem vendicauit, certum est inquam, Ecclesiam habuisse seruos mancipia colonos adscriptitios, casatos, originarios, libertos. Nam qui prædia sua Ecclesiæ tradebant; solebant etiam vna cum agris seruos agrorum & colonos in Ecclesiæ familiam, ac potestatem transcribere. Aliunde verò aduocati ecclesiarum, vt res earum,

L. Coloni C. in quibus caussis, &c.

atque

atque opes augerent nonnunquam ſeruos & ancillas vbi opus eſſet emebant. Vnde acquirebãtur ſerui Eccleſiæ 3. modis, vel donatione fidelium vel emptione aduocatorum vel permutatiõne.

Ritus donandi ſeruos Eccleſiæ fuit, vt in Carta donationis ſeruorum & ancillarum nomina vna cum liberis & propagine eorumdem notarentur. Quod ſi donator ſingulari beneuolentia aliquem è ſeruis proſequeretur, nonnunquam illi facultatem ſeſe redimendi permittebat, modo mancipium daret eiuſdem pretij & valoris. Notandum vero pretium mãcipiorum eo tempore è proceritate ac magnitudine corporis fuiſſe æſtimatum; atque ita definiebat donator, cuius magnitudinis mancipium dare deberet, qui ſe volebat redimere. Et mancipiorum quidem magnitudo manibus æſtimatur, vt mancpium ſummi pretij decem vel duodecim manus longum ſit. Ita in veteri Carta quæ extat in Centuria Cartarum Alemanicarum Antiq. tom. 2. parte 1. legimus. *Si Hacco qui eſt in Concambio cum Vuichardo ſe redimere vult det alium mancipium XI. manuum longum.* Nonnunquam vero ſeruorum donatores ſibimetipſis redimendi facultatem retinebant ſi liberet & pretium conſtituebant, quo ſeruus redimeretur, ita in formula Iſonis legimus. *Illum ſupra nominatum ſeruum nomine illo, in cenſum habeam ad tempus vitæ meæ, & ſi redimere voluero, cum tanto pretio redimam.*

ritus donãdi ſeruos.

Ita in legibus Alemanicis legitur Seruus 13. palmarum cũ pollice.

Almanic. Antiq. to. 2. parte 1.

Adquirebantur ſerui Eccleſiæ per emptionem, quando certo pretio eos emebat aduocatus Ec-

clesiæ, cuius exemplum est in Carta prima Centuriæ præfatę, scripta per Malafredum in qua Otperga quædam vxor Vodalberti in libertate ducta, dicitur acquisita in seruitium ab Emichone Aduocato Sancti Galli.

Centuria Cartarum carta 1.

Permutationes seruorum fiebant, si quando is seruus Ecclesiæ parum vtilis foret, & alios seruos commodiores esset habitura in concambium. Seruus autem pro valore & æstimatione pretij aliquando vno, aliquando duobus seruis permutabatur. Ita in Carta per Herimotū monachum conscripta, Grimaldus Abbas vna cum Podalolto Aduocato concambiat seu permutat, cum Valdradramo duo mancipia, accipitque è contrario tria mancipia.

Cart. 22. aleman. antiq. to. 2. p. 1.

Coloni quomodo acquiruntur.

Coloni vero non eodem modo quo serui acquiruntur: nam vt vagos ac errones esse Colonos eorum conditio non sinebat, nec à gleba, cui colendæ sese deuouerant, etiam dominorum auctoritate eximi: ita non possunt sine donatione fundi donari, nec sine eiusdem permutatione permutari. Itaque si quis Ecclesiæ fundum & prædium addiceret, is quoque Colonos dabat, & si Ecclesia prædia quædam de nouo acquireret, colonos quoque comparabat.

Quod de Colonis, idem de Casatis dicendum. Casati autem & Inquilini ij sunt proprie, qui se Casæ seu Domui dedicarunt. Quamobrem sicut qui agros colunt coloni dicuntur, ita qui casas seu domos curant, illi nominantur Casati & eos à casa

Digitized by Google

auelli, leges non sinebant. Itaque sine Casæ venditione vendi non poterant, nec sine eiusdem donatione donari. Verum ne rem inuolutam silentio prætermittam, quod fuerit Casatorum officiũ, & quæ partes non satis conuenire video inter auctores. Alij vassos Ecclesiæ intelligunt, qui partem feudi seu beneficii obtinent. Alii seruos domesticos. Ego vero Casatorum 2. genera reperio. Quidam enim dicuntur Vassalli casati, quidam serui Casati. Vassali Cassati sunt homines, seu feudatarii deterioris notæ. Nam vt in Longobardia, ita in Francia olim tres ordines ingenuorum tantum videntur fuisse, Capitaneorum, quo nomine Marchiones, Duces & Comites intelliguntur, Valuassorum & Plebis. Valuassores dicuntur qui à Marchionibus & Ducibus feudum accipiunt vt loquuntur Consuetudines feudorum libro 1. tit. 1. iidem quoque vassi dominici nominantur lib. 5 c. ca. 136. pro quo corruptè in synodo Ticinensi legitur vassi domestici. Sub Valuassoribus siue vassis domesticis, plebs continetur: oportet itaque vt Casatos, vassos Ecclesiæ intelligamus, non eos quidem, qui maiores seu Valuassores dicuntur, sed plebeios quos nutu suo regebant Maiores Valuassores. Et sane hominum quos Ecclesia ad sui præsidium habebat tres comperio ordines, Capitaneos milites & Casatos. Capitanei dicuntur qui feudum titulatum ab Ecclesia accipiunt, vt ei subseruiant. Milites qui sub Capitaneis militant, tandemque Casati qui militibus subseruientes partem

Dissentiunt authores de conditione Casatorum

Tres Ingenuorum ordines.

Consuetudines feudorũ lib. 1. tit. 1. lib. 5. c. 1 6.

Homines Ecclesiæ quomodo diuiduntur

feudi sibi translatam, & transcriptam possidebant.

Vt autem Capitanei, Valuassores & plebeii, qui sub Valuassoribus erant, tenebantur Regi præsto esse perfectionem quamlibet adornanti, aut bellicam expeditionem meditanti. Ita quoque Capitanei milites & Casati Ecclesiarum, pro earumdẽ salute, & rebus militabant, & ab Episcopis si quando opus esset cõuocabantur, vt vel Reip. vel Religioni partes suas & officia impenderent. Vnde Yuo Carnotensis Episcopus, vocatus ad Placitum Regis & iussus vocare milites & Casatos Ecclesiæ, vt Regi præsto essent, excusationem profert, eos nimirum aut abesse, aut excommunicatos esse atque incongruum videri homines communione pulsos, nondumque purgatos ad militiam adigere. *Præterea*, inquit, *Casati Ecclesiæ & reliqui milites pæne omnes vel absunt, vel pace violata excommunicati sunt, quos sine satisfactione reconciliare non valeo, & excommunicatos in hostem mittere non debeo.*

Yuo Carnotensis epist. 28.

Vera ergo & Germana Vassallorum Casatorum functio munusque fuit, quò res Imperii vocarent eò dominos sequi ac Reipub. & Ecclesiæ deseruire. Quamobrem Capitularium lib. 3. cap. 63. iubetur ne Vassi Dominici qui in Comitatu & Aula Regis agebant, Casatos suos secum retinerent, sed sinerent eos ire & progredi in hostem, vna cum Comitibus cui suberant. *De Vassis Dominicis qui adhuc intra Casam seruiunt, & tamen Beneficia habere noscuntur statutũ est, vt quicũque ex eis cum Domino Impera-*

Capit. lib. 3. cap. 63.

tore domi remanserit, Vasallos suos Casatos secum non retineat, sed cum Comite, cuius pagenses sunt, ire permittat.

Itaque non est difficile augurari quomodo Ecclesia vasallos casatos acquireret, aut faceret sibi. Acquirebat enim, vel donatione maiorũ valuassorum, vel quando ipsamet Ecclesia tradebat in beneficium partem aliquam prædij, eo nomine, vt beneficiarius operam militarem, & subsidium Ecclesiæ impertiretur, ac eius bona strenue deffenderet.

Alterum Casatorum genus eorum est, qui Casalibus, seu domesticis obsequiis famulabantur. Casas enim antiqui familiam domumve appellarunt. Eos vero non vasallos Casatos, sed seruos Casatos antiquitas vocauit, quorũ conditio longe infra sortem vassorum Casatorum fuit. Nam vassi casati ingenui fuerunt, ac seruos proprios habuere, qui ad eorum nutum poterant manumitti, vt constat ex inscriptione veteri inserta templo sanctæ Crucis quá refert Iuretus ad Epist. 28. Yuonis Carnotensis. Ex BENEFICIO S. † PER IOANNEM EPISCOPVM, ET PER ALBERTVM S. † CASATVM FACTVS EST LIBER LAMBERTVS TESTE HAC SANCTA ECCLESIA. Deinde vasalli casati non erant proprie serui, sed iis tantum conditionibus tenebãtur, quibus feudatarij hodie obstringuntur circa Dominum feudi, vt nempe præsto essent profecturis in bellum, Reip. caussâ: nec enim soli milites, seu nobiles olim erant hisce ob-

sequiis militaribus obnoxij, sed etiam plebeij & ignobiles, quicumque agris, aut aliis seruitutibus non addicerentur.

Quandocumque ergo de seruis Casatis specialis fit mentio, tum certe non Valallorum, sed aliorum longe inferioris, ac deterioris notæ hominum conditionem intellige. Casali autem serui enim illi, vt ait Cuiacius (qui male confundit vasfallos casatos cum seruis casatis) domi focique ministrant, aut rem familiarem accurant, vel ruri, vel in vrbe. Quapropter in Dominorum erant potestate, & in alienam manum poterant pro arbitrio transferri. Vnde in donationibus antiquis non infrequenter legimus tradi Ecclesiæ in Dominum Casatos. In Centuria Cartarum Carta tertiâ *Cotauuinna Ancilla Dei, tradit Monasterio sancti Gallonis Casatos, tres cum infantibus suis nominatim expressis*: In eadem Centuria, Carta trigesimanona quædam nomine Beata filia Rachiberti, tradit Ecclesię sanctæ Mariæ Casatos duos. Ex quibus donationum instrumentis argumentum peto, quo liquet vasallos casatos à seruis casatis distingui. Nam vasalli casati erant in potestate valuassorum & ab illis solummodo regi, tradi, donarive poterant, cum consensu Regis, & Marchionum ac Capitaneorum. At fœminæ non poterant sustinere personam valuassoris, nec feudis succedere, nisi speciatim ita conuentum esset, in datione feudi, sic habetur lib. primo feudorum, cap. 8. *filia non succedit in feudo, nisi inuestitura fuerit facta in*

Cui ad tit. 2. de Feud. om. 4. p. 485.

Centuri Cartarum Cartâ tertiâ.

Cart. 39.

Lib. 1. Feud. cap 8.

patre, vt filij & filiæ succedant in feudum (tunc enim succedit filia filijs non extantibus) vel nisi inuestitæ fuerint de hoc feudo paterno. Ergo cum in prædictis donationibus, fiat mentio Casatorum, qui arbitrio fœminarum tradebantur Ecclesijs, signum est istos Casatos non fuisse feudatarios, nec homines feudi.

Quibus argumentis nil esset addendum nisi liuido constare posset, etiam parum scientibus, Casatorum seruorum conditionem longe esse Casatis vasallis antiquiorem. Nam feuda, & vasalli posterioribus sæculis inceperunt. At Casati serui etiam florente adhuc Romanorum Imperio nomen suum habuerunt. Hinc Theodosij Codex, vbi imperat recenseri proscriptorum bona, mentionem facit Casariorum, sic enim habent Augustissimi Cæsares, Valentinianus, Valens & Gratianus, l. *Si qui* C. De *bonis proscriptorum. Plena descriptio, comprehendat quod spatium, quod sit ruris ingenium, quid aut cultum sit, aut colatur, &c. Quis ędificijs, ac possessionibus ornatus, quotve mancipia in prædiis occupatis, vel Vrbana, vel Rustica, vel quarum artium generibus imbuta teneantur, quot sint Casarij, vel Coloni.* L. Si qui Cod. de Pœnis præscriptorũ, apud Theodosiũ.

Ac ne quis addubitet quibus rebus operam darent Casati, seu Vrbani, seu Rustici, annotandum ex anteriori Romanæ Reipublicæ disciplinâ seruos Casatos, seu domesticos varias exercuisse prouincias. Quidam enim erant artifices, quidam Mediastini. Artifices qui certam artem callebant.

Digitized by Google

Mediastini qui arte carebant, sed domesticis curis, ac functionibus erant dedicati. Quorum alij erant Atrieſes qui atrium purgabant: alij Focarij qui focum, & lares curabant, de quibus Vlpianus, l. *Ait prætor §. Caupones, stabularij*, & l. *item apud labeonem. §. prætor ait*, ff. *de iniuriis.* Præterea in agris, ac prædiis ſcouorum Casatorum opera vtebantur, ad reditus agrorum à Colonis exigendos, ad eorum rationes recensendat, ad vendendos fructus, & pecuniæ rationem in tabulas referendam. De quibus Vlpianus idem l. *ait Prætor, §. is quoque, ff. de seruo corrupto.* Vbi deterrimum corruptelæ genus esse dicitur, si quis seruo suaserit rationes Dominicas intercidere?

l. An præter §. Caupones ff. nautæ, Caupones, &c.

l. Item apud labeonem §. prætor ait ff. de iniuriis.

Præter seruos, Colonos, Casatos, tam seruos, quam vasallos, habuit quoque Ecclesia libertos suos. Et vt certe licet liberti proprie dicantur, qui iusta seruitute à Domino manumissi sunt Attamẽ reperio libertos Ecclesiarũ, non solum fuisse queis Ecclesiarum Prelati libertatis beneficium indulsissent, verum etiam quos laïci, & alij quilibet inter manumissionis solemnia, certis obsequiis, ac operis Ecclesiæ reddendis alligassent. Vnde plures habuit olim libertos Ecclesia, quos numquam seruos habuerat. Quamobrem fieri, & acquiri libertos Ecclesiæ dicimus duobus modis, aut per manumissionem Prælatorum, seu Episcoporum, seu Presbyterorum: aut per manumissionem laïcorum. Prælati manumittentes seruos Ecclesiæ certas operas, & functiones manumissis imperabant

bant annuatim pendendas, quarum ratione Ecclesia patrocinium liberrorum reseruasse sibi dicebatur. At vero quando laïci seruos suos in fauorem Ecclesiarum manumittebant, ipsorum erat arbitrium præscribere suis libertis, quid clientelæ nomine vellent Ecclesiis per singulos annos exhiberi. Atque vt illius manumissionis laïcæ in fauorem Ecclesiarum notitia clarior habeatur, subiicio Cartam & instrumentum eiusce modi libertatis.

NANDORIMVS MONACHVS.

Notum sit omnibus, tam præsentibus, quam superuenturis, quod ego Vuolaliub, cum manu aduocati mei Engilboldi duo mancipia mea, id est Thiotonem, & Vuadindam, in Dei amore libertate donaui. Eâ tamen ratione, vt annis singulis ad Cellam Ratpoti, quæ ad Monasterium sancti Galli pertinet, in censu IIII. denarios soluant. Actum in loco qui dicitur Rota *publice, præsentibus his, quorum hic signa continentur, &c.*

Annotandum vero totam istá classem hominumque seriem ex Colonis, mancipiis, seruis Casatis & libertis, conflatam appellari familiam Ecclesiæ. Nec enim iis assentiri possum, qui vbi familiam Ecclesiæ legunt, ibi de solis seruis agi suspicantur: quippe familia Ecclesiæ, quosuis homines continet, siue in potestate, siue in patrocinio Ecclesiæ versabantur. Cui meæ opinioni fulciédę vnicum adhibeo argumentũ; Serui ex prisca Quid familia Ecclesię.

Digitized by Google

Francorum lege testes esse non poterant, præsertim vbi donationum instrumenta oportebat confici, vt docuimus agendo de donationibus. Et cófirmari potest ex lege 4. Visigothorum, l. 4. tit. lib. 2. At in donationibus comperio non paucos ex familia Ecclesiæ subscripsisse. Ita in diplomate, Balduini cognomento Hierosolymitani, qui in bellum sacrum profecturus, vendit Oberto Episcopo Leodiensi Tuuinum Castrum, tres subsi-

Anno 1096. gnatorum ordines reperiuntur Primo Clerici, secundo Monasteriorum decani, qui Clericos, semper sequuti sunt. Tertio laïci nobiles. Quarto personæ de familia ecclesiæ, quorum nomina recensentur, & notantur hoc modo.

DE FAMILIA ECCLESIÆ.

Lambertus de Hoyo. Theodoricus de Ponte, Uuarnerus Pincerna, & frater eius Obertus, Lambertus Dapifer. Adelardus & Fredericus Frater eius Albertus de Offri Bono de Bauersai, Joannes Dapifer, cum alijs quampluribus viris egregiis & honestis viris.

Extat autem exemplar donationis eius apud Aubertum Miræum, Donationum, Belgicarum, c. 13. Apud quem etiam cap. trigesimo quinto, legitur Donatio Comitis Namurcensis, qui Andemiam villam tradit Ecclesiæ Andenuensi Moniaium siue Virginum: in qua donatione plures subscripserunt de familia Ecclesiæ sancti Lamberti. Cum ergo, vt ex præfatis liquet, ad subscribendum serui nón admitterentur, sequi-

Aubertus Myræus, donat Belg. cap. 35.

tur Ecclesiæ familiam ex aliis, quàm seruis & mancipiis fuisse constitutam.

En ergo idea familiæ Ecclesiasticæ serui, mancipia Coloni, Casati, Vasalli, defensores, Oeconomi, liberti, seu ex propriâ familiâ manumissi, seu quos laici in fauoré Ecclesiarum manumisissent, quibus satis expositis ad vlteriora pergosi modo Lectores monuero hanc personarum distinctionem non modo apud Latinos viguisse, qui in excogitandis tam versicoloribus seruitutum pigmentis ingeniosi fuerunt, verum etiam in medio mari, apud insulas Græcorum. Siquidem in insula Cypro Ioannes Leunclauius, ante Turcarum aduentum homines in quique classes diuisos fuisse testatur, quorum alij Pariki, alij Leftherij, alij perpyrarij. Libet eiusdem Leunclauii dictionem adtexere *Incola* (inquit) *Cypri regni priusquam Barbarorũ subirent iugum, in quinque diuersa hominum genera distribuebantur, horum alios omissis, quod huic instituto nostro quadrat, exponam. Infimi generis appellantur pariKi, Homines conditionis seruilis vsque adeo Domini obligati proponendum, vt vitæ necisque potestatem in eos haberent. Nomen ipsum PariKi Græcæ originis est. Nam παροίκοι Græcis dicuntur Coloni; sicut & Iustiniano Augusto παροικικὸν νόμιμον ius Colonarium est. Secundum hos proximi vulgo vocabantur Lefteri, qui quidem & ipsi PariKorum, seu Colonorum erant è numero, sed qui vel interueniente pecuniâ, vel gratiâ Dominorum, vel alia quadam viâ libertatem impetrauerant diuersa tamen ratione. Quippe nonnulli absolute*

Hominum quæ classe apud Turca

Ioan Leunc. in Pandecta. p. 117.

liberi efficiebantur. Quum alij duntaxat personali libertate potiti, nihilominus rerum suarum nomine Dominis essent obligati, puta quotannis vt soluerent, principibus, aut nobilibus viris 15. vel 6. plus aut minus Perpyra (quod genus monetæ est apud Turcas) cuius in perpyris numerandæ pecuniæ caussa Perpyrarij dicebantur, &c.

CAPVT VI.

De operis, & disciplina seruorum Ecclesiæ.

IN seruis ecclesiæ tria hic nobis spectanda sunt, primo functiones & operæ, quas Ecclesiæ præstabant. Secundo disciplina qua continebantur, tertio gradus, & dignitas, si modo speciem quandam dignitatis vilissima capita obtinent, qui tamdiu honorum omnium aditu pelluntur, quandiu manent seruitutis nexibus illigati.

Quod ad primum attinet. Tria functionum, & operarum genera præstabant serui Ecclesiarum. Aut enim Religiosis erant obsequiis addicti, aut prophanis, aut nec prophanis, nec sacris operibus vacabant, sed tributo tantum censuque annuo Ecclesiæ se subiectos fatebantur.

Religiosas operas præstabant Ecclesiæ, quos voluntas defunctorum legauerat ædibus sacris, vel ad custodiã, vel ad labes & ruinas senescentiũ, Basilicarũ instaurandas, vel ad sepulchra obser-

Digitized by Google

uanda, purganda, defendenda, aut ad pompam exequiarum illustrandam, lessumque singulis annis instituendum, quoties memoria defunctorum solemnibus sacris celebraretur. De hoc autem seruorum genere mentionem expressum facit Canon nonus, Concilij Parisiensis tertij, cuius titulus est. *De famulatu & ministerio seruorum degenerum.* Vult enim Concilium Parisiense vt quos seruos morientium dominorum voluntas sepulchro seruando, ac custodiendo addixit, illos nefas sit ab his functionibus auelli, quinetiam si pietas testatoris seruos suos ad Ecclesiarum defensionem manciparit, illi quoque Ecclesias strenue tueantur, & occursum impendant. *De degeneribus seruis qui sepulchris defunctorum, pro qualitate ipsius ministerii deputantur hoc placuit obseruari, vt si qua ab auctoribus fuerunt conditione dimissi, siue hæredibus* (id est siue hæredes eos diuiserint, & deputauerint sepulchris parentum) *siue Ecclesiis fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnibus debeat obseruari. Quod si Ecclesia eos de fisci functionibus in omni parte deffenderit, Ecclesiæ, tam illi, quam posteri eorum defensione in omnibus potiantur, & occursum impendant.* Quo in Canone duo obscura sunt primum quid sint degeneres serui, secundum quid sit occursum impendere. Concil. Parisiense 3. Can. 9.

Degeneres seruos meo quidem iudicio intelligendos esse dixerim, quos antiqui mediastinos vocarunt. Olim enim duo seruorũ erant genera, quidam Ergastæ siue artifices qui certam artem Quinam sunt degeneres serui.

callerent, scriptoriam, lanificiam, medicam, &c. Alij mediastini qui sine arte essent. Et hos certe degeneres merito appellandos esse censeo, quòd ceteris minus vtiles h berentur. Ipsos autem potius quam alios sepulchris deputabant, seu morientes, seu eorum hæredes: quia ex ipsorum operis tenue ad modum lucrum & commodum essent percepturi. Occursum autem impendere, fortasse quispiam suspicabitur nil esse aliud, quàm funebri pompæ anteire. Ita enim Romani solebant exequias suas ambitioso comitatu seruorum libertate donatorum illustrare, qui pileum libertatis indicem eo die, quo patroni corpus efferebatur, gestabant. Hanc pompam describit Propertius, vbi luxuriosi cuiusdam ingluuie extincti funus describit.

Persius Satyra 3.

In portam rigidos calces extendit, at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.

Huic Iustinianus edixit ne qui pileati cadauera deduxissent, aut stantes ante lectulum ventilassent, illi ad seruitutem possent retrahi. Eo enim tempore vanâ liberalitatis specie iactabant, se complures, & pileum seruis die funeris imponebant, vt ex Domini munificentia libertatem accepisse viderentur, l. *cum d ditiy*, §. *sed & qui* Domini, ff. *de Latinâ libertate tollend*.

l. Cum dedititij §. sed & qui Domini, ff. de Latina libertate tollenda.

Occursum ergo impendere si ad defunctos referatur, nihil est aliud quam funus nobilitare oc-

cursu suo, & cadaueri occurrere, quando in sepulchrum defertur. Verum si Canonis sensum attentius inspicio: illud *Occursum impendere*, non tam ad defunctos pertinet, quam ad Ecclesiam, cui iubentur seruire. Nam quia eos seruos Ecclesia ab oneribus fisci tuetur, illi vicissim Ecclesiam deffendant, necesse est, & *occursum* hoc est *auxilium* impendant.

Interim vero legatos ad sepulchra seruos, ne cui dubium esse possit, Diui Remigii testamento illustratur, qui ad reficienda tecta eius ædiculæ, in qua corpus eius condendum erat, legat nominatim Celtum seruum, & Villam Huldriciacam. *Ex quibus Celtus quem per manum meam Celsâ sobrina mea tibi tradidit* (Ecclesiam Remensem alloquitur) *& Huldriciaca Villa, quam Huldricus Comes ei loco vbi ossa mea Sancti Fratres & Coepiscopi Dioecesews tuæ ponenda elegerint, in tegumentis deseruiant, &c.* Testamentum D. Remigij apud Flodoarcu.

Mirum vero videbitur alicui veteres de sepulchrorum suorum tutela cogitasse. Vt quid fortasse, diceret quispiam, tantum honorem suis cineribus optabant. Nunquid Ecclesiæ & Cœmeteria satis tuta loci Religione & humanitatis sensu, quæ calamitatem mortuorum sacram fecit & inimicitias vetat vltra vitæ terminos extendi. At cessabit facile tota hæc dubitatio, si sepulchra mortuorum plerumq; non in Ecclesiis, nec iuxta Ecclesias, sed in Campis villisque extructa recordemur. Itaque criptis, aut ædiculis, quibus cadauera condebantur custodes addebant aduersus hominum, aut Quamobrê antiqui suis sepulchris præspicerêt,

Prædones quidam exspoliabant defunctos quos vestitos & amictos sepeliri erat cõsuetudo.

Concil. Braccarense 2. can. 68.

ferarum iniurias: Monimentorum vero in Campis iacentium mentionem facit Canon. 68. Concil. Braccarensis 2. *Non oportet Clericos & præsumptores super monimenta in Campo ministeria portare, aut distribuere sacramenta, sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, vbi martyrum reliquiæ sunt positæ, ibi pro defunctis oblationem offerre.*

Cum itaque Nobiliores, sibi sepulchra extruerent loco singulari, & proprio quid mirum si ad huius loci custodiam seruos deputarent.

Eam vero seruorum Ecclesiis seu monimentis mortuorum deputandorum consuetudinem, manasse crediderim ex antiquo Romanorum iure. quippe ex rescripto Papiani libro 1. responsorum, *Seruos ad templi custodiam, quod ædificari Titio voluit destinatos, neque manumissos, hæredis esse constitit*, l. *seruos*, ff. *de liberali causa*. Ex qua lege fiebat antiquitus, vt nonnulli hæredum seruos religiosis muneribus addictos repetere vellent, & propriis lucris ac commodo vindicare. quamobrem statuerunt Concilia ne fraus illa fieret voluntati testatorum: sed serui in ea conditione iisue locis permanerent, quibus essent auctoritate morientium dominorum deputati. Ita Concilium Aurelianense 4. Canone 32. *De genere Seruili id decreuimus obseruandum, vt descendens inde posteritas, vbicumque quamuis post longa spatia temporum repeiatur in loco cui auctores eius constat fuisse deputatos, reuocata studio Sacerdotis, in ea, quæ constituta est à defunctis conditione permaneat, cui præcepto, si quis sæcularium humana*

l. seruos ff. de liberali causa.

Concil. Aurel. 4. can. 32

mana

manæ prauitatis impulsu crediderit obuiandum, quousque se corrigat, ab Ecclesia suspendatur.

Post religiosas operas, quas serui Ecclesiæ impendebãt prophanas adoriamur. Prophanæ operæ triplicis sunt generis, rusticæ siue colonariæ domesticæ, & militares. De Colonariis Lex Alemanica tit. 22 *Qualiter Serui Ecclesiæ tributa soluere debeant*, onera atque functiones Seruorum, Ecclesiasticorum ita præfinit. *Serui Ecclesiæ tributa sua legitime reddant quindecim siclas de Ceruisa, porcum valentem tremisse vno, panẽ modia duo, pullos quinque, oua viginti. Ancillæ autẽ opera imposita sine neglecto faciant, serui dimidium sibi & dimidium in Dominico Aratiuum reddant, & si super hæc est, sicut serui Ecclesiastici ita faciant, tres dies sibi & tres in Dominico.*

De operis seruorum Ecclesiæ lex Alemanica tit. 22.

Quæ vt facilius intelligi possint animaduertendum non ita duram & austeram fuisse antiquorum seruitutem, quin aliquando rebus suis cõsulere & peculium cõparare possent. Itaque sic totum vitæ tempus partiebantur, partim agros dominorum colebant, partim vero suos: vel si proprios non haberent peculioque carerent, pacta mercede aliorum agris colendis operam alocabant.

Ex iis vero lucris & commodis, quæ serui capiebant, seu ex agri in peculium dati cultura, seu ex locatione operarum, tributum Domini dabant quod tributi genus exprimitur in parte primâ legis supradictæ. Præter quod tributum etiam te-

Quod discrimen inter seruos & Colonos.

nebantur per tres dies singulis hebdomadibus operas suas dominorum vtilitatibus impendere. Ceterum istud fuit inter seruos, & colonos discrimen quod Colonorum operæ dierum numero non præfiniuntur, sed quantitate & portione agri, ita vt scirent Coloni quantum terræ in Dominorum commodum, & singulare emolumentum, arare tenerentur, quo penso reddito nil aliud Dominis operæ debebant, nisi quod ex fundis & prædiis ad colẽdum acceptis, decimam fructuum & obuentionum omnium rusticarum Ecclesiæ persoluebant. Præclare vero definiunt leges Baiuuariorum operas, & tributa Colonorum, ac seruorum Ecclesiæ, tit. 1. cap. 4. quẽ totum hîc exscribo ne dubium quidquam lectoris animo possit residere.

DE COLONIS VEL SERVIS ECCLESIÆ, QVALITER SERVIANT.

I. *De colonis vel seruis Ecclesiæ qualiter seruiant, vel qualia tributa reddant, hoc est, agrarium secundum æstimationem iudicis, prouideat hoc iudex, secundum quod habet donet. De triginta modiis tres donet, & pascuarium desoluat secundum vsum Prouinciæ.*

II. *Andecingas legitimas, hoc est, perticam decem pedes habentem quatuor perticas in transuerso, XL. in longo, arare, seminare, claudere, colligere, & tradere. A tremisse vnusquisque accola ad duo modia sationis excolligere, seminare, colligere, & recondere debeat. Et vineas plantãdo*

claudere, fodere, propaginare, præcidere, vindemiare.
III. *Reddant decimum fascem de lino. De apibus decimum vas. Pullos quatuor, Oua quindecim reddant.*
IV. *Parafredos donent, aut ipsi vadant, vbi eis iniunctum fuerit. Augarias cum carro faciant vsque L. leugas, amplius non minentur.*
V. *Ad Casas Dominicas stabulare fœnile, granicam, vel tuninum recuperandum, pedituras rationabiles accipiant: & quando necesse fuerit, omnino componant. Calcifurnium vbi prope fuerit, ligna aut petras L. homines faciant, vbi longe fuerit, C. homines debeant exire: & ad ciuitatem, vel ad villam, vbi necesse fuerit, ipsam calcem trahant.*
VI. *Seruus autem Ecclesiæ secundum possessionem suam reddat tributa. Opera vero tres dies in hebdomada in Dominico operet: tres verò sibi faciat. Si vero Dominus eius dederit ei boues, aut alias res quas habet, tantum seruiat, quantum ei per possibilitatem impositum fuerit, tamen iniustè neminem opprimat.*

Quibus in legibus ne quam facessat nauseam inculta latinitas, & nominum barbarorum insolentia, paucis moneo Andecingas nil esse aliud quam certum aratoriæ operæ pensum quod villani, seu Coloni Dominis persoluunt. Galli vocant *Coruees*. At vero parafredos dare, est equos agminales subministrare, maiores quidem & generosiores equis ordinariis & cursoriis, vt latius explicat Cuiacius ad tit. de Cursu publico, Parafredos autem antiquioris æui scriptores parauercdos appellant. Quamobrem Coloni Ecclesiasti-

Cuiacius ad tit. de Cur. su publico.

ci tenentur primo ad arandum certam agri mensuram ac portionem in commodum & lucrum Ecclesiæ. Ad prata formanda, colenda, purganda, fœnum secandum, tractandum, condendum: ad vites claudendas, colendas, putandas, inserendas, pangendas, &c. Secundo tenentur ad decimam fructuum è prædiis sibi in Colonariam datis Ecclesiæ præstandam. Tertio tenentur ad parafredos donandos, si quando equitum præsidiariorum operâ Ecclesiæ indigeant, ad angarias faciendas hoc est currum ministrandum quo res Ecclesiæ deuehi, & asportari possint intra quinquaginta leucas. quarto tenentur ad deducendum in domos & casas Ecclesiæ pascua quælibet alendis armentis. Calcem, ligna, saxa & arenam si reficiendis ædibus opus sit. Serui vero sic Hebdomadarias operas partiuntur, vt tres dies sibi, tres vero Domino laborent, Postquam vero in Ecclesiæ bona & facultates grassari ceperunt, aut impij, aut auaritiæ morbo dementati nobiles non prædia tantum & fundum Ecclesiæ, sed etiam seruos fœdo peculatu rapuerunt.

Quamobrem cum seruos Ecclesiæ, optimates non pauci vindicassent, & intra suæ ditionis fines continui retinerent operis impeditos, ne omnino seruorum suorum studiis & famulatu Ecclesia careret, Carolus Caluus, sub quo res Ecclesiæ labi ceperunt, edixit vt serui omnes Ecclesiastici quocunque in loco, ac potestate versarentur viginti dies in Ecclesiæ commodum suas operas

impenderent. *Serui, inquit, Ecclesiarum quibuscumque potestatibus subditi, vnde melior consuetudo, vel deuotior commendatio, ex tempore & iussione Domini Ludouici, vel certe Domini Karoli, seu etiam Pipini non existit, saltem viginti diebus in anno, eidem Ecclesiæ ad reficiendas ipsius ruinas seruire sinantur, vbi autem & amplior commẽdatio, & melior consuetudo inde habetur, pro hac nostræ necessitudinis consideratione non decidat.* Capitula Caroli Calui,

De domesticis seruorum operis nil illustre, aut clarum occurrit: quippe ipsorum ministeria cibis coquendis, parandis, & domesticæ rei componendæ impendebantur, hortos, vestes, cubicula curabāt. Nec enim putauerim monachos ad viles hasce operas adhibuisse confratres suos & sodales, ante extinctam seruitutem Chronicon Constantiense in vita sancti Gebhardi Episcopi capite decimo nono, post extructum Monasterium refert Gebhardum seruos suos ad ministeria Monachorum deputasse. *Post hæc conuocatis seruis suis, eligit ex eis optimos quosque & constituit ex eis cocos, pistores, caupones, fullones, sutores & hortulanos, carpentarios, & singularum artium magistros, & constituit eis, vt eo die quo fratribus deseruirent de cibo & pane fratrum cibarentur, quia dignus est operarius cibo suo.* Chronicon Constantiense, cap. 19.

Tandem inter seruos erat honestissimum genus ad militares operas designatum: quos non tam seruos, quam clientes dixerim. Illi equestri agmine collecto, si quando opus esset, Ecclesiam tuebantur, & res eius inter bellicos tumultus à prædatione deffendebant, equos etiam, cum

Digitized by Google

illis indigebant fratres, commodare tenebantur, cuius rei exemplum insigne eodem Chronico Constantiensi. *Constituit*, etiam, *alios clientes qui equitando deseruirent, scilicet vt semper parati essent ad equitandū quocumque necessitas exegisset, & ad commodandum fratribus caballos suos, quocumque poposcent.*

Chron. Constant. Ibid.

Tandem inter operas seruorum numeratur præstatio census ac tributi. Quidam enim seruos suos sub sola annui census pensione Ecclesiæ deuouebant, adeoque præter tributum, & vectigal condictum Ecclesia nil à seruis poterat repetere. Cuius rei vestigium extat in Centuria Cartarum tomo 2. Alemanicarum antiquitatum Carta 4. vbi certi Serui dicuntur pertinere ad monasteriū Sancti Galli iure proprietatis, in cuius recognitionem tenentur dare singulis annis vnam libram ceræ.

Cent. Cart. to. 2. antiq. Alemau.

Quamdiu ergo Serui viuebant, tandiu ea onera subire tenebantur, quibus voluntate testatorū & dominorum fuerant deputati. Ipsis vero morientibus Ecclesia ius habebat spoliorum, seu vt veteres Cartæ loquuntur, *Ius mortuarij*, hoc est ius occupandi hæreditatem defuncti, pulsis ab eius aditione cognatis & parentibus. Ita in præfata Carta annotatur Abbatem Sancti Galli ius habere mortuarij in eos seruos, qui quotannis libram ceræ pendebant. *Post mortem vero eorum Abbas Abbas qui pro tempore fuerit, de singulis mortuarium accipiet.* Historia Constantiensis apud Pistorium testatur Sanctum Gebhardum seruo-

suos, quos monasterio addixit ab onere mortuarij exemisse: itaut monachi è re seruorum morientium nil acciperent exuuiarum nomine, sed integram & solidam hæreditatem legitimis successoribus relinquerent. *Vt autem*, inquit, *serui bono animo ministrarent dominis huiusmodi, donario cumulauit ipsos, scilicet vt cum quis præsentium, vel ipsorum successorum, qui de progenie illorum esset, moreretur, exuuiæ de eis non sumerentur, sed hæredes relictam hæreditatem indiuisam posiderent.*

Chron Constantiense cap. 19. apud Rerū Germanicarum scriptores editos opera Pistorij.

CAPVT VII.

De disciplina & gradu seruorum Ecclesiæ. Quæ caussa fuit cur honestius educarentur serui Ecclesiæ. Ex seruis clerici ordinati. Seueritas Clericorum in seruos co[illegible]ibita. Maleficia & sortilegia solius fori Ecclesiastici. Serui Ecclesiæ eiusdem ordinis cum seruis Regiis. Quid sit iurare cum Sacramentalibus. Serui Ecclesiastici ab oneribus fisci immunes, &c.

EX quo D. Paulus monuit Episcopos creari domui suæ bene præpositos, vt è composita familia quiuis augurari posset, quem ordinem & splnedorẽ Ecclesiæ rebus essent allaturi: ex eo nemini dubium esse potest, Ecclesiam omni ætate in instituendis, ac formandis seruorũ suorũ ingeniis sollicitudinẽ non mediocrem adhibuisse. Quippe Ecclesiæ summum decus fuit, vt etiam ignobiles

animi inter operarum æstus atque ærumnas, virtutem discerent, & in seruili corpore mentem gestarent heroïcis artibus ac studiis eruditam. Augebat vero curam Ecclesiæ in formādis seruorum animis, expectatio fortunæ nobilioris. Educabantur quippe serui Ecclesiæ ad spem clericalis ordinis, cui, si mores studiaque satis castigata fauerent, solebant Episcoporum beneficētia inseri. Concilium Toletanum quartum Can. 74. *De familiis Ecclesiæ constituere Presbyteros, & Diaconos per parochias liceat, quos tamen vitæ rectitudo & probitas morum commendat, ea tamen ratione vt antea manumissi libertatem status sui recipiant & denuo ad Ecclesiasticos honores succedant. Irreligiosum est enim obligatos existere seruituti qui sacri ordinis suscipiunt dignitatem. Quidquid autem talibus, aut per libertatem concessum, aut successione extiterit debitum, aut à quolibet quoquomodo collatum, non licebit eis quippiam inde in extraneas personas transmittere, sed omnia ad ius Ecclesiæ à qua manumissi sunt oportet post eorum obitum pertinere.* In Concilio Emeritensi can. 18. iubetur vt presbyteri de Ecclesiæ suæ familia clericos sibi faciant in Concilio Toletano nono can. vndecimo vt Clerici fiant ex familia Ecclesiæ qui si virtutum studio, atque exercitatione floreant, ad maiores ordines prouehantur. *Qui ex familiis Ecclesiæ seruituri deuocantur in Clerum, ab Episcopis suis necesse est libertatis percipiant donum: & si honestæ vitæ claruerint meritis, tunc demum maioribus fungantur officiis, quos vero*

Concilium Toletan. 4 can. 74.

Concilium Emeritense can. 18.

Concil. Tolet. 9. Can. 11.

vero flagitij sordidauerit incorrigibilis noxa, pe vetua seruitus conditionis, releget in catenam. Cum ergo virtutum, & vitæ bene compositæ præmium Clericalem dignitatem vnà cum libertate sibi propositam cernerent, quis dubitat seruos Ecclesiæ olim egregiis certasse facinoribus, presbyterosque, ac Episcopos quibus subdebantur, non tam formidasse, vt heros truces quàm vt patres beneuolos, ac institutores coluisse.

Inuenio tamen rixas, & odia seruorum aduersus Ecclesiarum pastores, quas vt cōpescerent, sæpe seruis contumacibus membra resecabāt. Hanc iracundiæ & indignationis speciem, vt indignam maiestate Sacerdotij reprimit Synodus Emeritensis Canone 15. *Placuit huic sancto Concilio, vt omnis potestas Episcopalis modum suæ ponat iræ, nec pro quolibet excessu cuilibet ex familia Ecclesiæ, aliquod corporis membrorum præsumat extirpare aut auferre. Quod si talis eius fuerit culpa, aduocato iudice ciuitatis, ad examen eius deducatur, quod factum fuisse asseritur, &c. Similiter, & quia comperimus aliquos Presbyteros ægritudine accedente Ecclesiæ suæ familiæ crimen imponere, dicentes ex eahomines aliquos maleficium sibi fecisse eosque sua potestate torquere, & per multam impietatem detrimentare, & hoc emendari placuit per rectitudinem huius sententiæ. Instituentes igitur decernimus, vt si Presbyter talia pati se dixerit, ad aures hoc sui perducat Episcopi. Ipse autem datis bonis hominibus ex latere suo, iudicem hoc iubeat quærere, & si sceleris huius causa fuerit inuenta, ad cognitionem Episcopi hoc reducat, & processa ex eius*

Concilium Emeritensē; Can. 15.

Digitized by Google

ore sententia ita malum extirpatum maneat, &c. Vbi obiter annotandum aliter iniurias, & crimina ordinaria seruorum Ecclesiæ vindicari; aliter vero maleficia, seu sortilegia, vt vulgo dicunt. quippe Canon Toletanus, ordinarij criminis arbitrum facit & cognitorem, indicem ciuitatis. At maleficij caussam vult à solo Episcopo, & missis à latere Sacerdotibus tractari. Quia maleficiorum cognitio fori semper fuit Ecclesiastici, quod male feriati quidam Ecclesiæ hostes contumaciter incessunt, & coniuratis maledicentiæ arietibus, funditus euertere moliuntur.

Omnino vero in suis seruis modestiam, & æquitatem Ecclesia semper desiderauit. Neque permisit vt turbatis Reip. temporibus & bello sæuiente prædas, & captiuos abducerent. Ita Canon. 23. Concil. Aurel. 4. sub Childiberto Rege. *Seruis Ecclesiæ, vel Sacerdotum prædas, & captiuitates exercere non licet, quia iniquum est, vt quorum Domini redemptionis præstare solent suffragium, per seruorum excessum disciplina Ecclesiastica maculetur.*

Concil. Aurel. 4. Can. 23. sub Childeberto, anno 541.

Quod vero ad eorum prerogatiuas, & priuilegia pertinet. Certum est seruos Ecclesiæ eodem gradu, ac pretio quo seruos regios fuisse. Vnde qui seruum Ecclesiæ interfecisset, in triplum restituere tenebatur, sicut qui Regium seruum occiderat. Lex Alemanica, titulo octauo. *Si quis seruum Ecclesiæ occiderit in triplum compenat sicut soles seruus Regis, ita soluatur I. LXII. Solid. & si eum rapuerit contra legẽ & vendiderit extra Prouinciam tripliciter*

Legis Alemanicæ, tit. 8.

ter eum componat. Eadem ferme habentur titulo vigesimo secundo, De Receptatione serui fugitiui. *Si quis mancipium Ecclesiæ, aut seruum, aut ancillam fugitiuum susceperit, aut ipse Presbyter requirat, aut missus eius legitimus, & ille neglexerit reddere, & contra legem ant stiterit, sicut solet aliis Alemanicis componere, ita & tripliciter componat, & quidquid Ecclesiæ contra legem fecerit, omnia tripliciter componat, sicut lex habet.* Leges Ripuariorum eodem modo, vnum & idem pretium hominibus Regiis, atque Ecclesiasticis constituunt. Nam cap. 9 *Si quis Regium hominem interfecerit, censum solidis culpa iudicatur.* Et cap 10. *si quis hominem Ecclesiasticum interfecerit, centum sol. culpa iudicatur, aut cum 12. iuret.*

Legum Alemanicar. titulo 22.

Leges Ripuariæ, cap. 9. & 10.

Mitiores paulo sunt leges Baiuuariorum quibus seruus Ecclesiæ occisus iubetur solummodo induplum cōponi *Si quis seruum Ecclesiæ sine mortali culpa occiderit, tit. 1. c. 5. per præsumptionē duos similes restituat pro illo q̄ eoccidit, & si negare voluerit cum duodecim sacramentalibus iuret in altari in illa Ecclesia cuius seruum occidit.* Iurare autē *cum sacramentalibus* est ritus antiquus, quo se purgare solebant ab inflicta contumelia, interposito sacramento Ad sacramentum autem socij adhibebantur, vel plures, vel pauciores prout caussa maioris erat, vel minoris momenti. Isti vero socij qui vnâ cum reo iurabant, dicebantur *sacramentales*: itaque vbi res Ecclesiæ agebatur, plures opus erat admoueri sacramentales, quàm in aliis caussis, sic vbi de incen-

Leges Baiuuariorum.

Digitized by Google

dio ecclesiæ tractatur, si quis sese purgare voluisset oportuit adhiberi 24. Sacramentales, legis Baiuuariæ titulo sexto.

Leges Baiuuariorum tit. 6.

Præter hanc vero cum seruis Regiis similitudinem, alia quoque fuit seruorum ecclesiæ prærogatiua, ne fisci oneribus tenerentur; ne cogi possent ad angarias, & parangarias, sicut reliqui ex seruis, qui iuméta, vehicula, & operas suas conferre tenebantur in commodum fisci, aut bello imminente, aut si quando opus esset vias publicas muniri, pontes refici, annonam & arma conuehi; A quorum munerum præstatione liberos facit Ecclesiæ seruos Canon 21. Concilij Tolet. 3. mus. *Quoniam cognouimus per multas ciuitates Ecclesiarum seruos & Episcoporum, vel omnium Clericorum à Iudicibus, vel actoribus publicis diuersis angarijs fatigari, omne Concilium à pietate Domini nostri poposcit, vt tales deinceps ausus inhibeat: sed serui suprascriptorum officiorum in eorum vsibus, vel Ecclesiæ laborent. Si quis vero iudicum, aut actorum Clericum, aut seruum Clerici, vel Ecclesiæ in publicis, ac priuatis negotiis occupare voluerit, à Communione Ecclesiastica priuetur.*

Concil. Tolet. 3. Canone. 21

Digitized by Google

CAPVT VIII.

De libertis Ecclesiarum, ac primo de vario genere manumissionum apud veteres Francos, Longobardos, Alemannos. Quid sit libertus Amund. Ritus faciendi Amundium. Quid Impans & manumissus in votum Regis. Quidnam sit homo denarialis. Aldij quinam, &c.

CVriosa satis nec ingrata antiquarum manumissionum speculatio non potest auspicatius inchoari, quam si dicamus eos omnes qui in Galliâ veteri, siue Longobardiâ manumittebant, vel patrocinium, ac clientelam serui manumissi retinuisse, adeoque libertatem non concessisse nisi sub conditione operarum, quas liberti certis temporibus exoluere tenebantur: vel certe seruos suos omnino potestate herili exautoraſſe, plenamque illis sui auctoritatem tradidisse. Qui serui sine retentione operarum, & residuo clientelæ nexu manumittebantur. Hi maiore quadam & meliori libertate gaudebant, dicunturque in antiquis legibus *Amundij*, siue serui Amũd. Quod nomen à voce mũdium deriuatum puto: Est autem mũdium ius, dominium, & auctoritas, ita amundi qui omnino potestate, & ditione patronorum sunt exempti. Nisi malimus amundios seruos eo

cta esset manumissio: nonnumquam in votum Regis manumittebant, & qui ita manumissus esset, dicebatur Impans, ac integram libertatem assequebatur: propterea quod in votum regis, nefas esset imperfectam tantum & diminutam libertatem impertiri. Ita legis Longobardicæ titulo 35 l. 1. Rotharius Rex Longobardorum edixit. *Qui per Impans id est, in votum regis dimittitur ipsa lege viuat, sicut qui Amund factus est, & cum eo Patronus viuat tanquam cum fratre, aut cum aliis parentibus liberis.*

Legis Longobardicæ ita o 35 l. 1. libri 1.

Aliud fuit libertorum genus, quorum patrocinium retinebant sibi manumissores, & certum operarum pensum quotannis exoluendum imperabant. Hoc autem varias sortitur appellationes, pro variis cæremoniis, quibus inter manu mittendum vtebantur. Alij enim dicuntur *denariales*, alij *tabularij*, alij *Aldi*.

Denariales dicuntur liberti qui per iactum denarij manumissi sunt, hoc pacto. In manu serui manumittendi ponebatur denarius, quem Rex aut Imperator manum serui impellendo, & succutiendo excutiebat. Huius formulam integrã. Ex refert Ernestus Cãcellarius centuria cartarũ carta 6. *In nomine sãctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Hludouuicus diuinã fauẽte gratia Rex. Nouerint oẽs fideles nostri præsentes scilicet & futuri, quia nos rogatu Puruchardi dilecti Comitis nostri, quendã proprium seruum nostrũ Johan nominatum, in præsentia fidelium nostrorum per excussionem denarij de manu illius iuxta Legem Salicam in eleemosynam*

Ernestus in Cent. Cartarum carta 6.

nam nostram liberum dimisimus, & ab omni iugo seruitutis absoluimus, eius quoque absolutionem hoc scripto firmauimus, quam in omni tempore firmam, inuiolabilémque mansuram esse volumus. Præcipientes ergo iubemus, vt sicuti reliqui manumissi, qui per huiusmodi titulum absolutionis à Regibus, vel Imperatoribus noscuntur esse relaxati ingenui, ita deinceps memoratus Iohan, bene ingenuus, atque securus existat, & vt ista ingenuitatis pagina firma stabilisque consistat, annulo nostro eam consignari iussimus, Ernustus, Cancellarius, ad vicem Theotimari Archicapellani recognoui. Datum II. *Kal. Iun. Anno Incarnationis* Domini DCCCCVI. *Indict.* VIIII. *Anno Regni* Domini *Hludouuici.* VII. *Actum in Rottuuilla feliciter. Amen.*

De quo seruorum genere loquuntur leges antiquæ locis compluribus. Legis Salicæ titulo vigesimo octauo iubetur, vt qui seruum alienum sine consilio Domini ante Regem, per denarium, ingenuum dimiserit C. solidis mulctetur. l. Salicæ tit. 28.

Horum ergo seruorum, qui denariales dicti sunt, conditio fuit, vt filios quidem ac cognatos heredes habere possent: ipsi vero nec eorum liberi ante tertiam generationem, nullius cuiusquam hæreditatem adire valerent. Purgari enim seruitutis sordes, nisi post tertiam generationem posse non credebant, nec ingenuitatis iura, nisi nepotibus, quibus lónginquitas temporis labes, ac maculas auorum detersisset, competere: ita in Capitulis Caroli & Ludouici, lib. sexto capit. 208. *Homo denarialis non antea hereditare in sua agna-* Capitula Caroli & Ludouici, Capit. lib. 6. cap. 208.

animi inter operarum æstus atque ærumnas, virtutem discerent, & in seruili corpore mentem gestarent heroïcis artibus ac studiis eruditam. Augebat vero curam Ecclesiæ in formādis seruorum animis, expectatio fortunæ nobilioris. Educabantur quippe serui Ecclesiæ ad spem clericalis ordinis, cui, si mores studiaque satis castigata fauerent, solebant Episcoporum beneficētia inseri.

Concilium Toletan. 4 can. 74.

Concilium Toletanum quartum Can. 74. *De familiis Ecclesiæ constituere Presbyteros, & Diaconos per parochias liceat, quos tamen vitæ rectitudo & probitas morum commendat, ea tamen ratione vt antea manumißi libertatem status sui recipiant & denuo ad Ecclesiasticos honores succedant. Irreligiosum est enim obligatos existere seruituti qui sacri ordinis suscipiunt dignitatem. Quidquid autem talibus, aut per libertatem concessum, aut successione extiterit debitum, aut à quolibet quoquomodo collatum, non licebit eis quippiam inde in extraneas personas transmittere, sed omnia ad ius Ecclesiæ à qua manumißi sunt oportet post eorum obitum pertinere.*

Concilium Emeritense can. 18.

In Concilio Emeritensi can. 18. iubetur vt presbyteri de Ecclesiæ suæ familiä clericos sibi faciant in

Concil. Tolet. 9. Can. 11.

Concilio Toletano nono can. vndecimo vt Clerici fiant ex familia Ecclesiæ qui si virtutum studio, atque exercitatione floreant, ad maiores ordines prouehantur. *Qui ex familiis Ecclesiæ seruituri deuocantur in Clerum, ab Episcopis suis necesse est libertatis percipiant donum: & si honestæ vitæ claruerint meritis, tunc demum maioribus fungantur officijs, quos*

vero

Digitized by Google

vero flagitij sordidauerit incorrigibilis noxa, perpetua seruitus conditionis, releget in catenam. Cum ergo virtutum, & vitæ bene compositæ præmium Clericalem dignitatem vnà cum libertate sibi propositam cernerent, quis dubitat seruos Ecclesiæ olim egregiis certasse facinoribus, presbyterosque, ac Episcopos quibus subdebantur, non tam formidasse, vt heros truces quàm vt patres beneuolos, ac institutores coluisse.

Inuenio tamen rixas, & odia seruorum aduersus Ecclesiarum pastores, quas vt cópescerent, sæpe seruis contumacibus membra resecabát. Hanc iracundiæ & indignationis speciem, vt indignam maiestate Sacerdotij reprimit Synodus Emeritensis Canone 15. *Placuit huic sancto Concilio, vt omnis potestas Episcopalis modum suæ ponat iræ, nec pro quolibet excessu cuilibet ex familia Ecclesiæ, aliquod corporis membrorum præsumat extirpare aut auferre. Quod si talis eius fuerit culpa, aduocato iudice ciuitatis, ad examen eius deducatur, quod factum fuisse asseritur, &c. Similiter, & quia comperimus aliquos Presbyteros ægritudine accedente Ecclesiæ suæ familiæ crimen imponere, dicentes ex eahomines aliquos maleficium sibi fecisse eosque sua potestate torquere, & per multam impietatem detrimentare, & hoc emendari placuit per rectitudinem huius sententiæ; Instituentes igitur decernimus, vt si Presbyter talia pati se dixerit, ad aures hoc sui perducat Episcopi. Ipse autem datis bonis hominibus ex latere suo, iudicem hoc iubeat quærere, & si sceleris huius causa fuerit inuenta, ad cognitionem Episcopi hoc reducat, & processa ex eius*

Concilium Emeritens. Can. 15.

ore sententia ita malum extirpatum maneat, &c. Vbi obiter annotandum aliter iniurias, & crimina ordinaria seruorum Ecclesiæ vindicari; aliter vero maleficia, seu sortilegia, vt vulgo dicunt. quippe Canon Toletanus, ordinarij criminis arbitrum facit & cognitorem, iudicem ciuitatis. At maleficij caussam vult à solo Episcopo, & missis à latere Sacerdotibus tractari. Quia maleficiorum cognitio fori semper fuit Ecclesiastici, quod male feriati quidam Ecclesiæ hostes contumaciter incessunt, & coniuratis maledicentiæ arietibus, funditus euertere moliuntur.

Omnino vero in suis seruis modestiam, & æquitatem Ecclesia semper desiderauit. Neque permisit vt turbatis Reip. temporibus & bello sæuiente prædas, & captiuos abducerent. Ita Canon. 23. Concil. Aurel. 4. sub Childiberto Rege. *Seruis Ecclesiæ, vel Sacerdotum prædas, & captiuitates exercere non licet, quia iniquum est, vt quorum Domini redemptionis præstare solent suffragium, per seruorum excessum disciplina Ecclesiastica maculetur.*

Concil. Aurel. 4. Can. 23. sub Childeberto, anno 541.

Quod vero ad eorum prerogatiuas, & priuilegia pertinet. Certum est seruos Ecclesiæ eodem gradu, ac pretio quo seruos regios fuisse. Vnde qui seruum Ecclesiæ interfecisset, in triplum restituere tenebatur, sicut qui Regium seruum occiderat. Lex Alemanica, titulo octauo. *Si quis seruum Ecclesiæ occiderit in triplum componat sicut soles seruus Regis, ita soluatur I. LXII. Solid. & si eum rapuerit contra legē & vendiderit extra Prouinciam triplici-*

Legis Alemanicæ, tit. 8.

Digitized by Google

ter eum componat. Eadem ferme habentur titulo vigesimo secundo, De Receptatione serui fugitiui. *Si quis mancipium Ecclesiæ, aut seruum, aut ancillam fugitiuum susceperit, aut ipse Presbyter requirat, aut missus eius legitimus, & ille neglexerit reddere, & contra legem ant stiterit, sicut solet aliis Alemanicis componere, ita & tripliciter componat, & quidquid Ecclesiæ contra legem fecerit, omnia tripliciter componat, sicut lex habet.* Leges Ripuariorum eodem modo, vnum & idem pretium hominibus Regiis, atque Ecclesiasticis constituunt. Nam cap. 9 *Si quis Regium hominem interfecerit, centum solidis culpa iudicatur.* Et cap 10. *si quis hominem Ecclesiasticum interfecerit, centum sol. culpa iudicatur, aut cum 12. iuret.*

Legum Alemanicar. titulo 22.

Leges Ripuariæ, cap. 9. & 10.

Mitiores paulo sunt leges Baiuuariorum quibus seruus Ecclesiæ occisus iubetur solummodo induplum cõponi *Si quis seruum Ecclesiæ sine mortali culpa occiderit, tit. 1. c. 5. per præsumptionẽ duos similes restituat pro illo q ẽ occidit, & si negare voluerit cum duodecim sacramentalibus iuret in altari in illa Ecclesia cuius seruum occidit.* Iurare autẽ *cum sacramentalibus* est ritus antiquus, quo se purgare solebant ab inflicta contumelia, interposito sacramento Ad sacramentum autem socij adhibebantur, vel plures, vel pauciores prout caussa maioris erat, vel minoris momenti. Isti vero socij qui vnâ cum reo iurabant, dicebantur *sacramentales*: itaque vbi res Ecclesiæ agebatur, plures opus erat admoueri sacramentales, quàm in aliis caussis, sic vbi de incen-

Leges Baiuuariorum.

dio Ecclesiæ tractatur, si quis sese purgare voluisset oportuit adhiberi 24. Sacramentales, legis Baiuuariæ titulo sexto.

Leges Baiuuariorum tit. 6.

Præter hanc vero cum seruis Regiis similitudinem, alia quoque fuit seruorum Ecclesiæ prærogatiua, ne fisci oneribus tenerentur; ne cogi possent ad angarias, & parangarias, sicut reliqui ex seruis, qui iuměta, vehicula, & operas suas conferre tenebantur in commodum fisci, aut bello imminente, aut si quando opus esset vias publicas muniri, pontes refici, annonam & arma conuehi; A quorum munerum præstatione liberos facit Ecclesiæ seruos Canon 21. Concilij Tolet. 3. mus. *Quoniam cognouimus per multas ciuitates Ecclesiarum seruos & Episcoporum, vel omnium Clericorum à Judicibus, vel actoribus publicis diuersis angarijs fatigari, omne Concilium à pietate Domini nostri popoſcit, vt tales deinceps ausus inhibeat: sed serui suprascriptorum officiorum in eorum vsibus, vel Ecclesiæ laborent. Si quis vero iudicum, aut actorum Clericum, aut seruum Clerici, vel Ecclesiæ in publicis, ac priuatis negotiis occupare voluerit, à Communione Ecclesiastica priuetur.*

Concil. Tolet. 3. Canone. 21.

CAPVT VIII.

De libertis Ecclesiarum, ac primo de vario genere manumissionum apud veteres Francos, Longobardos, Alemannos. Quid sit libertus Amund. Ritus faciendi Amundium. Quid Impans & manumissus in votum Regis. Quidnam sit homo denarialis Aldij quinam, &c.

CVriosa satis nec ingrata antiquarum manumissionum speculatio non potest auspicatius inchoari, quam si dicamus eos omnes qui in Galliâ veteri, siue Longobardiâ manumittebant, vel patrocinium, ac clientelam serui manumissi retinuisse, adeoque libertatem non concessisse nisi sub conditione operarum, quas liberti certis temporibus exoluere tenebantur: vel certe seruos suos omnino potestate herili exautorasse, plenamque illis sui auctoritatem tradidisse. Qui serui sine retentione operarum, & residuo clientelæ nexu manumittebantur. Hi maiore quadam & meliori libertate gaudebant, dicunturque in antiquis legibus *Amundij*, siue serui Amũd. Quod nomen à voce mũdium deriuatum puto: Est autem mũdium ius, dominium, & auctoritas, ita amundi qui omnino potestate, & ditione patronorum sunt exempti. Nisi malimus amundios seruos eo

nomine appellatos, quod mundium nullum soluere tenerentur. Nam qui sub conditione manumittebant solebant seruis à se manumissis, in clientelæ perenne monimentum, certum censum nummarium quotannis persoluendum imponere, qui census mūdium dicebatur, propterea quod esset indiciū alicuius potestatis quam manumissores in libertos retinebant. Ita legis Longobardicæ lib. 2. tit. 35. l. 4. *Si quis seruum suum, aut ancillam liberum, vel liberam dimiserit, & posuerit ei mundium, aut vnum solidum, aut II. aut III. aut VI. tantum habeat mundium, quantum in Carta ei affixit, vt qui postea ex ipsa muliere nati fuerint, siue masculi, siue fœminæ non habeant amplius mundium nisi quantum, & mater earum.*

Leges Lōgobardicæ libro 2. tit. 35. l. 4.

Forma autem manumittendi amundium singularis est, fiebatque PER QVARTAM MANVM, vt vocant. Manumissor tradebat eum in manus liberi hominis, is vero in manum secundi alicuius, secundus in manū tertij, tertius in manum quarti à quo ducebatur in quadriuium, & ostensis quatuor viis, ac plateis iubebatur ire quâ vellet, & deinceps suo iure, & arbitrio viuere. Sic autem manumissus nullis amplius erga patronum obsequiis, aut operis tenebatur, nec illius hæreditatem si legitimis hæredibus careret licebat patrono capessere, sed eius bona, vti bona caduca hominis ingenui, vindicabantur fisco, & ærario principis. Quod totum liquet ex titulo trigesimo quinto, libri secundi legis Longobardicæ. *Qui Sulfreal &*

Legis Longobardicæ, lib. 2. tit. 35.

à se extraneum, id est Amund facere voluerit, sic debet facere. Tradat eum prius in manus alterius hominis liberi & per Garathinx ipsum confirmet, & ille secundus tradat eum in manus tertij hominis, & tertius tradat eum in quarti. ET *ipse quartus ducat eum in quadriuium, & thingat in Vuadia, & Gisiles ibi sint*: Et dicant sic de QVATVOR VIIS VBI VOLVERIS AMBVLARE LIBERAM HABEAS POTESTATEM. *Si sic factum fuerit, erit Amund, & ei manebit certa libertas, & postea nullam repetitionem patronus aduersus ipsum, aut filios eius habeat potestatem requirendi.* ET *si sine heredibus legitimis ipse, qui Amund factus est, mortuus fuerit, curtis Regis illi succedat, non patronus, aut hæres patroni.*

Qua in lege, exotica ista vocabula sic explicantur. Thingare, & Garathingare est, factam donationem confirmare, ac ratam habere *Gisiles* autem sunt testes, siue obsides in munimentum alicuius pacti, aut traditionis. Vuadia idem est quod Gardia seu custodia. Itaque qui Amund facit Garathingat in Vuadiâ, id est obsidem se, & assertorem facit libertatis seruo traditæ, ita vt quando, cumque Dominus eum in seruitutem reuocare vellet, ille cuius manu Amund factus erat, libertatem ipsius propugnare teneretur. Garathingare autem origo est verbi Gallicè *garantir*. Fuit, & alia seruorum classis, qui plenam libertatem assequebatur. Nam cum existimarent illud pietatis, ac misericordiæ genus quod seruos manumittendo, exercebant, Deo gratum esse, & acceptum, adeoque posse eius saluti, proficere, in cuius votum fa-

Digitized by Google

cta esset manumissio: nonnumquam in votum Regis manumittebant, & qui ita manumissus esset, dicebatur Impans, ac integram libertatem assequebatur: propterea quod in votum regis, nefas esset imperfectam tantum & diminutam libertatem impertiri. Ita legis Longobardicæ titulo 35 l. 1. Rotharius Rex Longobardorum edixit. *Qui per Impans id est, in votum regis dimittitur ipsa lege viuat, sicut qui Amund factus est, & cum eo Patronus viuat tanquam cum fratre, aut cum aliis parentibus liberis.*

Legis Longobardicæ tit. 35. l. 1. libri 2.

Aliud fuit libertorum genus, quorum patrocinium retinebant sibi manumissores, & certum operarum pensum quotannis exoluendum imperabant. Hoc autem varias sortitur appellationes, pro variis cæremoniis, quibus inter manu mittendum vtebantur. Alij enim dicuntur *denariales*, alij *tabularij*, alij *Aldij*.

Denariales dicuntur liberti qui per iactum denarij manumissi sunt, hoc pacto. In manu serui manumittendi ponebatur denarius, quem Rex aut Imperator manum serui impellendo, & succutiendo exicta bat. Huius formulam integrã. Ex refert Ernestus Cãcellarius centuria cartarũ carta 6. *In nomine sãctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Hludouuicus diuinã fauẽte gratia Rex. Nouerint oẽs fideles nostri præsentes scilicet & futuri, quia nos rogatu Purucharti dilecti Comitis nostri, quendã proprium seruum nostrũ Johan nominatum, in præsentia fidelium nostrorum per excussionem denarij de manu illius iuxta Legem Salicam in eleemosy-nam*

Ernestus in Cent. Cartarum carta. 6.

nam nostram liberum dimisimus, & ab omni iugo seruitutis absoluimus, eius quoque absolutionem hoc scripto firmauimus, quam in omni tempore firmam, inuiolabilémque mansuram esse volumus. Præcipientes ergo iubemus, vt sicuti reliqui manumissi, qui per huiusmodi titulum absolutionis à Regibus, vel Imperatoribus noscuntur esse relaxati ingenui, ita deinceps memoratus Iohan, bene ingenuus, atque securus existat, & vt ista ingenuitatis pagina firma stabilisque consistat, annulo nostro eam consignari iussimus, Ernustus, Cancellarius, ad vicem Theotimari Archicapellani recognoui. Datum II. *Kal. Iun. Anno Incarnationis Domini* DCCCCVI. *Indict.* VIIII. *Anno Regni Domini Hludouuici.* VII. *Actum in Rottuuilla feliciter. Amen.*

De quo seruorum genere loquuntur leges antiquæ locis compluribus. Legis Salicæ titulo vigesimo octauo iubetur, vt qui seruum alienum sine consilio Domini ante Regem, per denarium, ingenuum dimiserit C. solidis mulctetur. l. Salicæ tit. 28.

Horum ergo seruorum, qui denariales dicti sunt, conditio fuit, vt filios quidem ac cognatos heredes habere possent: ipsi vero nec eorum liberi ante tertiam generationem, nullius cuiusquam hæreditatem adire valerent. Purgari enim seruitutis sordes, nisi post tertiam generationem posse non credebant, nec ingenuitatis iura, nisi nepotibus, quibus lõginquitas temporis labes, ac maculas auorum detersisset, competere: ita in Capitulis Caroli & Ludouici, lib. sexto capit. 208. *Homo denarialis non antea hereditare in sua agna-* Capitula Caroli & Ludouici, Capit. lib. 6. cap. 208.

tione poterit, quàm vsque ad tertiam generationem perueniat. Consentit Lex Longobardica, libro 2. tit. 34. Lege II. vbi Imperator Pipinus sic edicit. *Homo denarialis non habeat hæreditatem in sua generatione antequam vsque in tertiam generationem perueniat, & homo Cartularius similiter.* Eodem fere pacto, apud nos nobilitatis iura, & prærogatiuæ insigniores non nisi tertia generatione continuâ firmantur. Vt vero Amundijs sine legitimo hærede morientibus fiscus succedit, ita quoque denarialibus & in votú Regis manumissis. Ita Legis Ripuariæ, tit. 57. l. 4. *Si homo denariatus absque liberis discesserit non alium nisi fiscum nostrum hæredem relinquat.*

Leges Longobardicæ libro 2. tit. 34. l. II.

Leges Ripuariæ, tit. 57. lege 4.

Licet auté non ita suppleret Natalium calamitatem denarialis manumissio, quin aliqua nota squalloris antiqui remaneret: Attamen denariatorum longe potiorem fuisse conditionem quam eorum qui sub conditione census præstandi manumissi essent hinc maxime coniicere est, quod tributarij interfecti pœna est tantum triginta sex solidorum, denarialis vero ducentorum. Nimirum Regis maiestatem violasse credebatur qui seruum eius manu exauctoratum, & in votum Imperij, ac Reip. manumissum percusisset.

Præter Amundios, Impantes denariales, fuit & aliud genus libertinorum quod antiquæ leges Aldios appellarunt, horum conditio longe ceteris inferior, atque ignobilior: quippe qui minimam, & imperfectissimam libertatem assequerentur,

nec tam viderentur omni seruitute exempti, quàm in mitiorem, ac clementiorem famulatus legem translati. Vt enim veteres Romani cum conditione operarum præstandarum seruos suos manumittebant, quod liquet, ex toto tit. *De operis libertorum*, quas etiam aliquando à senibus ætate confectis, & aduersâ valetudine laborantibus inclementer exigebant, vt constat ex l. *libertus* ff. *de operis libertorum*, aliquando vero extraneis elocabant, vt lucrum pretiumue operarum caperent, l. *Patronus*, ff. eodem tit. ita & veteres Franci, ac Longobardi eadem ratione seruos sua ditione, & potestate duris aliquando conditionibus relaxabant, & non tam dabant libertatem quam mutabant seruitutem. quia vero hoc imperfectæ pietatis genus Deo placere non potest, cuius oculis suaue, ac iucundũ esse nil potest, nisi quod ex omni parte beatum est, ac perfectum, ideo in his manumissionibus testem adhibere Deum nefas erat, atque in conspectu altarium Aldios facere. Qui enim seruum, aut ancillam coram sacris altaribus manumiserat, censebatur illis plenam libertatem indulsisse, sicut qui *Fulfreal*, aut *Amund* fecerat, ita Rotharius l. 54. tit. 55. De manumissionibus. *Si quis seruum, aut ancillam in Ecclesiâ, vel circa altare à modo liberum, vel liberam dimiserit, sic maneat ei libertas, sicut ei qui Fulfreal in quarta manu traditus & Amund factus est. Nam qui aldium facere voluerit non eum ducat in Ecclesia: nisi alio modo faciat, qualiter voluerit, siue per Cartam, siue qualiter ei placuerit.*

Rotharius libro 1. legis Longobardi ex. tit. 35. & l. 5.

Tristis itaque ac seuera fuit Aldiorum conditio, nec multum à seruitute dissentanea: itaque Aldio sine consensu Domini stipulari, negotiumve vllum pertractare, vendere, aut alienare quidquam è peculio nefas fuit, vt notat idem Rotharius, l. 4. tit. de prohibita alienatione. *Nulli liceat Aldio qui Amund factus non est sine voluntate patroni sui terram, aut mancipium vendere, neque liberum dimittere.* Præterea Aldios in Clerum prouehi religio non sinebat, vt constat ex Canone 63. Concil. 4. Toletani propterea quod à patrono adhuc seruitute tenentur obnoxij.

CAPVT IX.

De libertis in patrocinio Ecclesiæ constitutis. Tres ordines libertorum Ecclesiæ. Libertorum omnium caussas tractabant Episcopi. Liberti religiosi quinam fuerint. Quotquot in Ecclesia manumittebantur eos fuisse Ecclesiæ libertos ostenditur. Manumissiones non fiebant in Monasterijs nisi ex priuilegio. Ritus manumittendi in Ecclesia. Tabularij, & Cartularij qui fuerint.

ECclesia, cuius hoc singulare studium est liberare calamitatibus mortales, & antiquo Natalium splendori restituere, è quo paterno scelere miserrime deciderunt, perpetuo libertorũ vindex fuit, suasque interposuit partes; ne iugo iterum duræ seruitutis subderentur, si quando eos

dominorum indignatio ad pristinæ sortis acerbitatem reuocaret, & impia leuitate ipsos pœniteret traditæ libertatis. Propterea solebant ad Ecclesiam confugere liberti, eiusque auctoritatem, ac maiestatem aduersus iniurias patronorum inuocare. Ita Canon 29. Concilij Agathensis iubet libertos iusta seruitute manumissos ab Ecclesia defendi. *Libertos legitime à Dominis suis factos Ecclesia si necessitas exegerit tueatur, quos si quis ante audientiam aut peruadere, aut exspoliare præsumpserit ab Ecclesia repellatur.* Consentit Parisiense quintum tempore Clotarij 2. Regis, vbi Domini contumaces qui Episcopos adire noluerunt, eorumque iudicio, ac sententiæ de libertis latæ obsequi, communione pelluntur. Can. 5. & Capitul. addit. 4. C. 63.

Concilium Agathense, can. 29.

Concil. Parisiense 5. tempore Clotarij Regis. can. 5.

Capitulariũ additione, 4. capit. 63.

Atque vt Ecclesia commodius libertos iuuare posset, & aduersus temerariam, ac præcipitem Dominorum iracundiam tueri, cautum olim ne libertorum caussæ, quando de manumissionum negotio agebatur, alibi possent quam in foro Episcoporum agitari. Nimirum iis temporibus Iudices laïci Ecclesiarum splendore infensi, Episcoporũ tribunalibus inuidebant, & ægre ferentes manumissionum solemnia, nón amplius coram Prætore, sed in presentia Numinis peragi, vexabant edictis atrocibus libertos, si quando ipsos Dominorum furor ad Laïcorum fora propelleret. Vnde natus Canon 7 Matisconẽsis, Synodi secundæ, De libertorum caussis ab Episcopis iudicandis, vbi Prætextatus, & Papulus viri Beatissimi

Libertorum caussæ ab Episcopis tractantur.

dixerunt, *Decernat itaque & de miseris libertis vestræ auctoritatis vigor insignis, qui ideo plus à iudicibus affliguntur, quia sacris sunt commẽdati Ecclesiis, vt si quas quispiam duxerit contra eos actiones habere, non audeat magistratui contradere, sed in Episcopi tantum iudicio in cuius præsentia litem contestans, quæ sunt iustitiæ, ac veritatis audiat: Indignum est enim, vt hi qui in sacrosanctâ Ecclesiâ iure legitimo noscuntur manumissi, aut per Epistolam, aut per Testamentum, aut per longinquitatem temporis, libertatis iure fruuntur, à quolibet iniustissime iugulenntur.*

Concilium Matiscoñé se.2.can.7.

Et si vero, omnium libertorum caussam egerit Ecclesia quantum ad iura manumissionis pertinet, possitque hac ratione eorum omnium vindex, ac patrona appellari. Erant tamen liberti singulari clientela, & obsequio Ecclesiæ consecrati, quorum tres ordines fuisse reperio. Primus est eorum qui ex voluntate manumittentis, & religioso Patroni consilio ad operas Ecclesiæ præstandas deuouebantur; & ea tantum conditione libertatem recipiebant, vt in posterum in Ecclesiæ patrocinio, & clientela versarentur.

Tres ordines libertorum Ecclesiæ.

Fuisse autem eius generis libertos, ex antiquis monimentis liquet, hos leges Visigothorum Religiosos libertos appellant, libro 5. tit. 7. lege 18. *Ne liberti Religiosi ad obsequium reducantur hæredis:* verba enim legis significant aperte, libertos eos, de quibus sermo est, religiosis locis ex voluntate manumissorum deputatos.

Leges Visigothorum, lib.5. tit.7. l.18.

Quoslibet de quorumcumque libertis, aut specialiter de

Ecclesiasticis, dignitas sublimauit honoris, aut præfixis sanctorum locis deputauit, vel ordo Religionis, vel ordinatio manumittentis, non erunt ad hominum patrocinium reducendi contentione qualibet hæredis, &c.

Etiam in Hungaria fuisse eiuscemodi libertos sacris locis deputatos, patet, ex eo quod sanctus Ladislaus decernit ne liberti, qui pro salute animæ manumissi sunt, aliis in posterum quam presbyteris seruiant. *Qui autem pro animarum salute liberati mancipati fuerint, eo tenore tamen vt Ecclesiæ seruiant ipsi, nemini nisi soli ibi presbytero administrent.* Ladislaus lib. 1. decreti cap. 3.

Ladislaus lib. 1. decreti cap. 3. p. 15.

In Italia pares conditiones manumissionibus adhibitas docet Leo Marsicanus Chronici Cassinensis lib. 1. c. 10. vbi de donatione Leonis Beneuentani loquitur recenset, *Seruos,* inquit, *suos & ancillas omnes prius per Cartulam libertate donauit, atque ita demum liberos cum curtibus propriis & ceteris quæ possidere videbantur in ius monasterij potestatemque redegit, ea scilicet lege vt singuli eorum quatuor per mensem operas vbi necesse fuerit monasterio impendant, res suas atque substantias nulli omnino nec inter se vendere, aut donare præsumant, resque illorum qui sine liberis defuncti essent in ditione monasterij deuenirent,* &c.

Leo Marsicanus seu Ostiensis Chronici Cassinens. lib 1. c. 10. p. 110. edit. Neapol. & simili habes cap. 18. eiusdem libri de donatione Leonis Beneuentani.

Apud Longobardos quoque idgenus libertatis concessum docet Astulphus lib. 3. tit. de vltimis voluntatibus, vbi ordinationem eius qui familiam libertate donauit, ea conditione vt religiosis locis deseruiat, vult stabilem firmamque consistere. *Si quis Longobardus per Cartam in sanitate,*

Lex Longobardus lib. 3. tit. 15. leg. 1.

aut in ægritudine res suas ordinauerit, & dixerit eas habere loca venerabilia & familias per quas res ipsæ excoluntur liberas esse dixerit ea conditione vt in ipsis Religiosis locis redditum faciant, secundum ipsius statutum reddant omni tempore, iuxta domini sui præceptionem ipsi & filij eorum, & sint liberi de suis personis sicut Dominus eorum instituerit.

Etsi vero æternitatis studio flagrantes antiqui, seruos suos pro animæ remedio manumitterent, & Ecclesiarum obsequiis deuouerent, eos tamen aliis quoque de caussis video seruos suos in fauorem Ecclesiarum manumisisse: si enim in Magnatum familia essent, tam bonæ indolis mancipia, vt de iis in clerum prouehendis Ecclesiæ Antistites cogitarent, solebant Domini ipsis relaxare seruitutis vincula, & coram sacris altaribus liberos dimittere, vt soluti laico mancipatu in Christi familiam Clerumque transirent, in quem nefas erat seruitio prophano obligatos admitti. Ea autem manumissio fiebat in Ecclesiis coram sacerdote, aut Episcopo, iis quibus postea docebimus ceremoniis. Exemplũ insigne extat inter Cartas Vuatonis diaconi, quarum vna sub Ludouico Alemanorum Rege conscripta, continet manumissionem Sigmari cuiusdam his verbis conscriptam, *Auctoritas Ecclesiastica patenter ammonet insuper & potestas Regia canonicæ Religioni adsensum præbet, vt quemcumque ad sacros ordines ex propria familia promouere Ecclesia quæque elegerit, in præsentia sacerdotum canonicorum simul & Nobilium laicorum, & eius cui sub-*

Carta Vuatonis diaconi in Centuria Cartarum 2. Alem. parte.

ſubiectus eſt, manumiſsione ſub libertatis teſtamento ſolemniter roboretur. Idcirco ego in Dei *nomine Engildruda, quondam meum famulum nomine Sigimarum, ſacris Ordinibus dignum in præſentia nobilium virorum, liberum ab omni vinculo ſeruitutis dimitto.*

Inuenio & heredes Epiſcoporum, ac Clericorum, vt de facultatibus Eccleſiæ agellos ac prædiola, vtenda, fruenda, obtinerent, liberos ſuos Eccleſiarum obſequiis mancipaſſe ex l. 4. lib. 5. Vuiſigotorum legis, tit. De Eccleſiaſticis rebus. *Lex Viſigothorum li. 5. tit. de Eccleſiaſticis rebus lege 4.*

Secundus ordo libertorum, quorum patrocinium habuit Eccleſia ex iis conſtat, qui licet è familia non eſſent, attamen manumiſſionem fuerant in Eccleſia conſequuti, quotquot enim ſacris ceremoniis Deo præſente, & ſpectante libertatem accepiſſent, in patrocinium, ac clientelam Eccleſiæ migrabant, eiuſque liberti credebantur, propterea quod Eccleſiæ intuitu, & in fauorem religionis cenſebantur Domini, ipſos ſua poteſtate, ac Imperio liberaſſe. Ideoque acceptam Eccleſiæ libertatem perenni obſequio compenſare certabant. Cum ergo è manumiſſionibus in Eccleſia celebratis creſceret ſacra familia, & ſacerdotium numeroſa clientium turbâ ſplēdeſceret, quid mirum, ſi Orientalis Eccleſia ſupplicandum Principi decernit, vt manumiſſiones in ſacris Ædibus apud Græcos fiant, eo more quo in Italia celebrabantur. Ita enim habetur in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ Canone 64. *περὶ ἐλευθεριῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αἰτητέον ἀπὸ τοῦ βασιλέως de manumiſsionibus,* *Codex Canonæ Eccl. Africanæ Canone 64*

Zz

vt in Ecclesia *celebrentur ab Imperatore po cendum.*

Quando vero manumissiones in sacris Ædibus peragi solitas audimus, non sunt passim quælibet ædes sacræ intelligendæ: non enim in Monasteriis olim, & oratoriis Monachorum licuit manumittere, sed tantum vbi Episcopus, aut Sacerdos præsens esset, vt eorum beneficio ciuilem libertatem reciperent, per quos scelerum nodis eximi, & Dæmonum mancipatu poterant liberari. Quamobrem priuilegia manumissionis ex indulgentia prælatorum aliquando fuerunt Monasteriis erogata. Ita Abbati Eusebio concessit Gregorius Magnus, vt liceret manumissiones in Ecclesiâ suâ facere. *Quousque vero de his quæ à nobis prædicti filij nostri fienda postulant reuelante* Domino *deliberare possimus, Clericos ex laicis ordinari, necnon & manumissiones apud te in eadem* Ecclesia *solemniter celebrari concedimus.*

Greg. lib. 2. Regist. ep. 24. indict. 10.

Quod vero liberti, qui beneficium manumissionis in Ecclesia acceperant, essent in patrocinio, ac defensione Ecclesiæ, & ad eius familiam pertinerēt, multis argumentis potest confirmari. Siquidem, si sine liberis & legitimis hæredibus essent, his Ecclesia succedebat, vnde si casu fortuito aliquis libertos in Ecclesia factos interficeret, is Ecclesiæ pro hominis nece satisfaciebat, & mulctam pendebat octoginta solidorum: *Liberti qui ad Ecclesiam dimissi sunt liberi, vel per Chartam libertatem acceperunt, si occidantur,* LXXX. *solidi soluantur Ecclesiæ, vel filiis eius.*

Lex Alemanica, tit. 17. l. vnicâ.

Secundo, libertus in Ecclesia manumissus, si suâ culpâ in seruitutem recideret seruus Ecclesiæ fiebat, non eius qui manumiserat, *Si ancilla dimissa fuerit per Chartam, aut in Ecclesia, & postea seruo nupserit, Ecclesiæ ancilla permaneat*, legis Alemanicæ, tit. 18.l. 1. Tertiò, Ecclesiam in manumissos per tabulam, ac sacros ritus, auctoritatem patronorum habuisse, leges Ripuariæ, clarissime indicant, illis enim decernitur, vt in Ecclesia manumissi sub tuitione Ecclesiæ consistant, eidem obsequia impendant: seruos suos alio ritu quam Ecclesiastico non manumittant: & non alibi quàm in Ecclesia, vbi relaxati fuerunt mallum teneant, si absque liberis decesserint, Ecclesiam hæredem habeant. Ita vero rem se habere textus legis satis indicat, tit. 58. De tabularijs. Legis Alemanicæ, tit. 18. l. 1.

Hoc etiam iubemus, vt qualiscumque Francus, Ripuarius, seu tabularius seruum suum pro animæ suæ remedio, seu pro pretio secundum legem Romanam liberare voluerit, vt in Ecclesia coram Presbyteris, Diaconibus, seu cuncto Clero, *& plebe, in manu Episcopi seruum cum tabulis tradat, & Episcopus Archidiaconũ iubeat, vt & tabulas secundum Legem Romanam, qua Ecclesia viuit, & scribere faciat, & tam ipse, quam omnis procreatio eius liberi permaneant, & sub tuitione Ecclesiæ consistant, vel omnem reditum status, aut seruitium tabularij eorum reddant. Et nullus tabularius denarium ante Regem præsumat jactare. Quod si fecerit, CC. solid. culp. iud. & nihilominus ipse tabularius, & procreatio eius tabularij persistant, & omnes reditus status eorum ad* Ecclesiam Leges Ripuariæ titulo 58. de tabulariis.

reddant: & non aliubi nisi ad Ecclesiam; vbi relaxati sunt mallum teneant.

Quod si quis tabularium, seu Ecclesiasticum hominem contra Episcopum defensare voluerit LX. *solid. culp. iud. & insuper hominem cum omnibus rebus suæ Ecclesiæ restituat. Quia inclitum ducimus, quod Ecclesiis concessimus, iterum ab Ecclesijs reuocare.*

Cap.3. tit. 22.45.57. capit.7 tit. 96. capit. Pipini tit. 6.

Ceterum mallum tenere nil est aliud quam caussas agere, & cognitioni sese iudicum summittere, nam Mallum pro foro sumitur apud veteres: Vnde mallum Regis malum Comitis passim in capitularibus legitur.

Ritus & Ceremoniæ manumissionis Ecclesiasticæ.

Qua autem Ceremonia in Ecclesiis manumitterent veteres Galli, satis liquet ex antiquis eorumdem legibus; Nam si sani essent, nec morbus prohiberet, solebant seruos suos ipsimet in ædem sacram ducere, illicque Episcopo, Sacerdoti, aut Diacono ad minus tradere: ille seruum apprehensum manu, sacris sistebat altaribus, quo facto Dominus serui, testes, adiurans Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, & quotquot ceremoniis interessent, seruum suum liberum pronunciabat: Huius auditâ voluntate sacerdos liberum ire iubebat: tandem verò Diaconus libertatis Cartam conscribebat, & manumisso tradebat: Sin vero Dominus serui, violentâ ægritudine angeretur, nec posset sacris manumissionum solennibus interesse, designabat Sacerdotem, cuius manu volebat seruum altaribus admoueri, qui, si Dominum contingeret emori, iuxta eius testamentum & Decretum ser-

uo manumissionem impertiebatur. Qui ritus hauriuntur ex antiquo iure Gallorum & Longobardorum. Nam Longobardicæ legis tit. 18. de vltimis voluntatibus Rex Rotharius, sic constituit: *Si Longobardus ad finem mortis properauerit, itaut nec Thingare hominem suum possit, nec in manu sacerdotis tradere circa altare liberum dimittendum propter subitaneam mortem & instituerit, vt post obitum eius, per manum sacerdotis, qualem designauit: circa sacrum altare duci habeat, caussa miserationis decreuimus, vt sicut dominus eorum præceperit, ita impleatur & sacerdos, quem designauerit circa altare eum absque cuiuscunque contradictione absoluat.* Legis Longobard. l. 2. tit. 18 lege 4

At Diaconum seu Archidiaconum solitum manumisso, tabulas libertatis conscribere, aut conscribi curare liquet ex præfatis Ripuariorum legibus: tum etiam ex Carta manumissionis Sigimari cuiusdã, de qua superius diximus, quæ à Vuatone diacono conscripta legitur, cuius subnotatio talis est. *Ego Vuato Diaconus rogatus scripsi & subscripsi.*

Eas porro manumissionum ceremonias (ne dicam ex Foroniæ Deæ tẽplo manasse, apud quam serui olim manumittebantur) hausere Galli nostrates ex antiqua Romanorum consuetudine, apud quos in præsentia Antistitum serui manumittebantur, ex rescripto. Constantini ad Protogenem Episcopum. *Iamdudum* C. de his qui in Ecclesiis manumittuntur. *Iamdudum* (ait Imperator) *placuit vt in Ecclesia Catholica libertatem, domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis adsi-* l. iamdudũ C. de his qui in Ecclesiis manumittuntur

Vide Sozome. lib. 1. hist. Eccles. c. 9. Cassiod. lib. 1. hist. trip cap. 9. Niceph. lib. 7. c. 16.

stentibus Christianorum Antistibus id faciant; vt propter facti memoriam interponatur vice actorum, qualiscunque scriptura in qua vice testium signent, &c.

Cæterum, quoniam ii qui in Ecclesia manumittebantur, Tabulas seu instrumenta ac documenta manumissionum de manu Diaconi sumebant: ideo à tabulis dicuntur Tabularij: à Carta vero Cartellarij Ita intelligendus est Canon vigesimus Concilij Vermeriensis, cuius titulus est, vt *Cartellarius qui cum Ancilla fornicatur, eam libertate donatam, vxorem habere cogatur.*

Concilium Vermer. Canone 20.

Tertius tandem & vltimus ordo libertorum, qui in Ecclesiæ patrocinio versabâtur eorum erat, quos ex familia sua manumittebat Ecclesia, de quibus sequens caput instituendum.

CAPVT IX.

De libertis ex familia Ecclesiæ.

NOn eadem fuit apud antiquos ratio libertatis indulgendæ, nec semper fidei ac probitatis præmium extitit manumissio. Plerũq; enim seruos non alia caussa manumittebât, quam quod incommodi essent inutiles fugitiui, adeoque dominos torquerent magis quam iuuarent. Vnde illi facile ad dandam libertatem adducebâtur, seu quod eam vltro seruus arriperet, seu quod eo ma-

numiſſo non tam ſeruum amiſiſſe cenſerentur, quam ſupplicium. Ea cauſſa cum Epiſcopis, & Presbyteris non liceret temere & ſine cauſſa ſontica res Eccleſiæ diſtrahere, aliter tamen de fugitiuis ſeruis decretum eſt, vt nempe incommoda & fugitiua pro arbitrio venderent, ac permutarent. Ita conſtitutum legimus in Synodo Agathenſi Canone 46. *Fugitiui etiam domos ſuas deſerentes qui etiamſi reuocati fuerint, teneri non poſſunt: ſimili ratione ab Epiſcopo ſi voluerit, aut ſi ita illi meruerint diſtrahantur.* Diſtrahi autem ſeruos Eccleſiæ, & in laicam manum transferri, pœna & ſupplicium ſeruis videbatur qui meliores ac clementiores dominos nanciſci non poterant quam Eccleſiaſticos, è quorum familia diuulſi, plerumq; non tam mutaſſe ſeruitutem videbantur, quam amiſiſſe libertatem. Cóc. Agath. can. 46.

Mitiſſimum vero ſeruitij genus fuiſſe apud Clericos, & domeſtica eius ordinis virtus ſuadet moderatio, & ſtudium Eccleſiæ in extraneis ſeruis ab iniuria Dominorum liberandis. Nam ſi quãdo Dominorum atrocitatem vererentur tremuli, ac pallentes ſerui, præſidium Clericorum in Eccleſia querebant à qua non prius auelli ſeruos, atque à Dominis reduci Sacerdotes ſinebant, quam ſolemnem ſponſionem edidiſſent de ſeruis non lædendis. Vnde lucem ſumit Canon trigeſimus nonus Concilij Epaonenſis, *Seruus reatu atrociore culpabilis, ſi ad Eccleſiam confugerit à corporalibus tantum ſuppliciis excuſetur: de Capillis vero vel quocumque opere.* Cóc. Epaonẽſe can. 39.

placuit à Dominis iuramento non exigi. Quid est vero iuramentum de Capillis non exigi, id certe ex antiquo ritu illustratur. Quippe seruis negligentibus atque otiosis, capillos incidere ac turpiter detondere mos fuit apud Antiquos. Nam flagellatio, & detonsio propria sunt seruorum supplicia, vt patet ex Capitularium lib. 3. tit. 30. & ex legis Longobardicæ lib. 3. tit. 7. lege 1.

Volunt ergo Patres Concilij Epaonensis, posse compelli Dominum, vt iuret se non læsurum vlla parte corporis seruum, qui Ecclesiam vindicem implorauit, verum non debere Sacerdotem de non detondendo seruo Sacramentum exigere.

Vt autem distrahendorum seruorum caussa erat frequens fuga & impatiens animus dulcissimæ seruitutis. Ita & manumittendorum eadem ratio plerumque fuit. Si enim seruus fugitiuus peculium haberet satis pingue, quo se posset seruitutis oneribus eximere, facile adducebantur Episcopi, Abbates, ac Presbyteri, vt accepto peculio, libertatem indulgerent. Sic in Cartis Theotarti istius manumissionis formulam legimus, in qua seruus quidam nomine Vnderust fugitiuus, & rebellis ad seruitutem reuocatur à Possone Aduocato sancti Galli: & ea de caussa coactus se sistere iudici, vt eius sententia in seruitutem compingeretur, dato satis diuite pinguique peculio ingenuitatis iura stipulatur. Verba autem tabulæ manumissoriæ sunt eiusmodi. *Dictus homo Vnderust de medio quod habuit territorio inter Hagenbab & Eligange,*

ac

ac Suetta inchos quattuor, ad reconciliationem nobis dedit, scilicet vt à die præsenti, ita ingenuus consistat, quasi ab ingenuis parentibus sit genitus, nosque ea ratione illud accipientes, quatenus ipse nostra ex parte ab omni seruitutis vinculo sit exutus in perpetuum, totaq; eius agnatio, posteritas, & procreatio similiter sit absoluta, sub ea conditione, quæ modo ab illo genita est, & deinceps progenita fuerit, tanquam si fuissent ex liberis parentibus procreati, hocque conscriptionis vinculo firmari iussimus.

Eam vero manumissionem, quæ ex pacto tradendi peculij fiebat, amplissimam fuisse & perfectissimam animaduerto. Quippe reliquæ manumissiones ab Episcopis & Abbatibus fieri non poterant, nisi retinendo seruos manumissos sub patrocinio Ecclesiæ, ratione cuius patrocinij certas operas Ecclesiæ præstare tenebantur, poterantque si ingrati forent, aut iniuriosi in Ecclesiasticos viros, ad seruitutem iterum reuocari. At manumissi ex caussa donati. Peculij nullis amplius operis, nullis præstationibus amplius illigati tenebantur, sed optimam & plenissimam assequebantur libertatem. Idcirco Carta manumissoria ingenuitatem præfato seruo adscribit, & omnes eius posteros cuiuslibet operæ, atque obsequij vinculo liberat. Fluxerat istud manumissionis genus ex antiquo iure Romanorum, apud quos seruus emptus suis nummis, & manumissus, non debebat operas patrono, nec reuocari poterat in seruitutem, l. *Si tuis nummis*, C. *de operis libertorum*.

Conc. Emeritensis c. 74

Secunda ratio propter quam serui Ecclesiæ manumitterentur, fuit singularis illorum probitas, & egregia indoles Cleri maiestati suffectura, Eam rationem antehac notauimus ex Concilio Emeritensi, Canone 74. Ex quo liquet seruos ex familia Ecclesiæ in Clerum euectos, non habuisse ius, & potestatem transferendi in extraneam manum acquisitas suo studio, & industriâ facultates, sed illorum hæreditatem omnem ad Ecclesiam spectasse. Itaque de isto libertorum genere nil noui dicendum occurrit.

Tertia ratio manumittendorum seruorum Ecclesiæ, fuit liberalitas & beneficentia Episcoporum, qui seruos de se bene meritos, siue testamento, siue inter viuos manumissione donabant.

Neque vero cuilibet Episcoporum ac prælatorum licebat seruos Ecclesiæ pro arbitrio vocare ad pileum, & in libertatem vindicare: Qui enim Episcopus patrimonium non habet, neque potest ex suo supplere quidquid Ecclesiæ subducitur lucri & commodi ex manumissione seruorū, is non habet ius manumittendi. Quamobrem manumissorem Episcopum oportuit esse auitis opibus & propriis fortunis instructum, deinde oportuit eum, aut Ecclesiam ex asse hæredem relinquere, aut certe partem satis opimam rerum ac facultatum eidem testamento delegare. Hinc factum est vt in Concilio Spalensi primo, Serui per Episcopum Gaudentium manumissi ad pristinam conditionem & Seruitij legem reuocarentur, quia

nempe is Gaudentius neque Ecclesiam hæredem scripserat, neque ad compensandam Ecclesiam quidquam obtulerat.

Confirmauit hanc sententiam Concilium Toletanum quartum, sub Sisenando Rege era 671. Canone 77. *Episcopi qui nihil ex proprio suo Ecclesiæ Christi compensauerunt, hanc diuinam sententiam metuant, & liberos ex familijs Ecclesiæ ad condemnationem suam facere non præsumant. Impiũ est enim, vt qui res suas Ecclesiæ Christi non contulit, damnum inferat, & ius Ecclesiæ alienare præsumat. Tales igitur libertos successor Episcopus, absque aliqua oppositione ad ius Ecclesiæ reuocabit, quia eos non æquitas, sed improbitas absoluit.* Concil. Tolet. 4. c. 77.

Qualibet vero de caussa manumitterentur serui Ecclesiastici, eos necesse fuit perpetuo in patrocinio Ecclesiæ contineri, nam absolutam & perfectam iis libertatem tradere, in potestate præsulum non erat, nisi pro compensatione duo mancipia eiusdem valoris in commodum & familiam Ecclesiæ inducerent. Ita Concilium Toletanum 4. Canone 68. *Episcopus qui mancipium iuris Ecclesiastici, non retento Ecclesiastico patrocinio, manumitti desiderat, duo meriti eiusdem & peculij coram Concilio Ecclesiæ cui præminet per commutationem subscribentibus Sacerdotibus offerat, vt vota & iusta inueniatur definitio manumittentis.* Formula vero manumittendi seruos Ecclesiæ è fragmentis Concilij Toletani primi petenda est, citatur ab Iuone, parte 1. cap. 135. *De Ecclesiarum vero seruis communi sententia est* De- Concil. Tolet. 4. c. 68 Iuo part. 1. c. 135.

cretum, vt Archiepiscopi per singulas prouincias constituti nostram auctoritatem sequantur, Suffraganei vero illorum exemplar illius penes se habeant, & quandocumque de familia Ecclesiæ vtilis inuentus aliquis, ordinandus est, in Ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram Sacerdotibus, & omni Clero ante cornu altaris sicut in nostra auctoritate continetur remota qualibet calliditate libertatem consequatur, & tunc demũ ad gradus Ecclesiasticos promoueatur. Ex quibus liquet quod cum seruus Ecclesiæ manumitteretur, primo solebat instrumentum, seu Carta manumissionis eiusdem auctoritate Episcoporum confici. Deinde legebatur instrumentum istud bis in Ecclesia, primo ex Ambone seu suggestu, vnde Sacerdotes solent verba ad populum facere. Secundo legebatur eadem Carta ante cornu altaris, vt inclusi in sacrario Sacerdotes, & Clerici possent exaudire. Existimauerim, autẽ eas ceremonias locum habuisse tantummodo in manumissionibus eorum, qui ad clerum essent promouendi.

Nam & testamento seruos Ecclesiæ Episcopi manumittebant, ita in testamento Diui Remigij plures libertate donantur, quorum aliquos credibile est è familia Ecclesiastica fuisse. Diuus Gregorius Nazianzenus in testamento suo edicit, vt omnes illi quos vel sua voluntate vel beatissimorum parentum desiderio manumiserat, certa libertate fruantur. Et certe à tantis viris concessæ libertates infringi non poterant: qui Ecclesiæ suæ integrum sacrauerant patrimonium, vt ex testamento

D.Remigij qui Remensem, Gregorij qui Nazianzenam Ecclesiam hæredem scripsit.

Hæc ergo fuit ratio, ritus & cautela manumittendorum seruorum Ecclesiæ, nunc quibus legibus ac institutis viuerēt postquam beneficio Prælatorum forent libertatem consequuti, paucis aperiamus. Imprimis iis caute prospiciendum fuit ne beneficium iniuriâ rependerent, & irreuerentia fastuue maiestatem Ecclesiæ læderent, à qua & salutem sperabant & acceperant libertatem. Vnde in Concilio Spalensi canone 8. actum est de superbis Ecclesiis libertis, vt ad seruitutem reuocentur, cuius Canonis verba omitto, quibus æquissimi patres mactandam recidiua seruitute censent Elisæi cuiusdam ex familia Agabrensis Ecclesiç superbiam, qui libertatem assequutus, de tollendo per veneficia Episcopo cogitarat. Conc.Spal. c.8.

Secundo oportuit libertos Ecclesiæ operis sibi inter manumittendum impositis sedulo defungi, & seu censum seu opem augendæ, ac defendendæ Ecclesiæ, haud segniter impendere. Ita Concilio Toletano quarto canone 69. iubetur qui à Prælatis manumissi sunt, eorum patrocinium Ecclesia retineat, & liberti vtilitates sibi iniunctas iuxta quod potuerint prosequantur. In Concilio Aurelianensi quarto canone 9. decernitur vt liberti quos sacerdotes, presbyteri vel diaconi de Ecclesia sibi commissa facere voluerint. *Actus Ecclesiæ prosequantur*, quod si facere contempserint ad pro- Conci.Tol. 4.can.69. Concil.Aurel.4.can.9 Conc.Agathense.c.49.

prium seruitium reuertatur. Quid est autem actus Ecclesiæ prosequi nisi commodis Ecclesiæ inuigilare, & promissas ei operas strenue ac gnauiter exequi: quod faciebant liberti villas ac prædia Ecclesiarum tuendo, regendo, & omnino actorum officio, ac partibus defungẽdo. Actores enim apud antiquos dicuntur villici, seu procuratores prædiorum. Sic Capitularium lib. 4 cap. 41. edicitur vt si fugitiua mancipia in villas Regias sese receperint, actor requirenti Domino ea non contradicat.

De professione libertorum Ecclesiæ.

Tertio oportuit libertos Ecclesiarum vna cum eorumdem liberis infra annum ab inauguratione noui Episcopi sistere se coram ipso & Cartam ingenuitatis ac manumissionis tabulas apud eumdem proferre: quod certe inuentum ab Ecclesia, ne lapsu temporis libertorum memoria intercideret, & operis sibi debitis atque obsequiis Ecclesia tandem prorsus orbaretur, ita constitutum in Concilio Toletano quarto cano 70. *Liberti Ecclesiæ (quia nunquam moritur eorum patrona) à patrocinio eiusdem nunquam discedant; nec posteritas quidem eorum, sicut priores Canones decreuerunt. Ac ne forte libertas eorum in futura prole non pateat; ipsaque posteritas naturali ingenuitate obnitens, sese ab Ecclesiæ patrocinio subtrahat, necesse est, vt tam iidem liberti, quam ab eis progeniti professionem Episcopo suo faciant, per quam se ex familia Ecclesiæ liberos effectos esse fateantur; eiusque patrocinium non relinquant: sed iuxta virtutem suam obsequium ei, vel obedientiam præbeant.*

Concil. Tolet. 4. ca. 70.

Quamobrem si hac in parte peccarent liberti Ecclesiarum & suppressione Cartarum vellent manumissionis memoriam expungere, tum certe ad seruitutis iugum quasi ingrati ac scelerati clientes solebant retrahi. Hanc tamen legem vt duram nimis & seueram temperari oportere censuerunt patres Concilij Cæsar Augustani tertij Canone 4. textum canonis adscribo. *Quia speciali modo sancta decreuit Synodus vt si ipsi liberti infra anni spatium, superuenienti suo Pontifici chartulas libertatis suæ præsentare neglexerint, protinus eos in pristinam seruitutis redigant conditionem, & licet illus congruentius satisque luculentius retractatum fuerat, hoc tamen à nobis conspicuũ perpenditur, quo non solum & prædia Ecclesiarum debita auctoritate disponimus, sed etiam & oppressis pium suffragium porrigimus: per quod & cupiditas sacerdotalis frustretur & imbecillitas pauperum subleuetur. Quia ergo comperimus, quosdam Pontifices potius lucra sua ampliare studentes, quam de mercedis opere Domino placentur, liberos, quos ex familia Ecclesiæ, à suis prædecessoribus inueniunt, pro eo, quod libertatis suæ chartulas infra consultum tempus non repræsentent, statim eos in propriam seruitutem redigere: vnde hoc pietatis studio generali modo subrogamus beneficium: vt si ijdem liberti forsitan ignorauerint ordinem canonum; aut certe (vt adsolet fieri) ad præsentendas libertates suas tepuerint, ipsius Pontificis sollicitudo, mox in sedem sibi creditam successerit, per clerum aut domesticos, perquirere procurabit, quos docentes Episcopi de familiis Ecclesiæ manumissionis gratulauerunt: vt eosdem Pontifice præmonente, ipsi li-*

Concil. Cæsar August. 3. Can. 4.

Vide Sozome. lib 1. hist. Eccles. c.9. Cassiod. lib.1. hist. trip cap.9. Niceph. lib. 7. c.16.

stentibus Christianorum Antistibus id faciant; vt propter facti memoriam interponatur vice actorum, qualiscunque scriptura in qua vice testium signent, &c.

Cæterum, quoniam ii qui in Ecclesia manumittebantur, Tabulas seu instrumenta ac documenta manumissionum de manu Diaconi sumebant: ideo à tabulis dicuntur Tabularij: à Carta vero Cartellarij Ita intelligendus est Canon vigesimus Concilij Vermeriensis, cuius titulus est, vt *Cartellarius qui cum Ancilla fornicatur, eam libertate donatam, vxorem habere cogatur.*

Concilium Vermer. Canone 20.

Tertius tandem & vltimus ordo libertorum, qui in Ecclesiæ patrocinio versabatur eorum erat, quos ex familia sua manumittebat Ecclesia, de quibus sequens caput instituendum.

CAPVT IX.

De libertis ex familia Ecclesiæ.

NOn eadem fuit apud antiquos ratio libertatis indulgendæ, nec semper fidei ac probitatis præmium extitit manumissio. Plerũq; enim seruos non alia caussa manumittebãt, quam quod incommodi essent inutiles fugitiui, adeoque dominos torquerent magis quam iuuarent. Vnde illi facile ad dandam libertatem adducebãtur, seu quod eam vltro seruus arriperet, seu quod eo ma-

numisso non tam seruum amisisse censerentur, quam supplicium. Ea caussa cum Episcopis, & Presbyteris non liceret temere & sine caussa sontica res Ecclesiæ distrahere, aliter tamen de fugitiuis seruis decretum est, vt nempe incommoda & fugitiua pro arbitrio venderent, ac permutarent. Ita constitutum legimus in Synodo Agathensi Canone 46. *Fugitiui etiam domos suas deserentes qui etiamsi reuocati fuerint, teneri non possunt: simili ratione ab Episcopo si voluerit, aut si ita illi meruerint distrahantur.* Distrahi autem seruos Ecclesiæ, & in laicam manum transferri, pœna & supplicium seruis videbatur qui meliores ac clementiores dominos nancisci non poterant quam Ecclesiasticos, è quorum familia diuulsi, plerumq; non tam mutasse seruitutem videbantur, quam amisisse libertatem. Cóc. Agath. can. 46.

Mitissimum vero seruitij genus fuisse apud Clericos, & domestica eius ordinis virtus suadet moderatio, & studium Ecclesiæ in extraneis seruis ab iniuria Dominorum liberandis. Nam si quãdo Dominorum atrocitatem vererentur tremuli, ac pallentes serui, præsidium Clericorum in Ecclesia querebant à qua non prius auelli seruos, atque à Dominis reduci Sacerdotes sinebant, quam solemnem sponsionem edidissent de seruis non lædendis. Vnde lucem sumit Canon trigesimus nonus Concilij Epaonensis, *Seruus reatu atrociore culpabilis, si ad Ecclesiam confugerit à corporalibus tantum suppliciis excusetur: de Capillis vero vel quocumque opere.* Cóc. Epaonẽse can. 39.

Digitized by Google

placuit à Dominis iuramento non exigi. Quid est vero iuramentum de Capillis non exigi, id certe ex antiquo ritu illustratur. Quippe seruis negligentibus atque otiosis, capillos incidere, ac turpiter detondere mos fuit apud Antiquos. Nam flagellatio, & detonsio propria sunt seruorum supplicia, vt patet ex Capitularium lib. 3. tit. 30. & ex legis Longobardicæ lib. 3. tit. 7. lege 1.

Volunt ergo Patres Concilij Epaonensis, posse compelli Dominum, vt iuret se non læsurum vlla parte corporis seruum, qui Ecclesiam vindicem implorauit, verum non debere Sacerdotem de non detondendo seruo Sacramentum exigere.

Vt autem distrahendorum seruorum caussa erat frequens fuga & impatiens animus dulcissimæ seruitutis. Ita & manumittendorum eadem ratio plerumque fuit. Si enim seruus fugitiuus peculium haberet satis pingue, quo se posset seruitutis oneribus eximere, facile adducebantur Episcopi, Abbates, ac Presbyteri, vt accepto peculio, libertatem indulgerent. Sic in Cartis Theotarti istius manumissionis formulam legimus, in qua seruus quidam nomine Vnderust fugitiuus, & rebellis ad seruitutem reuocatur à Possone Aduocato sancti Galli: & ea de caussa coactus se sistere iudici, vt eius sententia in seruitutem compingeretur, dato satis diuite pinguique peculio ingenuitatis iura stipulatur. Verba autem tabulæ manumissoriæ sunt eiusmodi. *Dictus homo Vnderust de medio quod habuit territorio inter Hagenbah & Eligange,*

ac

ac Suetta iuchos quattuor, ad reconciliationem nobis dedit, scilicet vt à die præsenti, ita ingenuus consistat, quasi ab ingenuis parentibus sit genitus, nosque ea ratione illud accipientes, quatenus ipse nostra ex parte ab omni seruitutis vinculo sit exutus in perpetuum, totaq; eius agnatio, posteritas, & procreatio similiter sit absoluta, sub ea conditione, quæ modo ab illo genita est, & deinceps progenita fuerit, tanquam si fuissent ex liberis parentibus procreati, hocque conscriptionis vinculo firmari iussimus.

Eam vero manumissionem, quæ ex pacto tradendi peculij fiebat, amplissimam fuisse & perfectissimam animaduerto. Quippe reliquæ manumissiones ab Episcopis & Abbatibus fieri non poterant, nisi retinendo seruos manumissos sub patrocinio Ecclesiæ, ratione cuius patrocinij certas operas Ecclesiæ præstare tenebantur, poterantque si ingrati forent, aut iniuriosi in Ecclesiasticos viros, ad seruitutem iterum reuocari. At manumissi ex caussa donati. Peculij nullis amplius operis, nullis præstationibus amplius illigati tenebantur, sed optimam & plenissimam assequebantur libertatem. Idcirco Carta manumissoria ingenuitatem præfato seruo adscribit, & omnes eius posteros cuiuslibet operæ, atque obsequij vinculo liberat. Fluxerat istud manumissionis genus ex antiquo iure Romanorum, apud quos seruus emptus suis nummis, & manumissus, non debebat operas patrono, nec reuocari poterat in seruitutem, l. *Si tuis nummis*, C. *de operis libertorum*.

Conc. Emeritensis c. 74

Secunda ratio propter quam serui Ecclesiæ manumitterentur, fuit singularis illorum probitas, & egregia indoles Cleri maiestati suffectura, Eam rationem antehac notauimus ex Concilio Emeritensi, Canone 74. Ex quo liquet seruos ex familia Ecclesiæ in Clerum euectos, non habuisse ius, & potestatem transferendi in extraneam manum acquisitas suo studio, & industriâ facultates, sed illorum hæreditatem omnem ad Ecclesiam spectasse. Itaque de isto libertorum genere nil noui dicendum occurrit.

Tertia ratio manumittendorum seruorum Ecclesiæ, fuit liberalitas & beneficentia Episcoporum, qui seruos de se bene meritos, siue testamento, siue inter viuos manumissione donabant.

Neque vero cuilibet Episcoporum ac prælatorum licebat seruos Ecclesiæ pro arbitrio vocare ad pileum, & in libertatem vindicare: Qui enim Episcopus patrimonium non habet, neque potest ex suo supplere quidquid Ecclesiæ subducitur lucri & commodi ex manumissione seruorũ, is non habet ius manumittendi. Quamobrem manumissorem Episcopum oportuit esse auitis opibus & propriis fortunis instructum, deinde oportuit eum, aut Ecclesiam ex asse hæredem relinquere, aut certe partem satis opimam rerum ac facultatum eidem testamento delegare. Hinc factum est vt in Concilio Spalensi primo, Serui per Episcopum Gaudentium manumissi ad pristinam conditionem & Seruitij legem reuocarentur, quia

nempe is Gaudentius neque Ecclesiam hæredem scripserat, neque ad compensandam Ecclesiam quidquam obtulerat.

Confirmauit hanc sententiam Concilium Toletanum quartum, sub Sisenando Rege era 671. Canone 77. *Episcopi qui nihil ex proprio suo Ecclesiæ Christi compensauerunt, hanc diuinam sententiam metuant, & liberos ex familijs Ecclesiæ ad condemnationem suam facere non præsumant. Impiũ est enim, vt qui res suas Ecclesiæ Christi non contulit, damnum inferat, & ius Ecclesiæ alienare præsumat. Tales igitur libertos successor Episcopus, absque aliqua oppositione ad ius Ecclesiæ reuocabit, quia eos non æquitas, sed improbitas absoluit.* Concil. Tolet. 4. c. 77.

Qualibet vero de caussa manumitterentur serui Ecclesiastici, eos necesse fuit perpetuo in patrocinio Ecclesiæ contineri, nam absolutam & perfectam iis libertatem tradere, in potestate præsulum non erat, nisi pro compensatione duo mancipia eiusdem valoris in commodum & familiam Ecclesiæ inducerent. Ita Concilium Toletanum 4. Canone 68. *Episcopus qui mancipium iuris Ecclesiastici, non retento Ecclesiastico patrocinio, manumitti desiderat, duo meriti eiusdem & peculij coram Concilio Ecclesiæ cui præminet per commutationem subscribentibus Sacerdotibus offerat, vt vota & iusta inueniatur definitio manumittentis.* Concil. Tolet 4. c. 68 Formula vero manumittendi seruos Ecclesiæ è fragmentis Concilij Toletani primi petenda est, citatur ab Iuone, parte 1. cap. 133. *De Ecclesiarum vero seruis communi sententia est De-* Iuo part. 1. c. 133.

cretum, vt Archiepiscopi per singulas prouincias constituti nostram auctoritatem sequantur, Suffraganei vero illorum exemplar illius penes se habeant, & quandocumque de familia Ecclesiæ vtilis inuentus aliquis, ordinandus est, in Ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram Sacerdotibus, & omni Clero ante cornu altaris sicut in nostra auctoritate continetur remota qualibet calliditate libertatem consequatur, & tunc demũ ad gradus Ecclesiasticos promoueatur. Ex quibus liquet quod cum seruus Ecclesiæ manumitteretur, primo solebat instrumentum, seu Carta manumissionis eiusdem auctoritate Episcoporum confici. Deinde legebatur instrumentum istud bis in Ecclesia, primo ex Ambone seu suggestu, vnde Sacerdotes solent verba ad populum facere. Secundo legebatur eadem Carta ante cornu altaris, vt inclusi in sacrario Sacerdotes, & Clerici possent exaudire.

Existimauerim, autẽ eas ceremonias locum habuisse tantummodo in manumissionibus eorum, qui ad clerum essent promouendi.

Nam & testamento seruos Ecclesiæ Episcopi manumittebant, ita in testamento Diui Remigij plures libertate donantur, quorum aliquos credibile est è familia Ecclesiastica fuisse. Diuus Gregorius Nazianzenus in testamento suo edicit, vt omnes illi quos vel sua voluntate vel beatissimorum parentum desiderio manumiserat, certa libertate fruantur. Et certe à tantis viris concessæ libertates infringi non poterant: qui Ecclesiæ suæ integrum sacrauerant patrimonium, vt ex testamento

D.Remigij qui Remensem, Gregorij qui Nazianzenam Ecclesiam hæredem scripsit.

Hæc ergo fuit ratio, ritus & cautela manumittendorum seruorum Ecclesiæ, nunc quibus legibus ac institutis viuerēt postquam beneficio Prælatorum forent libertatem consequuti, paucis aperiamus. Imprimis iis caute prospiciendum fuit ne beneficium iniuriâ rependerent, & irreuerentia fastuue maiestatem Ecclesiæ læderent, à qua & salutem sperabant & acceperant libertatem. Vnde in Concilio Spalensi canone 8. actum est de superbis Ecclesiis libertis, vt ad seruitutem reuocentur, cuius Canonis verba omitto, quibus æquissimi patres mactandam recidiua seruitute censent Elisæi cuiusdam ex familia Agabrensis Ecclesię superbiam, qui libertatem assequutus, de tollendo per veneficia Episcopo cogitarat. Conc.Spal. c.8.

Secundo oportuit libertos Ecclesiæ operis sibi inter manumittendum impositis sedulo defungi, & seu censum seu opem augendæ, ac defendendæ Ecclesiæ, haud segniter impendere. Ita Concilio Toletano quarto canone 69. iubetur qui à Prælatis manumissi sunt, eorum patrocinium Ecclesia retineat, & liberti vtilitates sibi iniunctas iuxta quod potuerint prosequantur. In Concilio Aurelianensi quarto canone 9. decernitur vt liberti quos sacerdotes, presbyteri vel diaconi de Ecclesia sibi commissa facere voluerint. *Actus Ecclesiæ prosequantur*, quod si facere contempserint ad pro- Conci.Tol. 4.can.69. Concil.Aurel.4.can.9 Conc.Agathense.c.49.

Quamobrem si hac in parte peccarent liberti Ecclesiarum & suppressione Cartarum vellent manumissionis memoriam expungere, tum certe ad seruitutis iugum quasi ingrati ac scelerati clientes solebant retrahi. Hanc tamen legem vt duram nimis & seueram temperari oportere censuerunt patres Concilij Cæsar Augustani tertij Canone 4. textum canonis ad scribo. Concil.Cæsar August. 3.Can.4. *Quia speciali modo sancta decreuit Synodus vt si ipsi liberti infra anni spatium, superuenienti suo Pontifici chartulas libertatis suæ præsentare neglexerint, protinus eos in pristinam seruitutis redigant conditionem, & licet illus congruentius satisque luculentius retractatum fuerat, hoc tamen à nobis conspicuũ perpenditur, quo non solum & prædia Ecclesiarum debita auctoritate disponimus, sed etiam & oppressis pium suffragium porrigimus: per quod & cupiditas sacerdotalis frustretur & imbecillitas pauperum subleuetur. Quia ergo comperimus, quosdam Pontifices potius lucra sua ampliare studentes, quam de mercedis opere Domino placentur, liberos, quos ex familia Ecclesiæ, à suis prædecessoribus inueniunt, pro eo, quod libertatis suæ chartulas infra consultum tempus non repræsentent, statim eos in propriam seruitutem redigere: vnde hoc pietatis studio generali modo subrogamus beneficium: vt si ijdem liberti forsitan ignorauerint ordinem canonum; aut certe (vt adsolet fieri) ad præsentendas libertates suas tepuerint, ipsius Pontificis sollicitudo, mox in sedem sibi creditam successerit, per clerum aut domesticos, perquirere procurabit, quos docentes Episcopi de familiis Ecclesiæ manumissionis gratulauerunt: vt eosdem Pontifice præmonente, ipsi li-*

beri chartulas suæ libertatis repræsentent: qualiter nec liberti Ecclesiæ de institutione Canonum ignorantes se esse prohibeant, nec sacerdotis callida voluntas patescat, vnde contra ordinem reducantur manumissi ad originem seruitutis. Quos, si Pontifice præmonente, contempserint infra anni spatium suas libertates propriæ sedis Episcopo pandere, licitum sit ei, secundum Canonum sanctiones in iure Ecclesiæ suæ reducere.

CAPVT XI.

Quo tempore seruitutis desierunt.

EN itaque humanissime lector vniuersa seruorum & libertorum historia, ex variis tum legibus tum monimentis Cartis & tabulis eruta. Cui nil admodum vtile ac necessarium addi posse existimo, nisi labentium seruitutum occasus finemque posset aliquis curioso consilio à nobis expectare.

Quam in rem dicendum primo non eodem tempore apud quasuis gentes seruitutes desiisse, apud alias tardius apud quasdam serius iura ista & conditiones personarum exoleuerunt. Imo vero in vna, & eadem gente quædam Collegia & societates seruos suos prius mancipatus iugo exemerunt iugo quam alia.

Si quidem manumissio publica, quâ sancti Germani sodales seruitutem vniuerso suburbio remiserunt

ferunt data, est anno 1250. & tamen nonnisi multo post tempore extincta est omnino seruitus in Gallia, regnante videlicet Ludouico Hutino, circa annum 1315. Is enim cum ad Bellum Flandricum instituendum pecunia indigeret, Libertatem pretio addixit, & singulis qui vellent manumitti, certam summam ærario inferendam irrogauit.

In Flandria autem refert Meyerus, annalium Flandriæ, libro nono sub Margareta comite seruitutum iura desiisse. Id autem contigit circa annum 1252. *Eodem*, inquit, *anno seruos & ancillas, à quibus morientibus dimidium bonorum mobilium Comites accipiebant, tota Flandria manumisit.* Meyerus annalium Flandriæ lib. 9.

Verum quidquid sit de Historiæ istius veritate, certe vltra hoc tempus durasse, seruitutes in Flandria, nemo audeat inficiari, qui cartarum & tabularum lectione vel mediocriter fuerit informatus. Nam apud Aubertum Miræum donationum Belgicarum cap. 129. legitur diploma quoddam manumissionis factæ à Sigero de Liede Kerke D. de Boulario, quaquidē manumittūtur serui & seruæ & offerūtur S. Andriano in Giraldi monte. Datum est autem diploma istud anno 1314. Itaque signum est post Margaretam Comitem plusquam annis 50. durasse seruitutes in Belgio. Aubertus Myræus donat Belgicarum ca. 129.

Quo autem tempore in Italia, Germania & aliis partibus seruitus extincta sit, non satis notum. Ex Decretalibus summorum Pontificum circa annum millesimum ducentesimum adhuc viguisse seruitutes elicitur. Si quidem Innocentius tertius qui sub

Digitized by Google

hæc tempora vixit, censet dirimendum matrimonium, quod miles quidam contraxerat cum serua & ancilla Monasterii, ignarus eam seruitute teneri, capite *ad nostram de coniugio seruorum.*

Innocent. 3. cap. ad nostram de coniugio seruorum lib. 4. tit. 9.

In Hispania quoque vsque ad decimum tertium ferme sæculum durarunt seruitutes, & etiam nunc durant in Mauris & Turcis, qui lege belli serui fiunt Hispanorum & Lusitanorum quando capiuntur. Ac mos est ibi permanere seruos etiamsi Christianam Religionem amplexi sint, quod certe non videtur absurdum. Nam ista gentium iure & consuetudine inducta seruitus, Christianæ legi non aduersatur, quæ cum seruitute tot annorum spatio cohæsit. Attamen Petrus Matthęus in summa constitutionum Pontificiarum refert constitutionem editam à Pio quinto qua iubet eos seruos, qui recepto baptismo patrocinium ciuis cuiuspiam Romani implorarint, ipso facto liberos fieri.

Etsi vero Monasteria & Ecclesię seruis suis libertatem indulgerent: adhuc tamen antiquæ seruitutis notas & vestigia in illis voluerunt residere. Notæ autem sunt multiplicis generis quædam sacræ, quædam prophanæ. Inter prophanas sunt pensio solaria, reditus & consuetudines quas pendunt antiquis dominis, obligatio panem coquendi in furno Dominico vuam premendi in eiusdem torculari. Sacræ notę sunt oblationes, quas post purificationem mulieres altaribus Monasteriorum facere tenentur, post partus singulos quasi hac oblatione fœtus à se prognati seruitutem redimant, ius istud

in homines sui suburbij retinuerunt sodales sancti Germani diplomate à me citato.

Non refero hîc quædam alia seruitutis exutæ monimenta, vt manum mortuam, cuiusmodi manus mortuæ homines plurimi adhuc extant in Burgũdia, Aruernia. De quibus, vide consuetudines Burgundiæ, & Chassaneum enarratorem tit. 5.

COROLLARIVM.

CVm præmissa de seruis & libertis Ecclesiarum tractatio, occasione bonorum Ecclesiæ suscepta sit: forsan inquiret aliquis, an ex tanta seruorum Ecclesiæ & libertorum multitudine res eius ampliores fierent atque auctiores, & an extinctis seruitutibus eiusdem patrimonium vel vncia minutum fuerit ac labefactatum.

Quibus respondendum non mediocres census ac reditus Ecclesiam è seruis ac libertis cepisse. Quidquid enim serui acquirunt, Domino acquirunt: hinc Ecclesia eorumdem studio, atque industria prouẽtus colligebat non exiguos. Morientiũ seruorum spolia ad Ecclesiam pertinebant, iure mortuarii, cuius etiam vmbram quandam penes Germani Monasteria superesse author est Hospinianus. Refert enim licere Abbatibus eius regionis seligere quidquid voluerint spoliorum nomine, puta equum generosiorem aut fortius iumentum. Præterea quamdiu seruorum opera Ecclesia vsa est, non

erant ei conducendæ extraneorum operæ, seu ad domos instaurãdas, sed ad angarias & parangarias, hoc est euectiones & transmissiones specierum quarumlibet. Erant etiam serui cerarij, qui ceram & oleum ad luminaria conferebant. Liberti Ecclesiarum si sine liberis obirent, illorum hęreditatem capessebat Ecclesia, etiam eorum qui ex laica familia coram sacris altaribus forent manumissi, vnde immensi reditus & opes non pœnitendæ. Liquet ergo Ecclesiam olim multo ditiorem, atque potentiorem fuisse, nec esse quod sæculi homines residuum illi splendorem inuideant, quem si amittat necesse est Religionem, quæ nec opum ac diuitiarum illecebris commendata satis placet, hoc ornamento, quo maxime amatur à quibusdam, destitutam extremo fastigio ac contemptu squalescere.

SECVNDA PARS

DE REDITIBVS ET CENSIBVS ECCLESIARVM.

LIBER PRIMVS.

Digitized by Google

Digitized by Google



SECVNDA PARS

DE REDITIBVS

ET CENSIBVS ECCLESIARVM, LIBER PRIMVS.

De Decimis, Oblationibus & Primitijs.

PRÆFATIO.

QVOSCVNQVE cupiditati ſuæ honores humana proponat ambitio, nil vnquam meo iudicio ad majeſtatem altius, aut ad gloriam illuſtrius fingi poteſt, quàm Deo, apud quem omnia affluunt, largiri aliquid, & eum, cui ad magnitudinem & delicias deeſſe nil poteſt, ſibi muneris alicuius largitione facere debitorem.

Quantumuis ergo certet diuina munificentia profuſione donorum homines deuincire, magis certe commendatur apud nos eius pietas, caduca hæc noſtra ſumendo, quam ſua dando. Dominorum eſt largiri: hæc vna Principum virtus, quam abſque diadematum ſplendore & ingentis fortunæ gloriâ, imitari nemo feliciter poteſt. Regnat occul-

to imperio in hominum mentes benignitas, blande expugnat, amice vincit & seruitutis impositæ gratiam, etiam ab his quos superauit emeretur. Quid ergo homini iucundius aut gloriosius esse potest, quam habere, vnde blanditijs ac muneribus Deum vincat, cum quo sine scelere non potest de imperio ac potestatis magnitudine colluctari?

Etiam vberrimo fœnore humana in Deum liberalitas ornatur. Nam qui in pauperes spargit & calamitosos, ac ærumnis fatiscentes beneficiis leuat, hunc vnicus manet munificentiæ fructus, vt se dedisse iucundissima cogitatione meminerit, & cum omnes tacent, intelligat se benefecisse.

At, qui in Deum aliquid de suis opibus confert, nec ingratum, nec impotentem debitorem assequitur, qui si immerentibus ac sceleratis liberalem se exhibet, quanto magis certabit hominum dona ac largitiones opulentis gratiarũ torrentibus superare.

Cernimus post grandes pluuias cœlumque totum pene in imbres solutum, terram irrigari, glebas prius arescentes madescere, frondes æstu torridas noua viriditate indui, repullulare gramina, & mundum siccitate tabescentem resurgere. Post tantam cœlorum beneficentiam, quam gratiam terra syderibus rependit? quo se vestigio ac munere non ingratam significat? de tanti humoris copia, quam hiulcis visceribus hausit, moderatum exhalat vaporem, partem sui muneris cœlo restituit & abunde satiata tantillam pluuiarum ac imbrium partem in fumum halitumque resoluit: & tamen dicã ne tam iu-

eundam esse syderibus hanc suæ beneficentiæ retaliationem, vt ali vaporibus sydera, & quasi suauissimo nutrimento delectari nonnulli asseruerint.

Sed missis fabulis, tenuis ille & exilis vapor è terrâ emergens iterum materiam succedentibus pluuiis facit, & nescio quo naturæ ingenio, crescit in nubes immensas, & pares iis vnde enatus est.

Ita in reciproca mutuaque Dei & hominum beneficentia accidit: Angusta illa & mediocris frugum portio, quam decimarum titulo homines Deo referunt, materia est & exordium futuræ messis. Prima semina non ea sunt quæ terræ mandantur, sed cœlo. Seminat in Sacerdotum manibus Religiosus agricola, antequam siderum inclementiæ opes ac sudores committat: nec dubitat quin fructum ingentem ex iis manibus metat, in quibus Deus nascitur & suauissimi frumenti deliciæ momento maturescunt.

Ne itaque decimarum pigeat, nisi quos piget sub Dei imperio viuere & qui turpissimâ frenesi laborantes malunt sine fructu esse auari quam cum fœnore liberales. Quamobrem cum ista in Deum parsimonia nemini possit esse vtilis: spero non ingrata fore lectori, quæ de Decimarum pensitatione, iure antiquitate, necessitate sumus dicturi, præsertim cum nemo propriis commodis stilum mancipare me accuset, qui sciuerit res nostras æstimare, & animæ conditionem rimari.

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

De prophanis Decimis Varia decimarum genera, pœnales tributariæ, colonariæ. Decumanum tributum regibus pendi solitum. Turcarum decimæ. Militum duo genera Vlefedzij & Timariotæ. Distinctio inter decimas Dominicas & Parochianas. Regiæ Capellæ iura &c.

PROPHANARVM decimarum hîc necessario præmittenda tractatio, quâ omissa, decimæ sacrę & Ecclesiasticæ natura & conditio non posset satis intelligi. Itaque decimæ prophanæ vel pœnales sunt, vel tributariæ, vel colonariæ. Pœnales, quę in pœnam alicuius facinoris cōmissi irrogantur, vt cum milites in bello capti, propter arma aduersus fortiores aut fœliciores lata decumantur, id est, vnus è decem capite plectitur. Ita Appius Clodius exercitū ob ignauiam decimauit: Macrinus militum decimum quemque, ob seditionem interfecit.

Græci decimandos statuerunt qui Xerxi fauerant, apud Diod. Sicul. lib 9. Biblioth.

Fuit etiam in iudiciis pecuniariis vsu receptum istud decimæ pœnalis genus. Nam qui indebitam pecuniam ab alio mala fide postulasset, & ad soluendum condictione vadimonij compulisset, si caussa caderet, decimam pecuniæ in controuersiam adductæ, fisco Principis pendebat, in pœnam litis temerè & contra æquitatem institutæ. Eodem pacto qui creditori legitimo debitam pecuniam infitiabatur, eandem mulctam ęrario inferebat, postquam

sententia secundum actorem & creditorem fuisset dicta.

Hunc vero morem Athenienses seruarunt, apud quos in ipso litis exordio, partes, decimam rei in controuersiam adductæ deponebant; quam quidem amittebat qui litem temere mouerat, quę depositio παρακαταβολὴ appellatur à Græcis, vt notat Budæus in prioribus Annotationibus ad l. *posteriorem ff. de origine iuris*, talem vero consuetudinem apud Romanos desiisse refert Tribonianus *ff. hæc autem* inst. *de pœna temere litigantium*: sed eandem in vsu esse apud Monpessullanos in Curia parui sigilli testatur Rebuffus tractatu de decimis, quæst. 3.

Budæus in pandectas.

ff. hæc autem instit. de pœna temere litigant.

Rebuff. tractat. de decimis q. 3.

Decimæ tributariæ sunt, quas principes victis nationibus imperant, in specimen ac monimentum seruitutis. Ita Suidas refert Pisistratum Athenis durissima tyrannide pressis decimas imposuisse ex omni rustico opere persoluendas, δεκάτην τῶν γεωργουμένων ἀπῄτει τοὺς ἀθηναίους, à qua decimatione persoluenda fœliciter se exemit senex quidam, qui cum rupes asperas & terram omnino infertilem assiduo vomere perfringere tentaret & magnis sudoribus sereret, percontanti Pisistrato, Quid seminaret in solo tam infelice? respondit σφακέλους καὶ ὀδύνας, angustias & dolores. Hæc enim responsio tam libera occasio fuit Pisistrato, vt jocularem senem tributo decimarum eximeret, eo arbitror consilio, ne si senis istius agrum decimaret, decimam ærumnarum & dolorum capere cogeretur.

Suidas in voce σφάκελοι.

Agris prouincialibus populi Romani vt plüri-

mum Decumanum vectigal impositum: Vnde apud Ciceronem in Verrinis, agri Siciliæ non semel *Decumani* appellantur, & Appianus lib. 1. Belli ciuilis narrat populum Romanum agros publicos bello quęsitos, sed iniuria dissidii ciuilis neglectos, dedisse colonis fruẽdos, vtendos & possidendos ea lege, vt annuum vectigal publico penderent, scilicet decimam seminum omnium, quintam vero fructuum & pecorum, ac animalium tantam partem, quantam agrorum vbertas pateretur.

Cicero in Verrinis.

Appian. lib. 1. Belli ciuilis sub initium.

Agri omnium pene prouinciarum, quæ Turcarum imperio parent, Decumanum tributum exoluunt: nam milites, qui ad præsidium & tutelam prouinciis incubant, quotannis decimam partem fructuum stipendii nomine ex agris colligunt. Ita docet Leunclauius in pandectis Historiæ Turcicæ cap. 186. vbi elegantem militum Turcarum differentiam profert. Quidam enim eorum vocantur Vlefedzij, qui à quæstoribus ærarij publici, stipendium viritim accipiunt, quod illis per dies singulos persoluitur: iidem alio nomine dicuntur Olopaghi, quod suas stipes quotidie penitus exedant. Alij vero dicuntur Timariotæ, quibus Timar hoc est stipendium assignatur in prædiis & possessionibus in decimis seminum & fructuum: Timar vero corruptum est à Græco vocabulo τιμὴ quod honorem siue stipendium significat.

Leunclauius in pandectis Hist. Turcicæ cap. 186.

Idem porro Turcarum Imperator hæreditates suorum decimat, & licet defunctus abunde filiorum atque hæredum habeat, attamen bonorum omnium

omnium ipſe decimam præcerpit, ita miſeri eiuſdem Imperatoris & mancipia ſunt & cohæredes.

Apud Romanos olim lege Pappia cautum erat, vt donationum inter virum & vxorem decima pars fiſco inferretur, quoties nulla matrimonij pignora, nulli hæredes interueniſſent: quam legem ſuſtulerunt Imperatores Honorius & Theodoſius, ſtatuẽtes vt, ſeu vir, ſeu vxor, tantum ſibi mutuo relinquere poſſent, quantum vis & magnitudo amoris pateretur.

L. inter viros Cod. de infirmandis pœnis cœlibatus lib. 8. tit. 58.

Apud Gallos vero certum eſt agros tributarios vt plurimum decimam fructuum Principi expendiſſe. Inde forſan natę ſunt decimæ Dominicæ, quæ à ſacris decimis & Eccleſiaſticis omnino diſtinguntur: quia decimæ ſacræ debentur titulo pietatis, ac Religionis; decimæ Dominicę debentur titulo ſubjectionis & dominii: Decimę ſacræ debentur Sacerdotibus, & ſaltem non ſine ſummorum Antiſtitum aſſenſu transferri poſſunt in alienam manum. At decimæ Dominicæ ex mero pendent arbitrio Principis, poſſuntque incõſultis Sacerdotibus & Religionum præfectis vendi, donari, alienari.

Prima opinio de Dominicis decimis.

Tandem decimas ſacras & Eccleſiaſticas Eccleſiæ agri dotales & proprii non ſoluunt, at decimis Dominicis & Regiis etiam Eccleſiæ agri obnoxij eſſe poſſunt, niſi Principis munificentia tributum iſtud in fauorem Religionis eiurarit, vt oſtendimus loquendo de terris & manſis tributariis. Fuiſſe autem eiuſmodi decimas Dominicas diſtinctas à ſacris & Eccleſiaſticis, patet ex Concilio Meldenſi ſub

Concilium Meldense sub Carolo Caluo. can. 75.

Carolo Caluo Canone 75. Vbi diserte secernuntur decimæ Dominicæ à Parochianis & sacris, ex eo quod Dominicæ à Rege traditæ sint in dotem Capellarum Regiarum. Nam prout regi libuisset, Capellam erigere licebat cum assensu Antistitum, eam vero extructam dotabat Dominicis decimis: at quia Reges nonnunquam earum Capellarum curam tradebant laïcis, in beneficium & stipendium: id ægre ferentes Patres Concilii Meldensis hortantur Principem vt Capellas suas, si fieri possit deinceps viris Ecclesiasticis committat, sin minus laici, qui Capellas regias occupant; solas Dominicas percipiant decimas, Parochianis decimis in solidum Presbytero Ecclesiæ relictis. *Indignum valde est, vt qui in Regia dignitate cæteros Ecclesiæ filios auctore Deo præcellitis, negligentius quæ Dei sunt exequi videamini. Vnde dignum erat, vt Capellas villarum vestrarum laicis non committeretis; sed potius illis, qui & eadem sacrata loca religiosius tractarent, & vobis exinde adiuti obsequium debitum impenderent. Sed quia aliter causis interuenientibus res se habere dignoscitur, monemus & hortamur, vt secundum canonicam auctoritatem, ne quod absit periculum interdicti an athematis; ex decimis præsumptis incurratis, si Capellas vestras Presbyteris, aut viris Ecclesiasticis dederitis, & Dominicas decimas acceperint, sarta tecta Ecclesiæ & luminaria exinde competenter prouideant, & Presbyteri Parochianas decimas accipiant, & populi necessitatibus debitè inuigilent. Si autem laici Capellas habuerint, à ratione & auctoritate*

alienum habetur, vt ipsi decimas accipiant, & inde canes aut gyniciarias suas pascant. Sed potius Presbyteri Ecclesiarum eas accipiant & inde restaurationem Ecclesiarum, & luminaria, & hospitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro vobis ac statu regni vestri Domini misericordiam studiose implorent.

Beatus Rhenanus rerum Germanicarum lib. 2. Dominicarum decimarum meminit, easque distingui non modo à Parochianis & sacris decimis, sed etiam à rebus & bonis Ecclesiasticis agnoscit. *Res Ecclesiarum in beneficiis & ex liberalitate regia possidebāt nobiles, etiam Dominicas decimas, quæ ad sacella regia pertinebant, diuersas à Parochianis.* Beat. Rhenan. lib. 2. rerum Germanicarū.

Decimas vero Dominicas fuisse canonem & vectigal regi solitum persolui etiam ex Ecclesiasticis prædiis, constat ex constitutione Clotarii Regis, ad annum Christi 560. & habetur tomo 1. Conciliorum Galliæ operâ doctissimi Syrmondi collectorum. In ea enim constitutione reprimit Clotarius quorundam decimatorum insolentiam, qui ex agris, pascuis & gregibus Ecclesiæ decimas exigebant: quorum hominum rapacitati vt haberet Ecclesia quod obijcere posset, solenni diplomate Rex optimus edixit ne in posterum decimæ Regiæ ab Ecclesiæ prædiis sumerentur. *Agraria*, inquit, *pascuaria vel decimas porcorum, Ecclesiæ pro fidei nostræ deuotione concedimus: Ita vt actor aut decimator in rebus Ecclesiæ nullus accedat, Ecclesiæ vel clericis nullā requirant agentes publici functionem, qui aui vel genitoris aut germani nostri immunitatem meruerunt.* De porcorum ad- Constitutio Clotar. ann. 560. tom. 1. Concil. Gal.

missione in syluas glandarias sub conditione decimarum multa continent leges Visigothorum tit. 5. *de pascendis porcis & animantibus errantibus denunciandis*. Quamobrem cum ex dicta Clotarij Constitutione manifestum sit regibus olim certum canonem ex agris & pascuis pensitatum, & decimas animalium persolutas: probabile est Dominicas decimas ex iis pensionibus constitisse.

L. Visigoth. tit. 5.

Existimo vero aliter posse intelligi, & Dominicas decimas nil aliud fuisse quam decimas prædiorum, quæ Regi titulo domanii competerent; Nam quia Rex nullius Parochiæ subjacet, sed Capellanos habet, quibus cura animæ suæ demandata est. Idcirco Regis arbitrium erat decimas suas, cui vellet tribuere, & Capellis à se intra fines regiorum prædiorum constructis vindicare. Inde natum discrimen Parochianarum & Dominicarum decimarum. Eam vero fuisse regiorum Capellanorum prærogatiuam, vt animæ regis curam gererent, docet manifeste diploma fundationis Capellæ Diuionensis, quæ erecta est ad instar Capellarum Regiarum, per Hugonem tertium Burgundiæ Ducem, anno 1172. in qua quidem fundatione hæc leguntur. *Nec Dux nec Ducissa Capellanum habebit, nisi decanum Capellæ vel aliquem de Canonicis ipsius, qui videlicet decanus vice Domini Papæ curam animæ Ducis & animæ Ducissæ debet habere, sicut in presenti habet curam animæ meæ Nicolaus Capellanus meus & decanus Capellæ, quam curam ipse, à Domino Papa Alexandro sumpsit.* Quo vero gradu fuit postea decanus Capellæ Diuionensis

Alia expositio Dominicarum decimarũ.

Apud Aubertum Miræum legitur hoc diploma.

Digitized by Google

apud Ducem Burgundiæ, eo fuerant longe ante in familia Regis Archicapellani. Illi enim coram Principe sacris mysteriis operam dabant, eiusdemque animæ sollicitudinem gerebant, denique totum Clerum Palatinum suis legibus moderabantur vt constat ex Hincmaro Remensi epistola 3. ad quosdam Franciæ Episcopos, in qua dignitates omnes & officia curiæ accuratè depingit. Clerus itaque Palatinus nemini nisi Capellæ magistro parebat; vnde Concilium Moguntinum tres Clericorum classes facit, quorum alii sunt sub Episcopo, alii sub Abbate, alii in seruitio Domini Regis. Ex quibus patet Regem, suum Clerum habuisse, suosque Sacerdotes ab omni auctoritate superioris Episcopi liberos: Proinde cum Capellarum Regis, & Capellanorum eadem sit conditio, vt Capellani seorsim Clerum conficiebant, ita & Capellæ singulæ exiguam veluti Parœciam componebant ac Diœcesim, ad quam decimæ Regiorum prædiorum spectabant, quas propterea Reges nutu suo dispensabant, dabantque vel Ecclesiasticis, vel laïcis: atque ita facile est sensum Canonis Meldensis assequi & distinguere inter decimas Dominicas & Parochianas.

Hincmarus Rem. ep. 3.

Concilium Moguntinū c. 22. de clericis vagis.

Huic vero interpretationi fulciendæ, sæculi prauitas & Magnatum eius ætatis superbia non mediocriter conferunt. Namque labente tantisper disciplina Ecclesiæ & reuerentia sacri ordinis ab animis nobilium excussa, suis decimis sibi ad libidinem vti licere Proceres arbitrabantur. Propterea si alicuius Ecclesiæ licet propriæ & Parochialis Sacerdotes

inuisos nec satis gratos & amicos haberent: Illis odio impio & nefario suas decimas eripiebant, & alteri Ecclesiæ, cuius fortasse ministri sibi gratiores essent & chariores eas donabant. Insuper nonnunquã oratoria in suis prædiis construebant, ad similitudinem Capellarum, quas in villis suis Rex habebat, putabantque se posse istis oratoriis suas decimas contradere.

Capitulare Caroli magni datum ad Saltz, tom. 2. Cóc. Galliæ.

Hinc tot Canonibus & sanctionibus Regiis aduersus eam transferendarum decimarum licentiam pugnatum est, vt nemini dubium esse possit hunc errorem & morbum grauem ac violentum fuisse. Capitulare Caroli Magni, anno 4. Imperii datum ad Saltz, expresse prohibet, ne oratoriis magnatum liceat decimas adscribere, & antiquiores Ecclesias nouarum Basilicarum intuitu spoliare. *Quicumque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare, cum consensu & voluntate Episcopi, in cuius Parochia fuerit, licentiam habeat. Verumtamen omnino prouidendum est, vt alię Ecclesiæ antiquiores propter hanc occasionem, nullatenus suam iustitiam aut decimam perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persoluantur.* Capitulare Ludouici Pii Imperat anno 828. *Quicumque decimam abstrahit ab Ecclesia, ad quam per iustitiam dare debet & eam præsumptuose vel propter munera aut amicitiam vel aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, à Comite vel à misso nostro distringatur & eiusdem decimæ quantitatem, cum sua lege restituat.* Denique Capitularium Caroli & Ludouici Imperatoris per Ansegisum collectorem lib. 2. cap. 36.

Capitulare Ludouici Pii ibid.

idem error prohibetur. *Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec alijs possessionibus priuentur itaut nouis Oratorijs tribuantur.* Cum ergo ea ætate nobiles id sibi iuris insolenter arrogarent, vt nempe in prædiis suis propria haberent oratoria, quibus suas persoluerent decimas: quid mirum si quod Ecclesia in istis cohibuit, attamen istud idem Capellis Regiis tanquam insignem prærogatiuam & singulare priuilegium indulsit, præsertim cum Rex perpetuo fuerit à reliquo Parochianorum grege secretus, nec ordinariis pastoribus villanorum more subiectus. Itaque cum Ecclesia Gallicana aduersus Dominicas decimas insurgit non tam rem carpit & consuetudinem, quam vitium rei & consuetudini insitum. Non solum enim decimas suas à Parochianis Reges secernebant, sed etiam vtendas, fruendas credebant laïcis & prophanis hominibus, qui Capellas & ædes sacras sordescere, labi, dissipari & omnia in fœdissimam ruinam solui negligentissime patiebantur: dum interim luxuriem suam & ambitionem decimarum prouentu alerent, & Christi impensis ac stipendio dæmoni tamen & sceleribus militarent. De cuius morbi remedio cogitabat Ludouicus Pius Imperator: cum inter capitula quæ in conuentu Episcoporum discutienda decernit, istud ante omnia constituit de decimis, quæ ad Capellas Dominicas dantur, & hominibus qui eas habent & in vsus suos conuertunt. To. 2. Concil. Gall.

Tertium genus decimæ prophanæ illud est quod Colonarium appello. Nempe vt plurimum coloni Tertium genus decimarum.

decimam partem fructuum, Canonis nomine pendebant Dominis prædiorum, & vt ita loquar proprietariis: quam præstationem summam & exactissimam esse voluit Iustinianus, vt constat ex eiusdem colonariis legibus per Harmenopulum excerptis tit. περὶ μορτῆς, l. 2. μορτίτου μέρος δεμάτια ἐννέα, χωροδότου δὲ μέρος δεμάτιον ἕν, ὁ δὲ ἐκτὸς τούτου μεριζόμενος, ἐπικατάρατος. *Partiarij coloni pars, nouem sunt fasciculi: Domini portio, qui fundum dedit, fasciculus vnus, qui extra hæc partitionem fecerit execrabilis esto.*

Leges colonariæ per Harmenopulum excerptæ apud Leunclauiũ to. 2. p. 258.

Leges Baiuuariorum eundem canonem Ecclesiasticis colonis pendendum imperant, nempe *de triginta modijs tres, decimum fascem de Lino, de Apibus decimum vas.* Agnoscit & eandem colonariam decimam Argentræus ad articulum ducentesimum sexagesimum sextum consuetudinis Armoricæ. *Vtitur*, inquit, *hac Regio certo contrahendi genere, quod Terragium appellant Latinè verbum pro verbo Solarium dixeris: vsus est, cum prædia fere inculta colenda certis colonis tribuuntur perpetuo, aut vero temporario iure, lege dicta, vt in annos singulos, decima fructuum auctori rependatur.* Cum ergo vsitatissimum fuerit istud decimæ colonariæ genus apud antiquos, caute prospiciendum est ne inter legendum decimæ colonariæ cum sacris confundantur. Sæpe enim cum hunc aut illum nobilem narrant decimam dedisse Ecclesiæ, præpostera cogitatione statim venit in mentem Ecclesias ex beneficio nobilium & munificentia optimatum decimas accepisse: cum tamen decimæ istæ, quas Domini prædiorum Ecclesię intulerunt

Argentræus ad art. 266. consuetud. Britannicæ p. 1130.

intulerunt, fuerint decimæ Colonariæ, quas ipsi iure proprietatis percipiebant. Vnde colligo in quibusdam partibus fieri potuisse, vt Ecclesia geminas obtineret decimas, Sacras nempe & Ecclesiasticas: Laïcas titulo Religionis, prophanas verò titulo dominij temporalis & proprietatis fundorum sibi nobilium beneficentia condonatæ.

CAPVT II.

De Decimis sacris quo iure debeantur. Probatur deberi iure diuino naturali decimas, Primitias, & Oblationes.

NOn est nouum ad Dei honores dæmonem anhelare, & cum eius Maiestate ac legitimis honoribus, fastu & superbia colluctari. Nil solent Tyranni de sincerę potestatis gloria remittere & cũ iure regnare non possint, seueritate dominatum firmant, & negatam reuerentiam eò atrociùs plectunt, quò magis intelligunt sibi non deberi. Quippe sentiunt populos, si quando suis legibus præuaricantur, non tam errore humano labi, quam odio vsurpatæ potestatis rebellare.

Quid mirum ergo, si decimarum Religione iniquissimum olim Principatum dæmon illustrarit? noluit sibi quidquam deesse ornamenti, quod diuina Maiestas aliquando possideret: vt si non auctoritate, saltem temporis prærogatiua Christum

Digitized by Google

anteuerteret & insito sibi fastu gloriari posset, se omnes eius honores, anteriore imperio prægustasse. Inde cogitationem immisit paganis nil faustum, nil auspicatū cedere, nisi Numinibus pollicitatione decimarum conciliatis. Quamobrem quotquot erant lucri aucupes, mercatores, propolæ: illi sui compendii & commodi decimā Herculi vouebant, quò tanto Heroë in societatem lucri vocato, facerent, vt Numinum quoque interesset, res suas & commercia fortunâ secundiore promoueri. Id vero factum liquet ex *l. si quis rem aliquam §. si decimam ff. de pollicitationibus*. Propterea eam portionem veteres *Herculanam* vocant, Varro lib. 5. de lingua Latina, Cicero lib. 3. de Nat. Deorum. Græci Delphico Apollinis decimas sacrabant: Hinc Xenophon in Oratione de laudibus Agesilai, scribit ipsum de subactis agris, ac regionibus decimam centum talentorum Delphico Deo consecrasse intra duorum annorum spatium. Ἐν δυοῖν ἐτοῖν πλέον τῶν ἑκατὸν ταλάντων τῷ θεῷ ἐν Δελφοῖς δεκάτην ἀπέθυσε.

Herculanæ decimę meminit Tertull. in Apolog. c. 39. Cicer. lib. 3. de Nat. Deorum.

Herodotus lib. 1. scribit Crœso monente Cyrum decimam hircorum omnium Ioui reddidisse: Idem lib. 9. ait Æginetas victo tandem ad Plateas, Persarum exercitu, decimam spoliorum Diuis persoluisse. Cyrus eodem exemplo, cum opulentissimam Lydiorum vrbem expugnasset, iussit ad portas vrbis, milites quosdam excubias agere ac prohibere ne quid spoliorum efferretur, priusquam decimam, Diuorum clementiæ debitam præcerpsisset. Decimā thuris apud Sabæos Sacerdotibus pen-

Herodot. li. 1. & lib. 9.

Google

dunt, nec ante licet exportare, aut mercari, quam sacri Antistites decimam legerint, & Deorum honorem, eorundem ministri prælibarint. Plin. lib. cap. 15.

Non ergo apud solos Israelitas viguit Religio decimarum, nec soli eorum Sacerdotes hunc censum suis commodis adscripserunt: quibuscũq; Numinis alicuius seu veri, seu commentitij opinionem quandam ac informationem natura insevit, illi omnes nostrarum fortunarum parte aliqua Deum esse colendum donandumque censuerunt, qui licet humanis largitionibus ditescere nesciat, amat tamen muneribus nostris quasi vinculis quibusdam necti, & ad benefaciendum, etiamsi nollet, obligari.

Quo autem iure debeantur decimæ inquirendum. Ac primo ne quid supersit dubij, seiungenda est decimarum substantia, à quota earumdem parte. Substantiam appellamus portionem quandam fructuum confusam ac indefinitam, quæ Deo penditur: quotam vero nominamus determinatam quantitatem, puta vt ex decem fasciculis decimus, vel ex duodecim duodecimus persoluatur. Quo prænotato. Censeo Decimas, nec-non Primitias, Oblationes, ex informatione iuris naturalis promanasse: nec modo præcepto quodam ac imperio diuino inniti, verum è naturæ disciplina doctrinâq; tacita eruditione omnium animis infusa prodiisse. Vnde enim Gentium omnium consensus, & publica conspiratio, in Decimis, Primitiis & Oblationibus Deo consecrandis, nisi è communi omnium Gẽtes omnes in decimis consentiunt.

magistra natura processit, quæ vt auctoritate aliqua nutuque Superioris mundum regi suadet: Ita huic, obsequio ac officio litandum prædicat. Hæc enim officia & significationes proni ad seruiendum animi si auferantur, necesse est hominem perpetuâ sui auctoris obliuione teneri & seipsum sui arbitrum ac rectorem iniquissimo fastu ostentare.

Quo titulo Deo debentur decimæ & Primitiç.

Deus est simul Dominus fundi & Colonus.

Licet vero vnicus sit Deus & mentem ac personam mutare nesciat: attamen vbi homini fauendum est, omnem frontem vultumque induit: agrorum dominus idemque colonus est. Etenim & manu ingeniosa campos in planitiem extendit, fecitque verbo totum illud terrę spatium, è cuius sinu statis temporibus segetes emergunt, pullulant plantæ, fructus denique tam varii ad hominum delicias & satietatem oriuntur. Idem vero agros à se conditos & expansos, nunquid sedulus nauusque colonus exercet? immittit pluuias, inducit riuulos, calorem æstumque transfundit: & quidquid seu ramis pendulum, seu aristis obsitum, seu vaginis inclusum, seu arbustis affixum, seu humi decubuum terra progerminat, id totum opus est Dei. Huius manu cessante frustra serit agricola, frustra sentes dumosque resecat, frustra sudoribus campum rigat, è quo, citra Dei opem, hil præter ærumnas meteret & fastidia. *Neque qui plantat, neque rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Cum ergo geminam diuina magnitudo personam sustineat & Domini agrorum & eorundem Coloni: Ita quoque duplex lucrum, commodum-

Digitized by Google

que iure merito poteſt ex iiſdem repetere. Primum ratione dominij, ſecundum ratione culturę & operę in exercendis terris nauatæ. Quare ſi Dominis prædiorum, ratione proprietatis, decima penditur vt oſtendimus: an eadem erit Deo deneganda; cuius ea omnia ſunt propria; quæ precario tantum & ex indulgentia ab hominibus poſſidentur? De Primitiis eadem ratio inſtituenda eſt. Nam ſi Colonis partem fructuum ſubducere ſcelus eſt, & eorum operas ingrata parſimonia fruſtrari: certe Dei beneficium impia cæcitate ignoret neceſſe eſt, quicunque primitiàs ei ſubtrahit, cuius ſole & pluuijs fruges noſtræ aluntur ac matureſcunt. Eam rationem Primitiarum Deo ſoluendarum agnoſcit Philo Iudæus libro. Quis rerum diuinarum hæres ſit. *Quod autem*, inquit, *Primitias poſtulat, id ad erudiendos nos facit; Nam reuera corporũ ac rerum Primitiæ Deo debentur. Id ſi ſcire vis. Conſidera ſtirpes, animantes, artes, ſcientias. Prima ſtirpium ſemina ſunt ne agriculturæ an inuiſibilis naturæ opera, quid hominum cæterorumque animalium generatio? nonne parentum operam habet acceſſoriam antiquiſſima veraque eius cauſſa natura eſt &c.* πρῶται τῶν φυτῶν σπερματικαὶ καταβολαί, γεωργίας, ἢ τῆς ἀοράτου φύσεως εἰσὶν ἔργα. Iſta ergo ſunt Primitiarum ac Decimarum fundamenta.

Quod ad Oblationes pertinet, mihi videntur Deo deberi, titulo læſæ atque offenſæ eiuſdem Maieſtatis: nam cum eius clementiam continuo ſcelere laceſſimus, cœlumque ſtultitia petentes, ponere fulmina non patimur (vt cum Prophano loquar) Quo titulo debentur Oblationes.

Digitized by Google

Certe demulcendæ atque pacandæ cœlestis iracundię rationes aliquas inuenire oportuit, quibus inflictæ auctoritati Numinis iniuriæ sarcirentur. Eam vero artem leniendi iustam cœlorum indignationem, præbent Oblationes ac munera aris admota, præsertim si mutata mente & castigatis moribus ad sacrum puluinar lachrymis perfusus peccator accedat, & cum fragili donario mentem adferat meliora meditantem. Cum ergo iure naturæ Deus dominium terrarum omnium habeat, cum ex eodem iure Colonis operarum fructus debeantur, cum necesse sit iniuriam factam vel ære, vel corpore luere, & cum pacare offensum pars sit æquitatis naturalis: Hinc concluditur Decimas, Primitias & Oblationes, non esse præcepti alicuius diuini, sed informationis naturalis: adeoque non alio titulo teneri homines, ad hæc officia Pietatis ac Religionis pręstanda, quam ad Deum colendum & adorandum.

Secundò idē è Philosophicis principijs probatur. Quippe docet Aristoteles Politicorum l. 1. cap. 5. quasdam seruitutes ortum habere à natura, cuius hoc suffragium est, vt deterioribus imperent meliores, ἐκ γενετῆς ἔνια διέστηκε, τὰ μὲν ἐπὶ τὸ ἄρχεσθαι τὰ δ' ἐπὶ τὸ ἄρχειν, &c. Si ergo seruitutis iugo natura quosdam subdidit, voluitque imbelles, sceleratos, flagitiosos, amentes, strenuis bonis ac ingeniosis famulari. Quanto ęquius est hominē, Deum summè bonum, & bonorum omnium fontem colere, eidemque assiduo mancipatu deseruire. At seruitium & famulatum quicumque debet, cum neces-

Arist. lib. 1. Polit. cap. 5.

se est obsequii sui significationem edere, & certis indiciis profiteri. Si ergo feudorum domini certa imperarunt obsequia suis hominibus, quæ licet cessarent, nihilo tamen dominus feudi pauperior esset ac infelicior? Cur non homines Diuinæ Maiestati in supremi dominatus testificationem, certam bonorum suorum partem exoluent,& fidem ipsi ac clientelam certis pignoribus spondebunt? Ea olim fuit mens Augustini seu alterius antiqui Patris de rectitudine Catholicæ cóuersationis tractat. 20. *Vnusquisque de quali ingenio vel artificio viuit, de ipso decimam Deo in pauperibus vel Ecclesiis donet. Consideret quia omnia Dei sunt per quæ viuit, siue terra, siue flumina, siue semina, vel omnia quæ sub cœlo sunt, vel super cœlos. Et si ipse non dedisset nil vtique haberet. Nam Deus, qui dignatur totum dare, decimam de suo dignatur nobis repetere, non sibi penitus sed nobis profuturam, sicut & ipse promisit per Prophetam dicens. Inferte* inquit, *omnem decimationem in horreis meis & probate me in eis dicit Dominus, si non aperuero vobis fructus quæ possidetis super terram.* Eandem pene sententiam repetit, Serm. 219. *Propitio Christo, fratres charissimi, iam prope sunt dies in quibus messes colligere debeamus, & ideo gratias agentes Deo, qui dedit de offerendis, imo de reddendis decimis cogitemus: Deus enim qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis profuturam.* quibus locis Augustinus obligationem decimarum soluendarú deducit ex iusto dominio, quod Deus in res vniuersas obtinet, ratione cuius non tam Deo aliquid

Augu st. seu quis alius de rectitu. Cathol. conuersat. tract. 20. tom. 9.

Malach. 3.

Aug. serm. 219. alias 220. to. 10.

Digitized by Google

donare censentur mortales; cum decimam ei tribuũt; quàm Deus, ipsimet nouem partes residuas de rebus sibi propriis & acquisitis relinquere. Hinc decimarum negatarum iniuriam Hieronimus Deo infligi censet, cuius beneficiis in posterum dignus non habetur, qui ipsius munificentiam turpi parsimonia dedecorat, & flagitiosa tenacitate, Domini tam liberalis gratiã, renuit parte aliqua acceptarum opum emereri. *Quod de decimis*, inquit, *primitijsque diximus, quæ olim dabantur à populo Sacerdotibus ac Leuitis, in Ecclesiæ quoque populis intelligite, quibus preceptum est non solum Decimas dare & Primitias, verum etiam vendere omnia quæ habent & dare pauperibus, & sequi Dominum saluatorem. Quod si facere nolumus saltem Iudæorum imitemur exordia, vt pauperibus partem demus ex toto, & Sacerdotibus ac Leuitis debitum honorem deferamus. Vnde dicit Apostolus, honora viduas, quæ vere viduæ sunt, & Presbyterum duplici honore honorandum, maxime qui laborat in verbo & doctrina Dei. Quod qui non fecerit Deum fraudare & supplantare conuincitur, & maledicitur ei in penuria rerum omnium, vt qui parce seuerit, parce & metat, & qui in benedictione seminauerit, in benedictionibus colligat abundanter.* Ita Hieron. in Zachar. cap. 3. to. 6.

Hieron. in Zachariam cap. 3. to. 6.

Matth. 10.

1. Cor. 5.

Tertium argumentum quo probatur decimas esse iuris naturalis.

Tertium argumentum, ad probandum decimarum obligationem esse de iure naturali, ipsa consuetudo etiam ante legem omnem recepta, vsuque cõfirmata subministrat. Antequam enim vllus esset Sacerdos, qui partem & portionem fructuum capere posset, & in suum commodum conuertere, primis

mis hominibus visum est diuinam Maiestatem muneribus ac Decimis conciliare: Hæc prima Pietatis ac Religionis monimenta in sacris reperiuntur codicibus: cum duo fratres, fortasse soli præter Adamũ & Euam mundi incolæ, de gregibus suis ac fructibus munera obtulerunt Domino. Quid enim fuerunt Oblationes Caim & Abelis, nisi initia quædam & auspicia Decimarum? Ex quibus infero Decimas & Oblationes non deberi tantùm eo nomine, vt ex iis ali possint Sacerdotes, & qui Sacris præsunt sua inde commoda captare. Nam antequam vlli essent rebus Sacris præfecti, quibus oporteret victum à populo ministrari, iam tum vigebat consuetudo quædam, certam portionem frugum atque animantium Deo consecrandi. Neque ea tantum apud Plebeios piè ac religiosè culta est. Sed apud Principes ipsos viguit Abrahamũ nẽpe, qui, vt paucis dicam, armatus, victor & triũphali exercitu circumfusus, Decimas persoluit Sacerdoti Melchisedech, in quo Sacerdotij Euangelici origo, vmbraque delitescebat. Pudeat itaque nostri temporis fastuosos quosdam & insolentes homuncios, titulo Nobilitatis ficto certe & inani gloriantes, aduersus tam religiosam pendendarum Decimarum consuetudinẽ minis atrocibus, truci supercilio & familiâ ad Domini libidinem tumultuante obluctari: Pudeat armis, ensibus & plumato vertice imbellibus vicariis, & timidulis curionibus metum ac pallorem incutere. Pudeat villicis ac colonis suis nefarias fraudes, ac impia furta suadere: Non Sacerdotibus sed Deo

Quorũdam nobilium fastus in Decimis retinendis.

rapitur, quidquid è Decimis perit. Fruges Sacerdotum in nobilium horrea comportatæ semina sunt egestatis ac penuriæ, ad quam dissipatis stemmatibus, & Nobilitatis luce multis sordibus obductâ, plerumque non alio, quam suæ auaritiæ fato compelluntur.

Merito ergo in rapinas fraudesque laïcorũ Decimas decurtantium, inuehitur Innocentius III. Epist. ad Vercell Episcopum, demonstratque iniuriam his latrociniis, non hominibus, sed Deo irrogari, cuius nomine & auctoritate Decimæ colliguntur. *Cum*, inquit, *Deus cuius est terra & plenitudo eius orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo, deterioris conditionis esse non debeat, quàm Dominus temporalis, cuius statutum de terris, quas exhibet aliis excolendas nequidem deductis sumptibus, aut semine separato necessario cum integritate persoluitur, nimis profectò videtur iniquum, si Decimæ quas Deus in signum vniuersalis Dominii sibi reddi præcipit, suas esse Decimas & Primitias asseuerans, occasione præmissa, vel excogitata magis fraude diminui valeant.*

Innocent. III. cap. tua nobis de Decimis.

Ea certe amplissima nobilium laus erit, si Deo se mancipatos, ac vectigales agnoscant, in quem auarum esse scelus est, dum insanis largitionibus munificentiæ gloriam apud homines aucupãtur. Ideoque Patres perpetuos laudant Christianos & Principes viros eo maxime capite quod Decimas & Primitias religiose persoluant.

Non est itaque arbitrandum Decimarum leges temporarias tantummodo extitisse, & dissoluto

Mosaïcæ legis testamento euanuisse. Ante legem Decimæ fuerunt, earumque iura non tam Christi Euangelio extincta quam confirmata. Ita sentit Clemens Romanus Constit. Apostolicarum lib. 2. cap. 39. Vtiturque argumento Christi, qui iustitiam Christianorum vult Scribarum & Pharisæorum pietati, multis spatiis anteire. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum.*

Clemens Rom. lib. 2. Const. c. 39.

Ambrosius Serm. 33. præstationem Decimarum inter illustriores Christiani hominis notas annumerat. *Non nobis*, inquit, *sufficit quod Christianum nomen præferamus, si opera Christiana non facimus: Decimas nostras annis singulis de cunctis frugibus pecoribus erogandas præcepit Dominus.* Et Sermone 58. *Ille vere bonus est Christianus, qui furtum non facit, falsum testimonium non dicit, qui non mentitur, qui adulterium non committit, qui ad Ecclesiam frequentius venit, qui de frugibus suis non gustat, donec aliquid ex ipsis Deo offerat, qui Decimas Deo annis singulis, erogandas pauperibus reddit, qui Sacerdotibus suis honorem impendit.*

Ambrosius Serm. 33.

Ambrosius Serm. 58. to. 5. operũ.

Digitized by Google

De quota Decimarum. An sit iuris diuini an vero Ecclesiastici.

CAP. III.

ETsi nemo sit, modo vel mediocriter Religionem curet qui audeat inficiari obsequii nomine aliquid Deo consecrandum, & tantorum auctorem beneficiorum, grati animi significatione quadam excipiendum. Plures tamen sunt qui aduersus Decimas insurgunt, quod dicant eam portionem fructuum nimis amplam esse, atque vberem, neque tam opimis reditibus Ecclesiæ Sacerdotes egere, vt vitam ducant commode, cuius voluptates ac delicias ieiuniis, & austera corporis disciplina tenentur eluctari. Paruo constant & facile parantur, quæcunque natura ad vitæ munimentum postulat. In deliciis & superfluis magni reditus pereunt: ad luxuriam fastumque opulentia vocat: vt solent blandi ac sereni soles, homines suis plerumque subducere laboribus, & ad ruris amœnitatem totis sensibus libandam euocare.

Argumenta quibus quota Decima impugnatur.

Huic suæ opinioni quædam argumenta velut Atlantes supponunt. Primum est, in Ecclesiæ nascẽtis exordio, vnde Euangelii puritas maxime petenda est, istam Decimarum Sacerdotibus soluendarum consuetudinem fuisse inauditam. Dicunt solitos fuisse veteres Christianos, pro feruore pietatis stipes liberas, & iniussas in commune ærarium con-

ferre non per modum vectigalis, sed misericordiæ & benignitatis: ita enim loquitur Tertullianus à nobis citatus, lib. 1. huius operis, c. vltimo. Itaque Oblationes Christianorum olim beneficia fuere non census, charitates non debita, eleemosinæ non tributa. Non illic Prætoris imperia, non tribunalium metus, non lictorum turba stipes exigebat. Huic præstationi vna præsidebat pietas, quam ne violasse quidem credebatur, qui pecunias suas Sacerdotibus negabat, modo mentis bene compositæ affectus, & studia Deo consecraret. Ergo inquiunt à maiorum disciplina defecere, qui per vadimonia, & lites, Decimas à miseris, & squallentibus rusticis quærunt: eosque cogunt Sacerdotibus alimenta erogare, quorum frontibus fames, & penuria maciem & pallorem induxit.

Secundum argumentum petitur è numero Clericorum. Etsi enim aliquid dandum esset Clericis alimenti nomine: etsi parendum Paulo qui neminem cogit suis stipendiis militare. Attamen habenda ratio est multitudinis & numeri. Videndum quota pars generis humani sint Clerici: quis vero eos Decimam hominum partem conficere audeat profiteri? quis supra Curionem nouem tantum esse Parochianos asserat. Inutiles ergo sunt tâti reditus: nisi Clericos velimus naturæ ipsi oneri esse, & eá plus in vno ipsorum educando, quam in ingenti aliorum hominum turba nutrienda laborare.

Secundum argumentũ aduersus Decimas.

Tertium argumentum petitur ex Annalibus ac historiis, quibus proditur Ecclesias complures, De-

Tertium argumẽtum.

cimarum iura ac proprietatem, à prophanis ac laïcis accepisse. Qui monimenta Monasteriorum consulet, nil inueniet frequentius, quam hunc aut illum militem, Baronem, Comitem, Decimas certorum prædiorum Ecclesiis Monachorum deuouisse; Si ergo debet munificentiæ, ac beneficio laicorum Ecclesia quod Decimis potiatur; Concludendum Decimas non ex præcepto quodam diuino, sed ex religioso consensu gentium, atque Prouinciarum dimanasse. Iam vero multæ sunt Regiones, in quibus non Decima, sed portio quædam multo minor leuiorque penditur (vt deinceps patebit) non ergo iuris diuini est decima: quia iuri diuino addere aliquid, aut detrahere nefas est: vetatque Religio illud pro arbitrio hominum flecti ac commutari.

Ea sunt argumenta, quibus Decimarum legem, vt plurimum aggrediuntur. Quibus quid sit respondendum tandem inspiciamus. Certe iure diuino naturali deberi, definitam istam portionem, nempe Decimam, nemo audeat asserere. Si ergo diuini iuris est Decima, etiam quantùm ad quotam, præceptum aliquod positum sit à Deo necesse est, quo pars ista nominatim Sacerdotibus soluenda decernatur. Duo autem eiusmodi præcepta reperiuntur: primũ in antiqua lege, posterius in noua. Præceptum antiquæ legis de soluenda Decima forsan credetur abrogatum; sed falsò. Nam cum tria præceptorum genera lex vetus habeat, Ceremonialia, Iudicialia & Moralia: Priora duo extincta sunt: Ceremoniæ,

An obligatio Decimarum sublata sit in lege Euangelicâ.

quia erant vmbra futuri Euangelij, ideo orto sole, oportuit eas solui, ac diffluere. Iudicia quoque eodem fato cessarunt. Quippe iudiciorum ratio spectat ad regimen Gentis alicuius ac Reip. Idcirco vnaquæque gens & natio, suo vtitur iudiciorum more. Cum ergo gens ista, & populus dissolutus sit, non mirum, si iudicia quoque sublata sunt. At Moralia præcepta quæ ad formandos hominum mores, & virtute ac pietate imbuendos pertinent, illa nullo vnquam fine cessabunt, donec hominum genus postremo incendio cum orbe desinat: Eius autem generis est præceptum de Decimis persoluendis. Nam ad pietatem & officia Religionis spectat, neque alium habet finem, quam Deum rerum omnium auctorem agnoscere, eundemque hominum & rerum simul omnium, quibus homines vtuntur, Dominum profiteri. Quamobrem vota illa tam sancta ac religiosa, cui magis legis quam Euangelicæ competunt, quæ vt Dei in nos affectum monimentis augustioribus prodit, ita ampliorem à nobis grati animi significationem expostulat, nisi velimus crescente Dei beneficentiâ, hominum pietatem minui, & incalescente eius affectu nostros vicissim amores frigescere. Ea caussa Patres superiore capitulo citati Clemens, Hieronimus, Ambrosius, censent Christianos, ad persoluendas Decimas arctiori vinculo teneri, quam Israelitas, quorum pietatem nobis non imitari tantummodo, sed superare necesse est.

Præceptum de Decimis est, ex genere moralium.

Alterum dræceptum de Decimis persoluendis, è

Præceptum Euangelicum de Decimis. Matth. 23. v. 23.

verbo Christi petitur. Cum enim Christus in auaritiam, fucum, & hypocrisim Pharisæorum esset inuectus, qui ea legis capita accuratissime seruabant, è quibus poterant capere aliquid honoris & gloriæ, reliqua vero fastidiebant quæ ad veram pietatis disciplinam spectabant: Concludit his verbis; *Væ vobis Scribæ & Pharisæi qui decimatis mentham & Anethum & Cyminum, & reliquistis, quæ grauiora sunt, legis iudicium & misericordiam: hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Quibus verbis, patet Christum laudare Scribas & Pharisæos, quod Sacerdotibus etiam Menthæ & Anethi Decimam persoluerent: ac non modo, non improbare piam hanc consuetudinem, verum ipsam potius firmare dicendo. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Ergo cum Decimarum Religio fuerit Christi ipsius auctoritate & præconio in noua lege commendata, signum est eam Deo, non modo gratam esse, sed etiam ab eodem nouo veluti imperio confirmatam.

Quamobrem Patres pene omnes ac Concilia Decimam volunt esse iuris diuini & præcepti, non vero Ecclesiasticæ alicuius disciplinæ. Clemens Romanus aperte distinguit inter voluntarias populi oblationes, & necessariam Decimarum præstationem: & Decimas quidem quę iuxta Dei mandatum soluuntur, vult ab Episcopo consumi, *qui Dei homo est*; Id est quia Dei personam in terris sustinet. At Oblationes voluntarias suadet orphanis, pupillis, ac pauperibus distribui. *Quæ ex Decimis & Primitijs secundum mandatum Dei dantur, vt Dei homo consumat:*

Clemens Rom. lib. 2. Const. apostol. cap. 29

Voluntaria

Voluntaria vero, quæ occasione pauperum offeruntur, recte dispenset orphanis, viduis, afflictis & peregrinis egentibus. Origenes homil. in Numeros, præceptum antiquum persoluendæ Decimæ, iuxta litteram obseruandum esse, in noua lege existimat, nec esse Christi mentem ad allegorias, & occultos sensus detorquendam. *Quomodo*, inquit, *abundat iustitia nostra plusquam Scribarum & Pharisæorum, si illi de fructibus terræ suæ gustare non audent, priusquam Primitias Sacerdotibus offerant, & Leuitæ Decimis separentur: & ego nil horum faciens, fructibus terræ abutar, vt Sacerdos nesciat, Leuites ignoret, diuinum altare non sentiat.* Et paulò post ita concludit. *Hæc*, inquit, *diximus asserentes mandatum de Primitijs frugum, vel pecorum debere etiam secundum litteram stare.* Concilium Matisconense 2. sub Guntranno Rege, cap. 5. *Leges diuinæ consulentes Sacerdotibus ac ministris Ecclesiarum, pro hæreditaria portione omni populo præceperunt Decimas fructuum suorum locis sacris præstare.* Concil. Moguntinum primum sub Carolo Magno c. 38. *Admonemus atque præcipimus, vt Decimas Deo dari omnino non negligatur, quas Deus ipse sibi dari constituit. Quia timendum est, vt quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua.* Vide etiam Concilii Triburiensis can. 13. Gelasium epist. 1. cap 27. Alexandrum 3. ad Cenomanensem Episcopum, Tridentinum Concil. Sess. 25. in cap. 2. Decreti de Reformatione.

Origenes homil. 11. in Numeros tom. 2. op.

Concil. Matisc. 2. sub Guntranno cap. 5.

Conci. Mogunt. sub Carol. Mag. c. 38.

Concil. Trib. Gelas. Pap. Alex. 3. Tridentinum Concil.

Quo autem consilio decimam potius, quam aliá partem Deus exegerit, non satis clarum. Philo-

Iudæus ideo Decimam gratam esse Deo suspicatur, quòd ad Deum peruenire homo non possit, nisi transacto nouenario. Rerum enim omnium nouem veluti orbes, ac sphæras fingit, quarum prima Elementorum est, septem succedentes Planetarum, nona Firmamenti, post quam ad Intelligentias Deumque transcenditur. Ἐννέα γὰρ ὁ κόσμος ἔλαχε μοίρας, ἐν οὐρανῷ μὲν ὀκτώ, τήν τε ἀπλανῆ καὶ τὰς πεπλανημένας ἐν τάξεσι φερομένας τὰς αὐταῖς, ἐνάτην δὲ γῆν σὺν ὕδατι καὶ ἀέρι. Τούτων γὰρ μία συγγένεια, τροπὰς καὶ μεταβολὰς παντοίας δεχομένων. οἱ μὲν οὖν πολλοὶ τὰς ἐννέα ταύτας μοίρας, καὶ τὸν παγέντα κόσμον ἐξ αὐτῶν ἐτίμησαν, ὁ δὲ τέλειος, τὸν ὑπεράνω τῶν ἐννέα δημιουργὸν αὐτῶν θεὸν δέκατον. *In nouem enim partes mundus distribuitur. Octo in cœlo, supremum orbem & septem reliquos erraticorum syderum similes cursus habentium: nonam autem terram cum aqua & aëre. Horum enim vna est cognatio, varias mutationes recipientium. Vulgus autem has nouem partes & compactum ex his mundum, vir autem perfectus eum colit, rerum omnium artificem, qui super hos nouem orbes in decima veluti sphæra est constitutus.* Eandem rationem Decimarum soluendarum adfert, Clemens Alexan. lib. 2. Stromat.

Philo Iudæus lib. de congressu quærendæ eruditionis gratia.

Clemens Alexand lib. 2. Stromat.

Epiphanius hæresi octaua Decimarum omen aliquod & præsagium vult inesse Sacrosancto nomini Seruatoris nostri. Si quidem nomen Iesu, sub quo ima summaque curuantur, initialem habet litteram Iota, quæ apud Græcos numeri denarij nota est: Propterea vult decimas ab antiquis Iudæis tam religiosè persolutas, nihil aliud fuisse, quam figuram

nominis Iesu, sicut victimę legales signum erant agni Euangelici, cuius sanguine mundi sordes expurgantur. Καὶ ἦν ἐκεῖ πρόβατον ἄλογον θυόμενον, καθοδηγοῦν ἡμᾶς εἰς τὸ μέγα πρόβατον καὶ ἐπουράνιον ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ὑπὲρ τοῦ ὅλου κόσμου τυθέν: καὶ ἦν ἐκεῖ ἀποδεκάτωσις, ἀσφαλιζομένη, ἵνα μὴ λάθῃ ἡμᾶς τὸ ἰῶτα, ἤδη καὶ τὸ πρῶτον στοιχεῖον τοῦ Ἰησοῦ ὀνόματος. *Erat*, inquit, *penes illos, & ouis victima rationis expers, quæ nos ad illam magnam cęlestemque perduceret ouem, pro nostra & totius mundi salute mactandam. Praterea instituta apud illos decimatio fuit quæ nos eo deduceret, vt Iota litteram quæ nota denarij est, & nominis Iesu initium, non possemus ignorare.* Alij volunt decimam ab homine persolui, quia homo decimum locum occupat in ordine, & serie rerum creatarum.

Epiphanius hæresi octaua tom. 2, lib. 2.

Taceo infinita mysteria, quæ in numero denario latêre acuta sibi fingit hominum meditatio. Inde enim non video erui posse argumentum, ad necessitatem Decimarum ostendendam: Cum cæterorum quoque numerorum significatio mysteriis non careat, possitque ingeniosus quilibet, vt in nubibus centauros olim Iuppiter, ita in numeris rerum grandium ac luculentarum imagines pingere.

Legatur Irenæus Lugdunens. lib. 1. aduersus hæres. Valeus cap. 15.

Digitized by Google

Respondetur argumentis aduersus Decimarum quotam propositis. Libertas Ecclesiæ remittendi Decimas tempore persecutionis. Decimarum consuetudo etiam tempore persecutionis recepta ex Clemente, Cypriano, Origene. Initia Decimarum in Apostolis ex Irenæo &c.

CAPVT IV.

SVperiori capite præmisimus eorum rationes, qui Decimas volunt esse recentioris Ecclesiæ commentum, cui initium dederit Sacerdotum auaritia, magis quam populorum pietas: & quod non tam lege aliqua diuina, quam consuetudine, & longi temporis præscriptione subnitatur.

Nunc itaque eorum argumenta libranda sunt, quorum primum refricabat veteris Ecclesiæ memoriam, cuius Sacerdotes nullum aliud vectigal à populo flagitabant præter fidem, & constantiam, quã in Christi caussa summam adhibere hortabantur. Cætera libera erant inquiunt ac voluntaria.

Fateamur ergo nil postulasse, à populo veteres Clericos, agnoscamus ipsos summum sibi, & honestissimum in Christi paupertate patrimonium collocasse: An propterea cessabat lex de Decimis persoluendis, minime vero? quo ergo pacto plebs sese eo debito exoluebat? qua ratione legem pendendarum Decimarum implebat, si modicam stipem, si vile stipendium suis tantummodo erogabat Sacerdotibus?

Quare liberum fuit Ecclesiae remittere Decimas tempore persecutionis.

Facile est autem istud intelligere. Nam quoties aliquis in odium, & inuidiam Christiani nominis parte aliqua fortunarum spoliatur, quoties Christi hostes in eum sæuiunt, & fit Anathema pro fratribus: toties Ecclesia, solet quantum potest, clades ei inflictas beneficentiâ sarcire, & suis etiam si opus est, visceribus instaurare: Quod si Ecclesię hoc genus pietatis vsu receptum est; multo magis eidem licet sua iura, census & obuentiones populis remittere, si quando pro Christi nomine, à Barbaris & infestis veræ Religioni nationibus, duri aliquid ac incommodi patiuntur: At quot oneribus, tributis (verum mitiora sunt ista) dicamus, crucibus, equuleis, tormentis, exiliis, proscriptionibus veteres premebantur Christiani? quot lucris, quot commodis fraudare seipsos cogebantur, vt Christum lucri facerent? Quis vnquam ex Christiana gente, ante Constantinum honores, magistratus, ac dignitates adeptus est. Itaque cum in fauorem Ecclesiarum, tot calamitatibus pressi ingemiscerent, & tam grauem ferrent rerum suarum iacturam, merito Ecclesia, quas poterat flagitare Decimas, ipsis beneficentissime indulgebat: quarum immunitatem non superbia fastusque insolens: sed vulnera, infames notæ frontibus iniustæ, truncum corpus, squallorque carcerum impetrabant.

Altera responsio qua ostenditur primis temporibus Decimas in vsu fuisse.

Alterum vero quod huic argumento opponi potest, est ipsamet Christianorum eiusce temporis Pietas & religiosa bonorum profusio. Quis enim Decimam ab eo expostulet, qui totum tradit; qui

nil iuris sibi in rebus propriis retinendum putat, qui omnia arbitrio Sacerdotum permittit, nec vult sese vlla opum ac fortunarum possessione ab iis seiungi, quibus sacra mentium ac pectorum societate coniungitur? At ea fuerunt primi Christianorum populi studia, hi in Sacerdotes affectus: ipsis sua omnia credebant, nec fortunas suas putabant posse prudentius regi, quam si earum curam Sacerdotum prouidentia gereret, quorum consiliis orbem gregéque charissimum, emptum suo sanguine Christus commendauit. Itaque eo tempore quidquid opus habebant Ecclesiæ, pauperes, Clerici, ea facillime Sacerdotes à populo impetrabant: quorum largitionibus, qui mensuram aliquam præfixisset, & Decimam imperasset, is non tam legem stabilire visus esset, quam euertere charitatem.

Præterea dicamus non tam insuetam fuisse Decimarum pensitationem, hisce temporibus, quin aliquæ eius notæ, etiam ante pacem à Constantino factam conspiciantur.

Clemens Romanus, si non ille Petri successor, saltem antiquissimi sęculi scriptor, Decimarum non semel meminit: tum lib. 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 29. quem textum antea citauimus, tum eiusdem libri cap. 31. & 38. Vbi Decimas instar tributi alicuius deberi Episcopis & Sacerdotibus refert, quia Regia in terris pollet Maiestate, *Episcopos & Sacerdotes, Principes, & Reges vestros putatote, & tributa tanquam Regibus pendite, de vestro enim illos, & domesticos illorum ali oportet, quemadmodum*

Clemens Rom. lib. 2. cap. 29. 31. & 38.

Samuel præcepit populo de Rege in primo Regum, & Moses de Sacerdotibus in Leuitico, eodem modo nos de Episcopis vobis præcipimus. Nam si tunc populus proportione, tanto Regi munera præbebat, quanto magis nunc Episcopus decreta sibi à Deo capere stipendia debet ad se alendum, & Clericos, qui apud eum sunt? Quod si aliquid orationi addendum est, plura hic capiat, quam ille olim. Ille enim rem militarem tantum administrabat, belli pacisque moderator ad tuenda corpora, hic vero Dei *Sacerdotium administrans, corpus & animam periculis liberat. Quanto igitur anima corpore est excellentior, tanto Sacerdotium Regno præstat. Ligat enim id & soluit supplicio, vel indulgentia dignos. Ideo Episcopum diligere debetis vt Patrem, timere vt Regem, honorare vt Dominum. Fructus vestros & opera manuum vestrarum, in vestram benedictionem illi offerentes, primitias vestras, decimas, partes, dona vestra dantes ei, vt Sacerdoti Dei: primitias inquam frumenti, vini, olei, pomorum, atque omnium, quæ Deus præbet vobis.*

Libro octauo cap. 38. ex Matthæi Apostoli decreto Decimas esse Sacerdotibus soluendas probat. Cuius decreti hæc est summa. *Ego Matthæus præcipio omnes Primitias afferri Episcopo & Presbyteris, & Diaconis, ad victum ipsorum. Decimas offerre, ad victum reliquorum Clericorum, Virginum & Viduarum, & his qui sunt paupertate oppressi.* Matthæi Apostoli decretum de Decimis, ex Clement. lib. 8. cap. 36.

Cyprianus, qui ipse inter persecutionum æstus diu fluctuauit, non semel Decimarum meminit tanquam vectigalis alicuius Deo persoluendi. Epistola 7. quæ est de vnitate Ecclesię, sic refrigescen- Cyprianus epist. 7.

tem sui sęculi charitatem carpit opposito feruore primorum Christianorum, *In nobis*, inquit, *sic vnanimitas diminuta est, vt & largitas operationis infracta est: domos tunc & fundos venundabant, & thesauros in cœlo reponentes distribuenda in vsus indigentium, pretia Apostolis offerebant. Nunc de patrimonio nec Decimas damus, & cum vendere iubeat Dominus, emimus potius & augemus.*

E quo loco clarum est Cyprianum inuehi in Christianos sui temporis, qui de patrimonio Decimas non soluebant: Ergo etiam sæuientibus Tyrannis, & inter Ecclesiæ pericula vigebat lex, & consuetudo Decimarum. Epistola 27. ait Clericos Decimas ex fructibus accipere, vt ab altari & sacrificiis non recedant. Origenes qui & ipse calamitosis Ecclesiæ temporibus vixit, Decimarum legem agnoscit homilia vndecima in Numeros, eademque pæne argumenta profert, quibus vsi sumus ad necessitatem Decimarum suadendá. Tandem Irenæus Lugdunensis auguria pendendarum Decimarum, earumque initia, ab ipsis Christi temporibus deducit. Cũ enim Apostoli per diem Sabathi spicas vellerent, & in agris alienis, ad depellendam famem necessaria caperent alimenta, censet eos tunc temporis vsos auctoritate Sacerdotii, quod à Leuitis in Apostolos transierat. Itaque vt Leuitæ ius olim habebant legendarum Decimarum, è quibus viuerent. Ita successores Apostoli, in eorum locum gradumque suffecti, poterant ex agris Iudaïcis speciem quandam Decimarum præcerpere, & necessaria sibi alimenta vindicare.

Cyprianus ep. 27.

Origenes hom. 11. in Numeros.

Irenæus lib. 4. aduersus errores Valentini cap. 20.

His

His facile intelligi poteſt Decimarum conſuetudinem non eſſe commentum recentioris alicuius ſæculi, fictum ambitione & auaritia Sacerdotum, ſed ſacram & inuiolabilem quandam legem, quã euertere ac labefactare nemo poteſt, niſi qui mundi dominatum, auctori Deo inuideat, velitque eius tribunal ambitione prodigioſâ deſtruere.

Alterum argumentum, quo Decimarum conſuetudinem, aduerſarii Eccleſiæ inſectantur, duci ſolet è paucitate Clericorum. Eos enim Decimam humani generis partem facere pernegant, adeóque hunc prouentum Decimarum, nimis pinguem eſſe ac luculentum, neque Clericis alio nomine vtilem, quàm vt ad luxum & delicias inuitet, ad quas opes & diuitiæ maximum habent incitamentum. Cui argumento non eſt difficile reſpondere. Si enim iuſta omnium bonorum partitio inter homines inſtituenda; quot querelis, quot rixis & litibus locus erit? In hac æquitate ac Iſomeria conſtituenda periret æquitas, iuſtitia violaretur, & humani generis ſocietas concuſſâ, æterno ac immortali diſſidio fluctuaret. Itaque Iudicibus auferri purpuram. Regibus tribunalia ac diademata eripi, Magiſtratibus lucem, ac ſplendorem dignitatis ſuæ ſubtrahi, omnemque ordinum ac graduum varietatem qua Reſpublicæ ornantur, confundi neceſſe erit. Si ergo luculentiorem fortunam ceteris non inuidemus; quid laceſſimus Clericos eorumque facultates? niſi eos longe reliquis deteriores putamus, quia Deo ſeruiunt, & inſignia Chriſti, ac imaginem

F

ferunt cum quo, occulto adhuc & latente bello, mundus & inuidia dæmonum, per Christianos etiam ac fideles colluctatur.

Sint ergo Clerici fæx & lacuna orbis; sint detriti, sint miseri; sed qua parte se tuebuntur? Nam si diuitiis inuidiam prouocant, paupertate risum mouent: in opibus simplicitaté perdunt, in sordibus auctoritatem: in opibus fugiũtur vt superbi, in squallore vt médici. Non ergo diuitiis peccant Clerici, atq; Ecclesiastici, sed in Religionem laïci male animantur, cuius Mystas & Sacerdotes, in tanta aliorum hominum opulentia, ferre non possunt supra infimæ sortis paupertatem eminere.

Aliunde vero licet Clerici Decimam non faciunt humani generis partem: attamen socios habent pauperes, errones, mendicos, Religiosos, Monachos, quibus Decimarum pars maxima his temporibus soluitur. Habent Rempublicam & Principes sui patrimonii participes, quibus sine strepitu thesauros & ærarium Ecclesiasticum aperiunt, quoties publica calamitate imminente, seu pax, seu dignitas Imperii periclitantur.

Quantum ad alia duo argumenta, nempe de varia ratione pendendarum Decimarum circa quotam, & de Decimis per laïcos Ecclesiæ datis, sequentibus capitulis patebit quid respondendum sit.

De varijs ritibus circa quotam Decimarum, & an liceat Ecclesiæ aliquid circa eam immutare & quibus de caussis, res Ecclesiæ pauperibus communicatæ. Etiam prædia illis ad vtendum concessa. Tres caussæ minuendæ Decimæ proferuntur. Sclauorum & Vagirorum Decimæ olim quales. Kanuti Regis Daniæ in propugnandis Decimis feruor.

CAP. V.

SVperiori capite inter argumenta, quibus aduersarii Decimarum consuetudinem impetebant; vnum erat ex varia ratione rituque soluendæ Decimæ petitum. Nempe aiunt in variis regionibus, varias quoque leges ac instituta vigere, circa quotam Decimarum. Alibi enim è fasciculis decem, alibi è duodecim, hîc è quindecim, illîc è viginti, vnus Decimarum nomine soluitur: Vnde concludebant Decimam non esse iuris diuini. Nam ius diuinum arbitrio hominum tolli non potest, aut vllatenus immutari.

Quamobrem videndum quid possit Ecclesia circa Decimarum quotam, an aliquid ex ea populis remittere liceat, & quamobrem soleat istius oneris ac pensitationis partem aliquam subiectis sibi plebibus indulgere.

Ac primo supponendum, non eam esse Decimarum naturam ac conditionem, quæ fuit olim in veteri Testamento: Hostiarum, Primitiarum & fru-

gum aliarum, quas necesse erat à solis Sacerdotibus, Leuitis, eorumque familia, & contribulibus absumi. Opes Ecclesiæ, tum maxime sacræ sunt ac sanctas, cum è Sacerdotum manibus velut, è fœcunda scaturigine, in egenos & pauperes exundant: Non manibus laïcorum, sed auaritia potius & tenacitate Clericorum polluuntur: atque vt contaminatiores nunquam esse possunt, quam vbi luxuriæ, atque ambitioni famulantur: ita sanctiores apparent nunquam, quàm vbi charitatis adminicula fiunt, & instrumenta misericordiæ.

Decimæ Ecclesiasticæ possunt à laicis pauperibus cōsumi.

Quia ergo socios & cohæredes habemus pauperes, idcirco Sacerdotibus semper liberum fuit, quam vellent bonorum suorum partem in miseros spargere, & eorumdem calamitatem commodis, vitæ subsidiis demulcere. Hinc Concilia & summi Pontifices toties pauperum & viduarum curam Sacerdotibus ac Episcopis commendant. Hinc ipsius Petri successores, paupertatis è qua nati sūt memores, in egentium solatia sua patrimonia tanto affectu profuderunt. Gregorius Magnus epist. 37. lib. 1. Anthemio Diacono mandat, vt Paterichiæ, Palatinæ, ac Viuianæ, victum subministret, & alendis, vestiendisque liberis, necessaria impertiatur. Paterichiæ solidos quadraginta, & tritici modios quadringentos, Palatinæ solidos viginti, & tritici modios trecentos: Viuianæ solidos & modios totidem. Epistola 44. eiusdem libri, panis & vini annonam condicit filio Godeslaldii. Epistola 28. lib. 5 Candido defensori mandat, vt Albino lumini-

Reditus Ecclesiæ assignati pauperibus.

Greg. Mag. ep. 37. lib. 1.

Greg. Mag. ep 44. lib. 1, & epist. 28. lib 11.

bus, priuato, singulis annis duas tremisses, sine aliqua delatione prȩstare non desinat. Sexcenta eius generis exempla reperies in epistolis eiusdem Papȩ.

Nec stipes tantum annuas, verum etiam agros & partem prædiorum Ecclesiasticorum, potuisse à Sacerdotibus dari egenis ac miseris, in diem vitæ suæ fruendos & vtẽdos, colligo ex Canon. 34. Concilij Aurel. 4. *Quisquis agellum Ecclesiæ in diem vitæ suæ pro quacumque misericordia à sacerdote, cui potestas est, acceperit poßidendum, quacumque ibi profecerit alienandi nullam habeat potestatem, &c.* Hic enim Canon non loquitur de agris, qui Clericis vtendi, & fruendi assignabantur, in stipendium: sed de quibusdam terræ Ecclesiasticæ portionibus, titulo misericordiæ, in pauperes erogatis. Maximè vero curam pauperum perpetuo apud Ecclesiastici ordinis viros extitisse docet consuetudo vetus in Ecclesiis recepta, vt omnium redituum, atque obuentionum quarta pars in commodum, atque emolumentum pauperum cederet, iisdemque sine fraude distribueretur. Ita Gelasius Papa ad Clerum, & ordinem, & plebem Brundusij, & in epistola ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios. Simplicius Papa ad Florentinum, & Equitium Episcopos. Gregorius Magnus lib. 3. epist. 11. Concilium Toletanum, seu potius Canones Syluestri Papæ, apud Gratianum caussa 12. q. 1. Can. *sarcimus.*

Concil. Aurel. can. 34. anno 541. sub Childeberto Rege.

Quarta pauperum in Ecclesiasticis reditibus.

Can. concesso 12. q. 1. Can. quatuor 12. q. 1. Simplicius Papa Can. de reditib. ibid. Greg. Mag. ad Aug. Anglorum Episcopum, Can. mos est, 12. q. 1.

Cum ergo licitum, imo necessarium fuerit semper, vt miseriis ac calamitatibus inopum Ecclesia prospiceret: Cùm ea semper fuerit consuetudo, vt

Respondetur argumentis aduersus Decimarum *quotam propositis. Libertas Ecclesiæ remittendi* Decimas *tempore persecutionis.* Decimarum *consuetudo etiam tempore persecutionis recepta ex Clemente, Cypriano, Origene. Initia* Decimarum *in Apostolis ex Irenæo &c.*

CAPVT IV.

SVperiori capite præmisimus eorum rationes, qui Decimas volunt esse recentioris Ecclesiæ commentum, cui initium dederit Sacerdotum auaritia, magis quam populorum pietas: & quod non tam lege aliqua diuina, quam consuetudine, & longi temporis præscriptione subnitatur.

Nunc itaque eorum argumenta libranda sunt, quorum primum refricabat veteris Ecclesiæ memoriam, cuius Sacerdotes nullum aliud vectigal à populo flagitabant præter fidem, & constantiam, quã in Christi caussa summam adhibere hortabantur. Cætera libera erant inquiunt ac voluntaria.

Fateamur ergo nil postulasse, à populo veteres Clericos, agnoscamus ipsos summum sibi, & honestissimum in Christi paupertate patrimonium collocasse: An propterea cessabat lex de Decimis persoluendis, minime vero? quo ergo pacto plebs sese eo debito exoluebat? qua ratione legem pendendarum Decimarum implebat, si modicam stipem, si vile stipendium suis tantummodo erogabat Sacerdotibus?

Digitized by Google

Quare liberum fuit Ecclesię remittere Decimas tempore persecutionis.

Facile est autem istud intelligere. Nam quoties aliquis in odium, & inuidiam Christiani nominis parte aliqua fortunarum spoliatur, quoties Christi hostes in eum sæuiunt, & fit Anathema pro fratribus: toties Ecclesia, solet quantum potest, clades ei inflictas beneficentiâ sarcire, & suis etiam si opus est, visceribus instaurare: Quod si Ecclesię hoc genus pietatis vsu receptum est; multo magis eidem licet sua iura, census & obuentiones populis remittere, si quando pro Christi nomine, à Barbaris & infestis veræ Religioni nationibus, duri aliquid ac incommodi patiuntur: At quot oneribus, tributis (verum mitiora sunt ista) dicamus, crucibus, equuleis, tormentis, exiliis, proscriptionibus veteres premebantur Christiani? quot lucris, quot commodis fraudare seipsos cogebantur, vt Christum lucri facerent? Quis vnquam ex Christiana gente, ante Constantinum honores, magistratus, ac dignitates adeptus est. Itaque cum in fauorem Ecclesiarum, tot calamitatibus pressi ingemiscerent, & tam grauem ferrent rerum suarum iacturam, merito Ecclesia, quas poterat flagitare Decimas, ipsis beneficentissime indulgebat: quarum immunitatem non superbia fastusque insolens: sed vulnera, infames notæ frontibus iniustæ, truncum corpus, squallorque carcerum impetrabant.

Altera responsio qua ostenditur primis temporibus Decimas in vsu fuisse.

Alterum vero quod huic argumento opponi potest, est ipsamet Christianorum eiusce temporis Pietas & religiosa bonorum profusio. Quis enim Decimam ab eo expostulet, qui totum tradit; qui

nil iuris sibi in rebus propriis retinendum putat, qui omnia arbitrio Sacerdotum permittit, nec vult sese vlla opum ac fortunarum possessione ab iis seiungi, quibus sacra mentium ac pectorum societate coniungitur? At ea fuerunt primi Christianorum populi studia, hi in Sacerdotes affectus: ipsis sua omnia credebant, nec fortunas suas putabant posse prudentius regi, quam si earum curam Sacerdotum prouidentia gereret, quorum consiliis orbem gregéque charissimum, emptum suo sanguine Christus commendauit. Itaque eo tempore quidquid opus habebant Ecclesiæ, pauperes, Clerici, ea facillime Sacerdotes à populo impetrabant: quorum largitionibus, qui mensuram aliquam præfixisset, & Decimam imperasset, is non tam legem stabilire visus esset, quam euertere charitatem.

Præterea dicamus non tam insuetam fuisse Decimarum pensitationem, hisce temporibus, quin aliquæ eius notæ, etiam ante pacem à Constantino factam conspiciantur.

Clemens Romanus, si non ille Petri successor, saltem antiquissimi sęculi scriptor, Decimarum non semel meminit: tum lib. 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 29. quem textum antea citauimus, tum eiusdem libri cap. 31. & 38. Vbi Decimas instar tributi alicuius deberi Episcopis & Sacerdotibus refert, quia Regia in terris pollēt Maiestate, *Episcopos & Sacerdotes, Principes, & Reges vestros putatote, & tributa tanquam Regibus pendite, de vestro enim illos, & domesticos illorum ali oportet, quemadmodum*

Clemens Rom. lib. 2. cap. 29. 31. & 38.

Samuel præcepit populo de Rege in primo Regum, & Moses de Sacerdotibus in Leuitico, eodem modo nos de Episcopis vobis præcipimus. Nam si tunc populus proportione, tanto Regi munera præbebat, quanto magis nunc Episcopus decreta sibi à Deo capere stipendia debet ad se alendum, & Clericos, qui apud eum sunt? Quod si aliquid orationi addendum est, plura hic capiat, quam ille olim. Ille enim rem militarem tantum administrabat, belli pacisque moderator ad tuenda corpora, hic vero Dei *Sacerdotium administrans, corpus & animam periculis liberat. Quanto igitur anima corpore est excellentior, tanto Sacerdotium Regno præstat. Ligat enim id & soluit supplicio, vel indulgentia dignos. Ideo Episcopum diligere debetis vt Patrem, timere vt Regem, honorare vt Dominum. Fructus vestros & opera manuum vestrarum, in vestram benedictionem illi offerentes, primitias vestras, decimas, partes, dona vestra dantes ei, vt Sacerdoti Dei: primitias inquam frumenti, vini, olei, pomorum, atque omnium, quæ Deus præbet vobis.*

Libro octauo cap. 38. ex Matthæi Apostoli decreto Decimas esse Sacerdotibus soluendas probat. Cuius decreti hæc est summa. *Ego Matthæus præcipio omnes Primitias afferri Episcopo & Presbyteris, & Diaconis, ad victum ipsorum.* Decimas *offerre, ad victum reliquorum Clericorum, Virginum & Viduarum, & his qui sunt paupertate oppressi.*

Matthæi Apostoli decretum de Decimis, ex Clement. lib. 8. cap. 36.

Cyprianus, qui ipse inter persecutionum æstus diu fluctuauit, non semel Decimarum meminit tanquam vectigalis alicuius Deo persoluendi. Epistola 7. quæ est de vnitate Ecclesię, sic refrigescen-

Cyprianus epist. 7.

tem sui sęculi charitatem carpit opposito feruore primorum Christianorum, *In nobis*, inquit, *sic vnanimitas diminuta est, vt & largitas operationis infracta est: domos tunc & fundos venundabant, & thesauros in cœlo reponentes distribuenda in vsus indigentium, pretia Apostolis offerebant. Nunc de patrimonio nec Decimas damus, & cum vendere iubeat Dominus, emimus potius & augemus.*

E quo loco clarum est Cyprianum inuehi in Christianos sui temporis, qui de patrimonio Decimas non soluebant: Ergo etiam sæuientibus Tyrannis, & inter Ecclesiæ pericula vigebat lex, & consuetudo Decimarum. Epistola 27. ait Clericos Decimas ex fructibus accipere, vt ab altari & sacrificiis non recedant. Origenes qui & ipse calamitosis Ecclesiæ temporibus vixit, Decimarum legem agnoscit homilia vndecima in Numeros, eademque pæne argumenta profert, quibus vsi sumus ad necessitatem Decimarum suadendã. Tandem Irenæus Lugdunensis auguria pendendarum Decimarum, earumque initia, ab ipsis Christi temporibus deducit. Cũ enim Apostoli per diem Sabathi spicas vellerent, & in agris alienis, ad depellendam famem necessaria caperent alimenta, censet eos tunc temporis vsos auctoritate Sacerdotij, quod à Leuitis in Apostolos transierat. Itaque vt Leuitæ ius olim habebant legendarum Decimarum, è quibus viuerent. Ita successores Apostoli, in eorum locum gradumque suffecti, poterant ex agris Iudaïcis speciem quandam Decimarum præcerpere, & necessaria sibi alimenta vindicare.

Cyprianus ep. 27.

Origenes hom. 11. in Numeros.

Irenæus lib. 4. aduersus errores Valentini cap. 20.

His

His facile intelligi poteſt Decimarum conſuetudinem non eſſe commentum recentioris alicuius ſæculi, fictum ambitione & auaritia Sacerdotum, ſed ſacram & inuiolabilem quandam legem, quã euertere ac labefactare nemo poteſt, niſi qui mundi dominatum, auctori Deo inuideat, velitque eius tribunal ambitione prodigioſâ deſtruere.

Alterum argumentum, quo Decimarum conſuetudinem, aduerſarii Eccleſiæ inſectantur, duci ſolet è paucitate Clericorum. Eos enim Decimam humani generis partem facere pernegant, adeóque hunc prouentum Decimarum, nimis pinguem eſſe ac luculentum, neque Clericis alio nomine vtilem, quàm vt ad luxum & delicias inuitet, ad quas opes & diuitiæ maximum habent incitamentum. Cui argumento non eſt difficile reſpondere. Si enim iuſta omnium bonorum partitio inter homines inſtituenda; quot querelis, quot rixis & litibus locus erit? In hac æquitate ac Iſomeria conſtituenda periret æquitas, iuſtitia violaretur, & humani generis ſocietas concuſſâ, æterno ac immortali diſſidio fluctuaret. Itaque Iudicibus auferri purpuram. Regibus tribunalia ac diademata eripi, Magiſtratibus lucem, ac ſplendorem dignitatis ſuæ ſubtrahi, omnemque ordinum ac graduum varietatem qua Reſpublicæ ornantur, confundi neceſſe erit. Si ergo luculentiorem fortunam ceteris non inuidemus; quid laceſſimus Clericos eorumque facultates? niſi eos longe reliquis deteriores putamus, quia Deo ſeruiunt, & inſignia Chriſti, ac imaginem

F

ferunt cum quo, occulto adhuc & latente bello, mundus & inuidia dæmonum, per Christianos etiam ac fideles colluctatur.

Sint ergo Clerici fæx & lacuna orbis; sint detriti, sint miseri; sed qua parte se tuebuntur? Nam si diuitiis inuidiam prouocant, paupertate risum mouent: in opibus simplicitaté perdunt, in sordibus auctoritatem: in opibus fugiũtur vt superbi, in squallore vt mẽdici. Non ergo diuitiis peccant Clerici, atq; Ecclesiastici, sed in Religionem laïci male animantur, cuius Mystas & Sacerdotes, in tanta aliorum hominum opulentia, ferre non possunt supra infimæ sortis paupertatem eminere.

Aliunde vero licet Clerici Decimam non faciunt humani generis partem: attamen socios habent pauperes, errones, mendicos, Religiosos, Monachos, quibus Decimarum pars maxima his temporibus soluitur. Habent Rempublicam & Principes sui patrimonii participes, quibus sine strepitu thesauros & ærarium Ecclesiasticum aperiunt, quoties publica calamitate imminente, seu pax, seu dignitas Imperii periclitantur.

Quantum ad alia duo argumenta, nempe de varia ratione pendendarum Decimarum circa quotam, & de Decimis per laïcos Ecclesiæ datis, sequentibus capitulis patebit quid respondendum sit.

Digitized by Google

De varijs ritibus circa quotam Decimarum, & an liceat Ecclesiæ aliquid circa eam immutare & quibus de caußis, res Ecclesiæ pauperibus communicatæ. Etiam prædia illis ad vtendum concessa. Tres caussæ minuendæ Decimæ proferuntur. Sclauorum & Vagirorum Decimæ olim quales. Kanuti Regis Daniæ in propugnandis Decimis feruor.

CAP. V.

SVperiori capite inter argumenta, quibus aduersarii Decimarum consuetudinem impetebant; vnum erat ex varia ratione rituque soluendæ Decimæ petitum. Nempe aiunt in variis regionibus, varias quoque leges ac instituta vigere, circa quotam Decimarum. Alibi enim è fasciculis decem, alibi è duodecim, hîc è quindecim, illîc è viginti, vnus Decimarum nomine soluitur: Vnde concludebant Decimam non esse iuris diuini. Nam ius diuinum arbitrio hominum tolli non potest, aut vllatenus immutari.

Quamobrem videndum quid possit Ecclesia circa Decimarum quotam, an aliquid ex ea populis remittere liceat, & quamobrem soleat istius oneris ac pensitationis partem aliquam subiectis sibi plebibus indulgere.

Ac primo supponendum, non eam esse Decimarum naturam ac conditionem, quæ fuit olim in veteri Testamento: Hostiarum, Primitiarum & fru-

gum aliarum, quas necesse erat à solis Sacerdotibus, Leuitis, eorumque familia, & contribulibus absumi. Opes Ecclesiæ, tum maxime sacræ sunt ac sanctas, cum è Sacerdotum manibus velut, è fœcunda scaturigine, in egenos & pauperes exundant: Non manibus laïcorum, sed auaritia potius & tenacitate Clericorum polluuntur: atque vt contaminatiores nunquam esse possunt, quam vbi luxuriæ, atque ambitioni famulantur: ita sanctiores apparent nunquam, quàm vbi charitatis adminicula fiunt, & instrumenta misericordiæ.

Decimæ Ecclesiasticæ possunt à laicis pauperibus cõsumi.

Quia ergo socios & cohæredes habemus pauperes, idcirco Sacerdotibus semper liberum fuit, quam vellent bonorum suorum partem in miseros spargere, & eorumdem calamitatem commodis, vitæ subsidiis demulcere. Hinc Concilia & summi Pontifices toties pauperum & viduarum curam Sacerdotibus ac Episcopis commendant. Hinc ipsius Petri successores, paupertatis è qua nati sũt memores, in egentium solatia sua patrimonia tanto affectu profuderunt. Gregorius Magnus epist. 37. lib. 1. Anthemio diacono mandat, vt Paterichiæ, Palatinæ, ac Viuianæ, victum subministret, & alendis, vestiendisque liberis, necessaria impertiatur. Paterichiæ solidos quadraginta, & tritici modios quadringentos, Palatinæ solidos viginti, & tritici modios trecentos: Viuianæ solidos & modios totidem. Epistola 44. eiusdem libri, panis & vini annonam condicit filio Godeslaldii. Epistola 28. lib. 3 Candido defensori mandat, vt Albino lumini-

Reditus Ecclesiæ assignati pauperibus.

Greg. Mag. ep. 37. lib. 1.

Greg. Mag. ep 44. lib. 1. & epist. 28. lib 11.

Digitized by Google

bus, priuato, singulis annis duas tremisses, sine aliqua delatione præstare non desinat. Sexcenta eius generis exempla reperies in epistolis eiusdem Papę.

Nec stipes tantum annuas, verum etiam agros & partem prædiorum Ecclesiasticorum, potuisse à Sacerdotibus dari egenis ac miseris, in diem vitæ suæ fruendos & vtẽdos, colligo ex Canon. 34. Concilij Aurel. 4. *Quisquis agellum Ecclesiæ in diem vitæ suæ pro quacumque misericordia à sacerdote, cui potestas est, acceperit possidendum, quæcumque ibi profecerit alienandi nullam habeat potestatem, &c.* Hic enim Canon non loquitur de agris, qui Clericis vtendi, & fruendi assignabantur, in stipendium: sed de quibusdam terræ Ecclesiasticæ portionibus, titulo misericordiæ, in pauperes erogatis. Maximè vero curam pauperum perpetuo apud Ecclesiastici ordinis viros extitisse docet consuetudo vetus in Ecclesiis recepta, vt omnium redituum, atque obuentionum quarta pars in commodum, atque emolumentum pauperum cederet, iisdemque sine fraude distribueretur. Ita Gelasius Papa ad Clerum, & ordinem, & plebem Brundusij, & in epistola ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios. Simplicius Papa ad Florentinum, & Equitium Episcopos. Gregorius Magnus lib. 3. epist. 11. Concilium Toletanum, seu potius Canones Syluestri Papæ, apud Gratianum caussa 12. q. 1. Can. *sarcimus*.

Cum ergo licitum, imo necessarium fuerit semper, vt miseriis ac calamitatibus inopum Ecclesia prospiceret: Cùm ea semper fuerit consuetudo, vt

Concil. Aurel. can. 34. anno 541. sub Childeberto Rege.

Quarta pauperum in Ecclesiasticis reditibus.

Can. concesso 12. q. 1. Can. quatuor 12. q. 1. Simplicius Papa Can. de redit. ibid.

Greg. Mag. ad Aug. Anglorum Episcopum, Can. mos est, 12. q. 1.

Digitized by Google

Respondetur argumentis aduersus Decimarum *quotam propositis. Libertas Ecclesiæ remittendi* Decimas *tempore persecutionis.* Decimarum *consuetudo etiam tempore persecutionis recepta ex Clemente, Cypriano, Origene. Initia* Decimarum *in Apostolis ex Irenæo &c.*

CAPVT IV.

SVperiori capite præmisimus eorum rationes, qui Decimas volunt esse recentioris Ecclesiæ commentum, cui initium dederit Sacerdotum auaritia, magis quam populorum pietas: & quod non tam lege aliqua diuina, quam consuetudine, & longi temporis præscriptione subnitatur.

Nunc itaque eorum argumenta libranda sunt, quorum primum refricabat veteris Ecclesiæ memoriam, cuius Sacerdotes nullum aliud vectigal à populo flagitabant præter fidem, & constantiam, quã in Christi caussa summam adhibere hortabantur. Cætera libera erant inquiunt ac voluntaria.

Fateamur ergo nil postulasse, à populo veteres Clericos, agnoscamus ipsos summum sibi, & honestissimum in Christi paupertate patrimonium collocasse: An propterea cessabat lex de Decimis persoluendis, minime vero? quo ergo pacto plebs sese eo debito exoluebat? qua ratione legem pendendarum Decimarum implebat, si modicam stipem, si vile stipendium suis tantummodo erogabat Sacerdotibus?

Digitized by Google

Facile est autem istud intelligere. Nam quoties aliquis in odium, & inuidiam Christiani nominis parte aliqua fortunarum spoliatur, quoties Christi hostes in eum sæuiunt, & fit Anathema pro fratribus: toties Ecclesia, solet quantum potest, clades ei inflictas beneficentiâ sarcire, & suis etiam si opus est, visceribus instaurare: Quod si Ecclesię hoc genus pietatis vsu receptum est; multo magis eidem licet sua iura, census & obuentiones populis remittere, si quando pro Christi nomine, à Barbaris & infestis veræ Religioni nationibus, duri aliquid ac incommodi patiuntur: At quot oneribus, tributis (verum mitiora sunt ista) dicamus, crucibus, equuleis, tormentis, exiliis, proscriptionibus veteres premebantur Christiani? quot lucris, quot commodis fraudare seipsos cogebantur, vt Christum lucri facerent? Quis vnquam ex Christiana gente, ante Constantinum honores, magistratus, ac dignitates adeptus est. Itaque cum in fauorem Ecclesiarum, tot calamitatibus pressi ingemiscerent, & tam grauem ferrent rerum suarum iacturam, merito Ecclesia, quas poterat flagitare Decimas, ipsis beneficentissime indulgebat: quarum immunitatem non superbia fastusque insolens: sed vulnera, infames notæ frontibus iniustæ, truncum corpus, squallorque carcerum impetrabant.

Quare liberum fuit Ecclesiæ remittere Decimas tempore persecutionis.

Alterum vero quod huic argumento opponi potest, est ipsamet Christianorum eiusce temporis Pietas & religiosa bonorum profusio. Quis enim Decimam ab eo expostulet, qui totum tradit; qui

Altera responsio qua ostenditur primis temporibus Decimas in vsu fuisse.

nil iuris sibi in rebus propriis retinendum putat, qui omnia arbitrio Sacerdotum permittit, nec vult sese vlla opum ac fortunarum possessione ab iis seiungi, quibus sacra mentium ac pectorum societate coniungitur? At ea fuerunt primi Christianorum populi studia, hi in Sacerdotes affectus: ipsis sua omnia credebant, nec fortunas suas putabant posse prudentius regi, quam si earum curam Sacerdotum prouidentia gereret, quorum consiliis orbem gregéque charissimum, emptum suo sanguine Christus commendauit. Itaque eo tempore quidquid opus habebant Ecclesiæ, pauperes, Clerici, ea facillime Sacerdotes à populo impetrabant: quorum largitionibus, qui mensuram aliquam præfixisset, & Decimam imperasset, is non tam legem stabilire visus esset, quam euertere charitatem.

Præterea dicamus non tam insuetam fuisse Decimarum pensitationem, hisce temporibus, quin aliquæ eius notæ, etiam ante pacem à Constantino factam conspiciantur.

Clemens Romanus, si non ille Petri successor, saltem antiquissimi sęculi scriptor, Decimarum non semel meminit: tum lib. 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 29. quem textum antea citauimus, tum eiusdem libri cap. 31. & 38. Vbi Decimas instar tributi alicuius deberi Episcopis & Sacerdotibus refert, quia Regia in terris pollēt Maiestate, *Episcopos & Sacerdotes, Principes, & Reges vestros putatote, & tributa tanquam Regibus pendite, de vestro enim illos, & domesticos illorum ali oportet, quemadmodum*

Clemens Rom. lib. 2. cap. 29. 31. & 38.

Samuel præcepit populo de Rege in primo Regum, & Moses de Sacerdotibus in Leuitico, eodem modo nos de Episcopis vobis præcipimus. Nam si tunc populus proportione, tanto Regi munera præbebat, quanto magis nunc Episcopus decreta sibi à Deo capere stipendia debet ad se alendum, & Clericos, qui apud eum sunt? Quod si aliquid orationi addendum est, plura hic capiat, quam ille olim. Ille enim rem militarem tantum administrabat, belli pacisque moderator ad tuenda corpora, hic vero Dei *Sacerdotium administrans, corpus & animam periculis liberat. Quanto igitur anima corpore est excellentior, tanto Sacerdotium Regno præstat. Ligat enim id & soluit supplicio, vel indulgentia dignos. Ideo Episcopum diligere debetis vt Patrem, timere vt Regem, honorare vt Dominum. Fructus vestros & opera manuum vestrarum, in vestram benedictionem illi offerentes, primitias vestras, decimas, partes, dona vestra dantes ei, vt Sacerdoti Dei: primitias inquam frumenti, vini, olei, pomorum, atque omnium, quæ Deus præbet vobis.*

Libro octauo cap. 38. ex Matthæi Apostoli decreto Decimas esse Sacerdotibus soluendas probat. Cuius decreti hæc est summa. *Ego Matthæus præcipio omnes Primitias afferri Episcopo & Presbyteris, & Diaconis, ad victum ipsorum.* Decimas *offerre, ad victum reliquorum Clericorum, Virginum & Viduarum, & his qui sunt paupertate oppressi.* Matthæi Apostoli decretum de Decimis, ex Clement. lib. 8. cap. 36.

Cyprianus, qui ipse inter persecutionum æstus diu fluctuauit, non semel Decimarum meminit tanquam vectigalis alicuius Deo persoluendi. Epistola 7. quæ est de vnitate Ecclesiæ, sic refrigescen- Cyprianus epist. 7.

Digitized by Google

tem sui sęculi charitatem carpit opposito feruore primorum Christianorum, *In nobis*, inquit, *sic vnanimitas diminuta est, vt & largitas operationis infracta est: domos tunc & fundos venundabant, & thesauros in cœlo reponentes distribuenda in vsus indigentium, pretia Apostolis offerebant. Nunc de patrimonio nec Decimas damus, & cum vendere iubeat Dominus, emimus potius & augemus.*

E quo loco clarum est Cyprianum inuehi in Christianos sui temporis, qui de patrimonio Decimas non soluebant: Ergo etiam sæuientibus Tyrannis, & inter Ecclesiæ pericula vigebat lex, & consuetudo Decimarum. Epistola 27. ait Clericos Decimas ex fructibus accipere, vt ab altari & sacrificiis non recedant. Origenes qui & ipse calamitosis Ecclesiæ temporibus vixit, Decimarum legem agnoscit homilia vndecima in Numeros, eademque pæne argumenta profert, quibus vsi sumus ad necessitatem Decimarum suadendã. Tandem Irenæus Lugdunensis auguria pendendarum Decimarum, earumque initia, ab ipsis Christi temporibus deducit. Cũ enim Apostoli per diem Sabathi spicas vellerent, & in agris alienis, ad depellendam famem necessaria caperent alimenta, censet eos tunc temporis vsos auctoritate Sacerdotii, quod à Leuitis in Apostolos transierat. Itaque vt Leuitæ ius olim habebant legendarum Decimarum, è quibus viuerent. Ita successores Apostoli, in eorum locum gradumque suffecti, poterant ex agris Iudaïcis speciem quandam Decimarum præcerpere, & necessaria sibi alimenta vindicare.

Cyprianus ep. 27.

Origenes hom. 11. in Numeros.

Irenæus lib. 4. aduersus errores Valentini cap. 20.

His

Digitized by Google

His facile intelligi poteſt Decimarum conſuetudinem non eſſe commentum recentioris alicuius ſæculi, fictum ambitione & auaritia Sacerdotum, ſed ſacram & inuiolabilem quandam legem, quã euertere ac labefactare nemo poteſt, niſi qui mundi dominatum, auctori Deo inuideat, velitque eius tribunal ambitione prodigioſâ deſtruere.

Alterum argumentum, quo Decimarum conſuetudinem, aduerſarii Eccleſiæ inſectantur, duci ſolet è paucitate Clericorum. Eos enim Decimam humani generis partem facere pernegant, adeóque hunc prouentum Decimarum, nimis pinguem eſſe ac luculentum, neque Clericis alio nomine vtilem, quàm vt ad luxum & delicias inuitet, ad quas opes & diuitiæ maximum habent incitamentum. Cui argumento non eſt difficile reſpondere. Si enim iuſta omnium bonorum partitio inter homines inſtituenda; quot querelis, quot rixis & litibus locus erit? In hac æquitate ac Iſomeria conſtituenda periret æquitas, iuſtitia violaretur, & humani generis ſocietas concuſſâ, æterno ac immortali diſſidio fluctuaret. Itaque Iudicibus auferri purpuram. Regibus tribunalia ac diademata eripi, Magiſtratibus lucem, ac ſplendorem dignitatis ſuæ ſubtrahi, omnemque ordinum ac graduum varietatem qua Reſpublicæ ornantur, confundi neceſſe erit. Si ergo luculentiorem fortunam ceteris non inuidemus; quid laceſſimus Clericos eorumque facultates? niſi eos longe reliquis deteriores putamus, quia Deo ſeruiunt, & inſignia Chriſti, ac imaginem

ferunt cum quo, occulto adhuc & latente bello, mundus & inuidia dæmonum, per Christianos etiam ac fideles colluctatur.

Sint ergo Clerici fæx & lacuna orbis; sint detriti, sint miseri; sed qua parte se tuebuntur? Nam si diuitiis inuidiam prouocant, paupertate risum mouent: in opibus simplicitaté perdunt, in sordibus auctoritatem: in opibus fugiūtur vt superbi, in squallore vt mēdici. Non ergo diuitiis peccant Clerici, atq; Ecclesiastici, sed in Religionem laïci male animantur, cuius Mystas & Sacerdotes, in tanta aliorum hominum opulentia, ferre non possunt supra infimæ sortis paupertatem eminere.

Aliunde vero licet Clerici Decimam non faciunt humani generis partem: attamen socios habent pauperes, errones, mendicos, Religiosos, Monachos, quibus Decimarum pars maxima his temporibus soluitur. Habent Rempublicam & Principes sui patrimonii participes, quibus sine strepitu thesauros & ærarium Ecclesiasticum aperiunt, quoties publica calamitate imminente, seu pax, seu dignitas Imperii periclitantur.

Quantum ad alia duo argumenta, nempe de varia ratione pendendarum Decimarum circa quotam, & de Decimis per laïcos Ecclesiæ datis, sequentibus capitulis patebit quid respondendum sit.

De varijs ritibus circa quotam Decimarum, & an liceat Ecclesiæ aliquid circa eam immutare & quibus de caussis, res Ecclesiæ pauperibus communicatæ. Etiam prædia illis ad vtendum concessa. Tres caussæ minuendæ Decimæ proferuntur. Sclauorum & Vagirorum Decimæ olim quales. Kanuti Regis Daniæ in propugnandis Decimis feruor.

CAP. V.

SVperiori capite inter argumenta, quibus aduersarii Decimarum consuetudinem impetebant; vnum erat ex varia ratione rituque soluendæ Decimæ petitum. Nempe aiunt in variis regionibus, varias quoque leges ac instituta vigere, circa quotam Decimarum. Alibi enim è fasciculis decem, alibi è duodecim, hîc è quindecim, illîc è viginti, vnus Decimarum nomine soluitur: Vnde concludebant Decimam non esse iuris diuini. Nam ius diuinum arbitrio hominum tolli non potest, aut vllatenus immutari.

Quamobrem videndum quid possit Ecclesia circa Decimarum quotam, an aliquid ex ea populis remittere liceat, & quamobrem soleat istius oneris ac pensitationis partem aliquam subiectis sibi plebibus indulgere.

Ac primo supponendum, non eam esse Decimarum naturam ac conditionem, quæ fuit olim in veteri Testamento: Hostiarum, Primitiarum & fru-

bus, priuato, singulis annis duas tremisses, sine aliqua delatione præstare non desinat. Sexcenta eius generis exempla reperies in epistolis eiusdem Papę.

Nec stipes tantum annuas, verum etiam agros & partem prædiorum Ecclesiasticorum, potuisse à Sacerdotibus dari egenis ac miseris, in diem vitæ suæ fruendos & vtédos, colligo ex Canon. 34. Concilij Aurel. 4. *Quisquis agellum Ecclesiæ in diem vitæ suæ pro quacumque misericordia à sacerdote, cui potestas est, acceperit possidendum, quæcumque ibi profecerit alienandi nullam habeat potestatem, &c.* Hic enim Canon non loquitur de agris, qui Clericis vtendi, & fruendi assignabantur, in stipendium: sed de quibusdam terræ Ecclesiasticæ portionibus, titulo misericordiæ, in pauperes erogatis. Maximè vero curam pauperum perpetuo apud Ecclesiastici ordinis viros extitisse docet consuetudo vetus in Ecclesiis recepta, vt omnium redituum, atque obuentionum quarta pars in commodum, atque emolumentum pauperum cederet, iisdemque sine fraude distribueretur. Ita Gelasius Papa ad Clerum, & ordinem, & plebem Brundusij, & in epistola ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios. Simplicius Papa ad Florentinum, & Equitium Episcopos. Gregorius Magnus lib. 3. epist. 11. Concilium Toletanum, seu potius Canones Syluestri Papæ, apud Gratianum caussa 12. q. 1. Can. *sarcimus*.

Concil. Aurel. can. 34. anno 541. sub Childeberto Rege.

Quarta pauperum in Ecclesiasticis reditibus.

Can. concesso 12. q. 1. Can. quatuor 12. q. 1. Simplicius Papa Can. de reditib. ibid. Greg. Mag. ad Aug. Anglorum Episcopum, Can. mos est, 12. q. 1.

Cum ergo licitum, imo necessarium fuerit semper, vt miseriis ac calamitatibus inopum Ecclesia prospiceret: Cùm ea semper fuerit consuetudo, vt

partem Ecclesiasticorum redituum miseri caperet, non dubium est quin illis possit Ecclesia aliquid impertiri, maxime è Decimarum fundo & reditibus. Nam Decimæ quodam iure præcipuo ad pauperes spectant, tenenturque Presbyteri & Sacerdotes, ex istis potius fructibus, quàm ex oblationibus aut donariis, quæ sibi conferuntur à populo, pensiones ac elemosynas miseris, atque egentibus condicere. Nam oblationes & dona populorum plerumque sunt honoraria stipendia, quæ dantur intuitu officii, ac ministerii alicuius sacri. At Decimæ sine labore, & opera Sacerdotum proueniunt; nec tam propriè ad Sacerdotem pertinent iure præcipuo & singulari, quàm ad totam Christi familiam, quæ quidem versatur, non modo in Clericis & Sacerdotibus, verum etiam in egenis & pauperibus quod enim vni ex minimis meis feceritis mihi fecistis, inquit Christus.

Propterea Augustinus lib. 50. homiliarum, hom. 58. vocat Decimas tributa egentium animarum. Vrbanus epistola ad Episcopos Galliæ, res Ecclesiasticas nominat patrimonia pauperum, qua eadem loquendi ratione vtitur Augustinus serm. 21. ad fratres in Eremo.

Qua caussa possit aliquid Ecclesiæ remittere ex Decimis.

Quibus ita prænotatis censendum Ecclesiam de quotâ Decimarum posse aliquid remittere colonis & rusticis, eo maxime consilio, ne in extremam inopiam decidant, ex tam grandi & dura præstatione. Si enim eos sinu suo excipit Ecclesia, qui fato aliquo & miseria temporum ad egestatem sunt

compulsi; quanto æquius est, vt imminentem paupertatem amoliatur, & prouideat ne plebs alioquin vectigalibus & tributis pressa, sub pondere Decimarum corruat, & tristi ac luctuosa egestate contabescat? Si ergo propter metum calamitatis & penuriæ aliquid è Decimarum quota Ecclesia subduxit, certe beneficientiæ ac misericordiæ excessus est, non defectus iuris. Ius enim habet Ecclesia postulandi & vindicandi Decimam partem, è frugibus & annuo quouis prouentu; idque non lege tantum positiua, aut consuetudine humana, sed præcepto Christi positiuo, de quo supra dictum est.

Si quis vero aliquod relaxatæ Decimę exemplũ postulet, non erit difficile eius votis satisfacere. Nam si quando Ecclesia construeretur in loco agresti, solo difficili duro ac senticoso, quoniam in eo arando & colendo plus operæ, ac laboris rustici ponere cogebantur: Idcirco solebat Ecclesia partem illis Decimarum remittere, & leuioribus tributis contenta esse. Ita legimus apud Crantzium libro quarto Vandaliæ, Holzatos, priusquam in Vagriam terram incultam ac ingratam transferrentur, cumque agrum colere adorirentur, pactum iniisse cum Sacerdotibus & Episcopis eiusce regionis, vt à maioribus Decimis essent liberi, & aliquot tantummodo mensuras grani pro vnoquoque aratro penderent. Itaque cum postea vellent Ecclesiastici Holzatos ad maiores Decimas solito Christianorum more persoluendas adigere, constanter repudiarunt istud onus, *Asserentes hoc*, (id est immunitatem à maio-

Crantzius lib. 4. Vandaliæ p. 101.

ribus Decimis) *illis fuisse permissum & promissum, priusquam nouam terram introirent ad cultum magno labore redigendam, vt quoniam vndique angerentur difficultatibus, releuentur ab onere grauissimarum Decimarum.* Et certe Helmoldus Presbyter in Chronico Sclauorum capite 12. refert certum Decimæ genus, quod Sclaui pendere soliti erant Aldenburgensibus Episcopis, quod genus Decimæ longe minus est ordinaria, & consueta præstatione. Fuit autem Aldenburg. ciuitas Metropolis Vagirorum, in occiduis partibus maris Baltici. Ita vero Helmodus de Decima Aldenburgensi. *Dabatur*, inquit, *Pontifici annuum de omni Vagirorum terra tributum, quod scilicet pro Decima imputabatur, de quolibet aratro mensura grani, & quadraginta resticuli lini, & duodecim nummi puri argenti: ad hæc vnus nummus precium colligentis. Sclauicum vero aratrum par boum, aut vnus conficit equus. De vrbibus vero, aut prædiis, aut curtiũ numero, quæ ad possessionem Pontificis pertinebant, non est huius operis explanare.* Neque vero difficile est ostẽdere Ecclesiam, relaxando aliquam Decimarũ partem, inseruire calamitati colonorum, & posse quãdocumque libuerit, pro suo iure exactam Decimam ab iisdem exigere, postquam imminentis penuriæ metus cessauit. Nam si eadem Sclauorum monimenta perlustremus, patebit; in progressu temporis, Giroldum quemdam Aldenburgensium Pontificem Sclauos, siue Holzatos, qui Vagriam incolebant voluisse ad Decimam in rigore persoluendam cogere. Qua in re ad suadendos Holzatos

Helmodus Presbyter lib. 1. Chron. Sclauorum, lib. 1. cap. 12.

vtebatur

vtebatur exemplo Polabrorum, & Obotriborum, qui cum Ecclesias de nouo extruxissent, in viciniâ infidelium, quorum creberrimis populationibus ac latrociniis vexabantur, non desinebant tamen suis Ecclesiis Decimas ex integro persoluere. Itaque turpe esse Holzatis & irreligiosum dicebat, aliquid de summa Decimarum tollere; qui vitam in pace agebant, erantque ab omni hostium & paganorum iniuria, ac prædatione summoti. Quam postulationem Giroldi cum intellexissent Holzati rudes, & ad parendum tardi, aduersus sui Pontificis consilia tumultuari ceperunt, palam asserentes, se nolle Decimas persoluere, quarum maxima pars ad alendam Clericorum superbiam, ac luxum insumeretur. Exardescente itaque populo, & iam frænum laxante dicteriis ac maledicentiæ, in Sacerdotes, in apertam seditionem res erat abitura, nisi Dux, Sclauorum animum bilemque popularem mulsisset, eoque deduxisset negotium, vt inito pacto cum Sacerdotibus certa parte, Decimarũ pensio augeretur. *Quapropter*, inquit Helmodus Presbyter Chronici Sclauorum lib. 1. cap. 92. *Holzatenses necessitate constricti, præsente Duce, cum Pontifice tali pactum inierunt, vt facerent augmentationem* Decimarum, *& soluerent de manso sex modios siliginis & octo auenæ, illius inquam modij qui vulgo dicitur Hemmethe, & ne succedentium forte Pontificum paterentur angarias, rogauerunt hoc ducis, atq; Pontificis sigillorum cõfirmari. Cumque Notarij iuxta morem curiæ, Marcam requirerent auri, gens indocta resiliit & negotium mansit imperfectũ.*

Ex his itaque patet Decimarum relaxationem aliquando initium habuisse è soli malignitate & duritie Ecclesiam sua iura indulsisse rusticanis, non alio nomine, quàm ne in paupertatem ruerent, aut extrema calamitate plecterentur.

Sublatâ quippe paupertatis, aut publicæ calamitatis caussa non dubitauit Ecclesia populos, etsi recens ad fidem conuersos, Decimarum præstationi subiicere. Elegans habemus & pium eius rei argumentum in vita sancti Kanuti Daniæ Regis, apud Saxonem Grammaticum Historiæ Danorum lib. vndecimo. Is enim postquam populum feris moribus & barbara superstitione intractabilem, ad mitiorem cultum & Christianam Religionem traduxisset: cœpit cogitare, quibus artibus eum posset ad Decimas Sacerdotibus pensitandas adigere. Cumque cerneret indociles pietati animos, aduersus hanc Religionis partem obluctari, hanc tandem machinam ad eos expugnandos adhibuit. Tributum suo nomine imposuit vniuersæ Danorum regioni, graue ac incommodum: Cuius cum remissionem populi ardentissime flagitarent, promisit se hoc onere ipsos leuaturum, si modo vellent in posterum Decimarum sacra pensione defungi. Quam conditionem repudiantibus Danis, & è contra Rege in consilio exigendi tributi permanente, tandem religiosus Princeps in isto conatu pio, simul ac illustri Barbarorum sæuitie & Polacri cuiusdam proditione extinctus est: ac in ipsamet Ecclesia à suis iugulatus, iustissimis suffragiis in Sanctorum cata-

Kanuti Regis in instituenda Decimatione constantia.

Saxo Grammatic. lib. 11. Hist. Danorum.

logum relatus est. Vnde patet Ecclesiam nunquam dubitasse quin Decimarum vectigal à populis exigendum esset, nisi discrimen inde secuturæ calamitatis, aliter suaderet esse decernendum.

Secunda ratio propter quam Decimarum quota minuitur, petenda est ex mutua Ecclesiæ in laicos beneficentia. Nempe quando laici vel Principes insignem aliquam gratiam Ecclesiæ contulerunt, & prædiis ac bonis immobilibus magna ex parte, ipsam illustrarunt, tunc potest Ecclesia in grati animi significationem, aliquid vicissim è suo rependere, & partem Decimarum ipsis eorumque vasallis & subditis remittere. Qua in parte, censendum est Decimas, non tam ab Ecclesia esse alienatas quam in opimiorem censum reditus pinguiores commutatas. Ita legimus Euermordum Episcopum Racesburgensem, medietatem Decimarum abdicasse, in fauorem Henrici Polabrorum Comitis, postquam idem Henricus dotem ingentem & bona non mediocria Ecclesiæ Racesburgensi, de suo patrimonio contulisset. Ita refert Helmodus Presbyter Chronici Sclauorum cap. 78. *Dilatante*, inquit, *Deo fines Ecclesiæ ordinatus est in Racesburg. Episcopus Dominus Euermordus præpositus de Magdeburg. deditque ei Comes Polabrorum Henricus insulam ad inhabitandum, prope Castrum. Præterea trecentos mansos resignauit Duci dandos in dotem Episcopij. Porro Decimas terræ recognouit Episcopo, quorum tamen medietatem recipit in beneficio, & factus est homo Episcopi, exceptis trecentis mansis, qui cum omni integritate tam redituum*

Helmodus Presbyter lib.1.c.78. p. 61.

quam Decimarum sunt Episcopi &c. Et certe tantopere insitum esse Ecclesiis Parochialibus ius Decimarum censuerunt veteres, vt illud tradi monasteriis nefas esse ducerent, priusquam eas Ecclesias certis prædiis ditassent & indemnes præstitissent. Quā indemnitatem Ecclesiis regni sui quæsiuit Stephanus Rex Hungariæ, quando fundauit. Proto-Abbatiam sancti Martini, in Pannonia. quia enim de Comitatu Simigensi Decimam vniuersam cum Episcoporum assensu, & voluntate in Dominium Monachorum sancti Martini transcripserat, idcirco ne qua in parte Episcopus illius Parochiæ, se facultatibus suis & Decimis spoliari quereretur, illi, velut ad sarciendum damnum, tradidit Rex villam quandam nomine Corten. Ita enim ferunt verba priuilegii libro secundo Decretorum Stephani circa annum 1047. *Ne*, inquit, *Ecclesia sancti Michaelis vacua esse videretur, vel Episcopus Parochianus iniurias querimoniasque in collectione Decimarum pateretur & curtem quæ vocatur Corten, cum hominibus eodem pertinentibus tradidi; quod si ipse contra mea statuta quid agere, vel acquirere voluerit, ante Deum iudicem viuorum & mortuorum, in die iudicij se contendere mecum sciat.*

Decretum Stephani Hungariæ Regis lib. 2. circa anni 1047.

Tertia caussa minuendi quotam Decimarum, & partem earum aliquam laïcis indulgendi fuit, cum ipsi laïci Ecclesias de nouo fundarent, in loco inculto, & in vicinia paganorum constituto. Nam quia Ecclesiæ illic extructę præsidio & tuitione indigebant, atque oportebat militum turbam pro

illarum salute ac defensione stare in procinctu, idcirco liberum fuit Sacerdotibus, atque Episcopis mitius agere cum laicis, circa negotium Decimarum eisque portionem quandam iustæ pensionis remittere. Ita duas partes Decimæ Marchioni Brandeburgensi, temporibus Innocentij Papæ tertii, relaxatas ac donatas legimus, propterea quod illi milites alere necesse esset, ac stipendia numerare, ad eam regionem, in qua Ecclesias fundauerat aduersus Barbarorum incursiones propugnandam.

Sic autem concepta est supplicatio Marchionis Brandeburgensis apud Innocentium, epistol. vigesima prima, libri primi Regist. 13. *Nobis humiliter supplicauit, vt cum pro ampliatione diuini cultus conuentualem Ecclesiam desideret in terra ipsa construere, licentiam super hoc ei concedere dignaremur, & ipsam ab omni onere Pontificalis Iurisdictionis exemptam, in ius & proprietatem Sedis Apostolicæ retinere. Ita profecto quod duæ partes Decimarum eiusdem terræ, ad Marchionem ipsum, & hæredes ipsius, pro Ecclesiæ fabrica quam ipsi debent proprijs sumptibus reparare, necnon etiam pro stipendiis militum deuoluantur, sine quibus Ecclesia memorata non posset contra Sclauorum impetum gubernari fidem Catholicam impugnantium &c.*

Innocent. III. ep 21. lib. 1. Regist. 13.

De Decimis Græcorum primis temporibus. Viguisse Decimas in Ecclesia Alexandrina & Antiochena. Cur Decimæ in Constantinopolitana Eccl sia non receptæ frumenti penuria Constantinop fœlix Embola. Panes gradiles. Quid loco Decimarum caperent Episcopi & Presbyteri. Tributum fumarium. Restitutæ Decimæ à Latinis in Græcia. Decimæ Græcorum Sacerdotum his temporibus quæ sint.

CAPVT VI.

Decimarum natura & conditio satis obscura est apud Græcos, dubiumque an ea pensitatione Græcorum prædia olim erga Sacerdotes tenerentur. Nam inter tot antiquitatis monimenta, tot leges ac canones, Decimarum ne minima quidem mentio, aut mediocre vestigium reperitur. Vnde conijcere licet Iustiniani temporibus, sub quo leges in centurias ac capita digestæ sunt Decimarum memoriam vsumque, si quis antea fuisset, omnino exoleuisse: Videamus itaque num sub initia Ecclesiæ nascentis Græcia Decimas admiserit, quibus in partibus earum vsus ac consuetudo viguerit, quando abrogata sit, quid in locum Decimarum successit & quibus tẽporibus restitutæ fuerint. Censeo itaque Græciam, inter initia surgentis Ecclesiæ, eadem pietate ac religione, qua reliquæ nationes id oneris postea subierunt, Decimarum vectigal

Decimarũ mentio non extat in legibus Iustinianeis.

pensitasse. Si quidem Origenis temporibus in Ecclesia Alexandrina, in qua ipse docuit & Presbyterii gradum assecutus est, sub annum Christi ducentesimum trigesimum, Decimarum Ecclesiæ soluendarum vrgebat sacra consuetudo, vt apparet ex homilia vndecima in Numeros, è quo loco plurima à nobis superioribus capitulis prolata sunt ad illustrandam Decimarum obligationem. Hanc consuetudinem non statim abrogatam, sed succedentibus quoque sæculis seruatam liquet ex Isidoro Pelusiota. Is enim, monachus montis Pelusiaci in Ægypto, in Diœcesi Alexandrina, vixit temporibus Theodosii Imperatoris, & fuit discipulus Diui Chrysostomi. Atqui Isidorus ille Decimarum meminit epistola 317. ad Herminium Comitem, quem laudat eo maxime nomine quod Decimarum præstationem Ecclesiæ religiosissime exhiberet. *Præclare,* inquit, *Dominum ornas, cum nobis fructuum tuorum Primitias tribuis, Decimamque partem ex vbertate terræ tuę, & à quo eam accepisti pendis. Quam quidem tu in multa tempora habiturus es, &c.* καλῶς τὸν κύριον τιμᾷς ἡμῖν τῶν καρπῶν ἀπαρχόμενος, καὶ δεκάτην τῆς εὐφορίας τῷ δίδοντι ἣν πολλοῖς ἕξεις καιροῖς, &c.

Decimarum vsus & consuetudo in Ecclesia Alexandrina.

Orig. homi. 11. in Num

Isidor. Pelusiota ep. 317. lib. 1.

In Ecclesia verò Antiochena eundem ritum Decimę sacro ministrorum altaris ærario inferendæ viguisse putat Interpres Chrysostomi homil. 18. in cap. 8. Actuum Apostolicorum, vbi ἀπόμοιραν ἀπαρχαί, καὶ ἀπαρχάς, interpretatur partem ac Decimas. *Parum ne est,* ait, *oro torcular benedici? parum ne est, ex omnibus frugibus ac Decimis, prius partem ac Decimas*

Decimæ In Ecclesia Antiochena.

non sunt Decimæ sed Primitię.

accipere. Ad pacem Agricolarum hoc vtile. Venerabilis erit, & Presbyter postea, & ad securitatem agri conducet. Preces illic perpetuo propter te, laudes & synaxes, propter te, oblatio per singulos dies Dominicos fiet, &c.

Cæteri Patrum Græcorum parcius Decimarum meminerunt, neque apud eos inter obuentiones reditusque Ecclesiasticos Decimæ fere vnquam numerantur. Primitiarum enim solummodo ac oblationum mentionem faciunt. Epiphanius hæresi octogesima lib. 3. tom. 2. Vbi recenset quid populus Sacerdotibus alendis, & vestiendis conferre debeat, Decimarum nomen & mentionem nullatenus inducit: Sed ait Sacerdotibus victum esse ministrandum, διά τε ἀπαρχῶν τε καὶ προσφορῶν καὶ τῶν ἄλλων. *Ex Primitiis, oblationibus & aliis.* Gregorius Nazienzenus epistola octogesima, ad Aerium & Alypium: Vbi eorum matrem laudat, quod certam pecuniæ summam in pauperes alendos contulisset: Ait deberi Deo non Decimas quidem, sed Primitias Areæ & torcularis. *Quemadmodum*, inquit, *Areæ & torcularis Primitias & filiorum, eos qui vere filios amant Deo consecrare iustum est, ac pium: quoniam ab ipso & nos ipse & nostra omnia sunt. Ita noua quoque hæreditatis partem aliquam illi vouere pium est, vt purè promte & libenter oblata, maiori parti securitatem conciliet,* ὥσπερ ἀπαρχὰς ἅλωνός τε καὶ ληνοῦ, καὶ τέκνων τοὺς ἀληθῶς φιλοτέκνους ἀναθεῖναι θεῷ δίκαιόν τε καὶ ὅσιον· ὅτι παρ' αὐτοῦ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ, καὶ τὰ ἡμέτερα. &c. Forsan vero Patres Primitiarum nomine & Decimas concludebant, abstinebantque à nomine Decimarum, quoniam tributum

Epiphan. hæres. 80. lib. 3. tom. 2.

Greg. Nazian. epist. 80. ad Æriũ & Alypium.

tributum aliquod & vectigal prophanum ſapit,& metuebant, ne ſeruitutẽ loco Religionis inducere, & pietatis ſpecie lucrum aucupari crederentur. Reperio tamen poſterioribus ſæculis, etiam ſublato è viuis Iuſtiniano, Decimarum vſum & memoriam non omnino interiiſſe. Apud ſanctum Antiochum Lauræ ſanctæ Sabæ Abbatem, qui vixit ſub Heraclio Imperatore, circa annum ſexcenteſimum decimum quartum, extat homilia quædam numero centeſima vigeſima, cui titulus eſt, περὶ ἀπαρχῶν, de Primitijs, in qua non modo Primitiarum, verum etiam Decimarum Religionem mirifice prædicat, & ad eam, tam laïcos quam Monachos à ſæculi iactatione ſummotos adhortatur. Ac de Primitiis quidem loquitur quaſi omni ratione & titulo æquitatis debitis.

Decimarũ vſus etiam poſt tempora Iuſtiniani.

Quantũ attinet ad Primitias, his exoluendis modis omnibus obſtringimur, ex his etiamnũ quę ſunt proprio labore quæſita, ex corporis viribus, quas benigne ipſe ſuppeditat Dominus, quaſque ſua ſolius prouidentia ſuggerit dum noſtri prouidam agit curam &c. De Decimis vero præceptum nullum adfert, videturque remiſſius de illis loqui. *In bono*, inquit, *oculo glorifica Deum & ne imminuas Decimas manuum tuarum*, ἐν ὀφθαλμῷ ἀγαθῷ δόξασον τὸν θεὸν καὶ μὴ σμικρύνῃς ἀπαρχὴν χειρῶν σου, &c. Imo vero obligationem Decimarum pendendarum videtur ad ſolos Monachos reſtringere, ἐξαιρέτως δὲ μοναχοὶ χρεώσται εἰσὶν προσφέρειν τῷ θεῷ ἀπαρχὰς, καὶ δεκάτας, &c. *Præcipue autem Monachi tene-*

Sãctus Antiochus homil. περὶ ἀπαρχῶν, to. 1. Bibliot. Patrum.

tur offerre Deo Primitias & Decimas, &c.

E quibus liquet Primitiarum legem apud Græcos longe studiosius cultam, ac religiosius seruatam quam Decimarum. Qua vero ratione factum sit, vt Decimarum consuetudo apud græcos fuerit antiquata, non est ita facile augurari. Existimarim in Constantinopolitana Diœcesi primum desiisse Decimas persolui, ac fortasse nunquam illic in vsu extitisse. Cuius rei plurimæ rationes possunt adferri: Prima est, Constantinopolitanæ Diœceseos solum non ita fœcundum ac fertile extitisse, vt è sola frugum Decima idonei prouentus possent colligi ad alendos Sacerdotes, & dotem Ecclesiæ tam illustris constituendam. Soli infœcunditatem probat maxime necessaria quotannis frumenti ex Ægypto transuectio, quam fœlicem Embolam Imperatores appellarunt. Oportuit enim per annos singulos onerarias naues, magno certe numero, certis ac statis diebus Constantinopolim frumentum importare, & eandem annonam Alexandriam conferre intra mensem Septembrem. Cui transuectioni ac importationi frumentariæ præerat Præfectus Aegypti, pœna indicta in ternos medimnos atticos, nisi id esset executus: tanta autem erat huius Canonis frumentarii necessitas, vt nauibus Ecclesiæ, pręfectus vti posset ad eam transuectionem si forte opus esset. *§. iubemus Cod. de sacrosanct. Ecclesiis.* Eandem rei frumentariæ penuriam in ciuitate Constantinopolitana probat quotidiana panis distributio, qua

Rationes ob quas Decimæ in Constantinopolitana Diœcesi nō fuerunt vsitatæ.

Quid fœlix Embola.

Digitized by Google

defungebantur præfecti annonæ ciuitatis Constantinopoleos. Illi enim panes Imperatoris nomine singulis diebus diuidebant non pauperibus, modo verum etiam honestioribus è populo, præsertim iis qui ædes aliquas domumue in vrbe extruxerant, eamque ædificiis ornauerant. Vnde panis, siue ius panium capiundorum è publico domos sequebatur, ac nefas erat venditis ædibus, panis ex ærario Principis sumendi iura retinere. Ita liquet ex lege, *quia comperimus*. De annonis ciuilibus, Codicis Theodosiani lib. 14 tit. 17. l. 1. Vnde quia locus vbi panem populo diuidebat præfectus, gradus erant quidam & scalæ circa eius tribunal dispositæ, panis iste Gradilis dicebatur, *l. panis Gradilis, & l. vniuersi panem Gradilem, l 2. & 3* eodem tit. Codicis Theodos. licet enim in vrbe Roma, hic panis in vsu fuerit, neque hoc proprium fuerit vrbi Constantinopoli: attamen eá viguisse ab initio talem panis largitionem patet ex leg. 12. Vbi expresse habetur Constantinum & Constantium authores fuisse huius annonę iis erogandæ, qui in vrbe Constantinop. domos extruxerant.

Cum ergo maritima illa pars quæ Constantinopolim spectat, non adeo tum temporis culta esse ac fertilis, vt frumenti Decima Sacerdotes alere posset verosimile est Decimam frumenti, in alias pensiones fuisse commutatam, quia facilius & commodius poterat plebs nummariam pensionem Sacerdotibus præstare quam frumenti Decimam.

Adde quod res Orientis non diu quietæ fuerunt.

Secunda datio sublatarum in Græcia Decimarum.

cito & Imperii, & Ecclesiæ status Persarum ac Saracenorum violenta commotione turbatus: Vnde istam Decimarum obligationem Ecclesia remitti facile permisit, ne plebs grauibus vndequaque molestiis pressa pari horrore Sacerdotem metueret ac militem.

Tandem his rationibus addendum, statum Ecclesię in vrbe Constantinopolitana ad exemplar Imperii ac Reip. constitutum. Vnde cum Imperatores suis officiariis, vt ita loquar, Tribunis, militibus aliisque stipendia persoluerent, in variis speciebus, partim in frumento, partim in vino, partim in nummis, vt patet ex Trebellio Pollione in Claudio, Flauio Vopisco in vita Aureliani, hinc factum est, vt pari politia ac methodo Episcopis ac Sacerdotibus stipendia sua sumere Imperatores suaderent, & per domos ac villas tributum aliquod ac vectigal sacrum exigere: maxime cũ istud pensionis genus multo liquidius sit ac commodius, neque tam facile possit populus in hoc præstationis genere, fucum facere Sacerdotibus, quàm si ex agris, & prædiis frumentariæ Decimæ colligantur.

Epistola Valeriani apud Trebelliũ Pollionem, Flauius Vopiscus in vita Aureliani.

Quas vero obuentiones, quæ stipendia Gręci Sacerdotes sortirentur in compensationem Decimarum tunc temporis inquirendum est. Eorum autem stipendiorum duo fuisse genera reperio, primum statum ac fixum legi solitum quotannis. Secundum vero incertum ac mutabile nempe honorarium aliquod munus, quod Sacerdotes & Episcopi percipiebant, siue dum benedictionem sacris

Digitized by Google

coniugij fœderibus impertirentur, siue cum Sacerdotum catalogo aliquem inscriberent, aut venerandis ordinibus inaugurarent.

Stipendium certum ac fixum legebatur per domos singulas, siue per fumaria: vnde *Capnicum* dictum est, seu *fumarium*. Eius tributi summam ac rationem præscripsit Isacius Comenus Imperator, in sua Bulla aurea, cuius hic est textus.

Nomine, inquit, *Canonici à vico habente triginta fumaria, nummus aureus vnus exigatur, argentei duo, aries vnus, hordei modii sex, vini mensuræ sex, farinæ modii sex, triginta gallinæ. Ab eo verò qui fumaria viginti habet, dimidium aurei, argentum æquiualens duobus argenteis, agnus mediæ ætatis vnus, hordei modii quatuor, vini mensuræ quatuor, gallinæ viginti. A vico denique decem habente fumaria, quinque argentei, agnus vnus, hordei modii duo, gallinæ decem quemadmodum, & in veterum exactorum sigillis scriptum est.* Ὡσαύτως καὶ ὑπὲρ τοῦ κανονικοῦ ἀπὸ τοῦ ἔχοντος χωρία λ. κάπνους νόμισμα ἓν χρυσοῦν ὅμοιον, ἀργυρᾶ δύο, κριὸν ἕνα, κριθῆς μόδια ἕξ, καὶ ὄρνιθας τριάκοντα· ἀπὸ δὲ τοῦ ἔχοντος. κ. κάπνους τὸ δίμοιρον τοῦ νομίσματος, καὶ ἀντὶ τῶν β. ἀργυρῶν ἀργυρεσίου, μέζαρνον ἕν κριθῆς μόδια δ. οἴνου μέτρα δ. ἀλεύρου μόδια δ. καὶ ὄρνιθας κ. ἀπὸ δὲ τοῦ ἔχοντος ι. κάπνους χωρία, ἀργυρᾶ ε. ἀρνίον ἕν, καρπῶν μόδια β΄. οἴνου μέτρα β΄. ἀλεύρου μόδια β΄. καὶ ὄρνιθας ι. καθὼς καὶ ἐν τοῖς σιγίλλοις τῶν παλαιῶν πρακτικῶν ἀναγράφοις). E qua constitutione liquet obuentiones Episcoporum & eorundem census, è variis nūmorum, frugum & animantium generibus constitisse, quas prædia & vici annuatim pendebant, in-

dicta, per singulas domos pensione, ad eum modum, quo in partibus quibusdam Galliæ, per domos seu focaria regiæ collationes leguntur, quæ proinde à focis dicuntur focariæ.

Eum vero ritum pendendi census Episcopales per fumaria, non esse natum, aut inuentum tantummodo temporibus Isacij Comeni, sed longæua consuetudine firmatum verba ipsiusmet Bullæ testantur. Initio enim vocant istam formam persoluendi Canonicum seu Episcopale tributum, παλαιὸν τυπὸν, *antiquam sanctionem*. Deinde in fine eiusdem Bullæ, ait specierum istarum ac rerum, quæ Episcopo dabantur, Canonem atque indicem reperiri, *in sigillis veterum exactorum*. Vixit autem Isacius Comenus circa tempora Stephani Papæ ad annum Christ. 1057.

Ea consuetudo persoluendi stipendia partim in speciebus, seu corporeis rebus, partim in nummis, non modo in Episcoporum censibus, sed etiam in aliorum quoque inferioris gradus hominum sportulis locum obtinebat. Erant in vrbe Constantinopolitana Doctores, insignis certe & magnifica eo tempore dignitas: quippe Episcopali pœne fastigio æquabantur, quorum munus atque officium implebant. Illis ergo vice Patriarchæ sanctissimi fungentibus stipendia pendebantur, partim in nummis, partim vero in frumento. Ita sanxerat Alexius Comenus, *omnibus Doctoribus tam iis qui sunt intra Ecclesiam, quã iis qui sunt extra, tres libras aureorum & frumenti modios quinquaginta.* Vt est apud Bo-

Alex. Com.

nesidium & Leunclauium iuris Orientalis libro secundo capite nono.

Licet vero Parochorum ac Curionum stipendia quæ fuerunt non legamus, nec satis constet quibus sportulis donarentur, tamē coniicere est pro Curionibus & Presbyteris vicanis, certū quoque canonis ac pensionis modum fuisse constitutum, cui rei illustrandæ plurimum conducit Synodalis sententia Nicolai Patriarchæ, qui Grammaticus dictus est.

Is enim, cum plebs recusaret Canonicum Sacerdotibus pendere, propterea quod Synodorum statuta loquebantur tantummodo de Canonico Episcopis pręstando, ab iis qui ordinabantur, velletque populus immunitatem suam tueri legum silentio, edixit Nicolaus Patriarcha, vt in posterum laici suis Sacerdotibus antiquas pensiones soluerent, quia si Sacerdotes Episcopo aliquid pendunt alimentorum nomine quando ordinantur: multo æquius est laicos suis Sacerdotibus demensum aliquod è publico largiri, eosq; populorū beneficiis viuere, quis ipsis in re salutis ac fœlicitatis æternæ subseruiunt. quamobrem renouari iubet antiquas sanctiones easque seruari. *Quæcunque*, inquit, *requiruntur à laicis soluantur in nummis & speciebus & argenteis, &c.* Apud Leunclauium sentent. Synodalium lib. 2. Dicet autem aliquis ex prædictis satis liquere, quæ stipendia Gręcorum Prælati ac Sacerdotes postremis temporibus vice Decimarum ceperint: Verum non constare, quo censu, quibusue expensis alerentur, sub tempora Iustiniani & succedentium

Nicol. Patriarchæ de stipendiis Doctorum sent. Synodalis, apud Leuncl. l. 2.

Digitized by Google

Imperatorum, antequam certa lege cautum esset, quod tributum, quemue canonem, seu domus, seu prædia Græcorum, oportet Ecclesiasticis viris soluere.

Cui respondemus, mediis illis temporibus non ita clarum esse ac perspicuum, quas obuentiones populus Clericis penderet; Verumtamen esse admodum probabile, pro sacris ac religiosis operis Clericos, presertim eos qui extra vrbem Constantinopolitanam degerent in vilibus pagis, certas accepisse sportulas & pensiones grandes, aut exiguas pro conditione locorum & personarum. Adde quod licet Decimas non caperent Sacerdotes, qui vicos, aut oppida regebant: attamen iis primitiæ ex omni genere fructuum & rustici prouentus pendebantur satis amplæ ac locupletes.

Habebant præterea assiduas populorum oblationes, quas vrgente adhuc & feruente pietatis zelo nondum auaritia extinxerat.

Septima Synodus Can. 10.

Cæterum non ita pingues fuisse Parœciarum reditus in Diœcesi Constantinopolitana, satis probat Canon Decimus 7. Synodi aduersus Iconaclastas. Ex eo quippe Canone, patet Rusticanos & Conregionales Presbyteros suas plerumque reliquisse Parœcias, vt se magnatum Constantinopolitanæ ciuitatis seruitio addicerent. Neque tamen Concilium decernit eos esse ad Parochiam remittendos, sed suadet potius vt si qua rerum penuria, atque egestate premantur, educandis atque erudiendis seruis ac pueris, honestum stipendium quærant, potiùs quàm

Rusticani Parochi in Græcia pauperes fuisse probatur.

quàm indigniſſimæ ſeſe addicant ſeruituti. Quod ſi ex Parochiarum cenſu ſeipſos alere potuiſſent, tali conſilio & adhortatione non fuiſſe opus.

Quod ſpectat ad vrbium Clericos & Sacerdotes non deerant certi reditus ac præfixę obuentiones, quibus alerentur. Nam primo Conſtantinus partem vectigalium & illationum fiſcalium commodis, atque ſtipendis Clericorum ſacrauerat. 2. Singulis diebus in Eccleſia Conſtantinopolitana fiebant erogationes nummariæ. 3. Præſtabantur Clericis annonæ ciuiles. 4. Pro funeribus ciuium certos cenſus, tabernæ ad id deſignatæ in vrbe Imperatoria ſuppeditabant. E quibus ſatis liquet non defuiſſe amplas opes ac facultates vrbium maiorum, atque inſigniorum Clericis, quibus dignitatem ſuam tuerentur.

De ſtipendio Clericorum vrbanorum.

Nouellâ vndeterminatus 3.

Nouellâ de officinis ſeu tabernis 43.

Græcia itaque ſic educauit Sacerdotes ſuos & Clericos per longa annorum ſpatia, quibus Decimarum memoria pæne interciderat. Donec Latini ſpecie ac titulo terræ ſanctæ recipiendę græciam ingreſſi, Romanam illuc fidem, mores & ceremonias intulerunt, quod factum eſt maxime Innocentii tertii temporibus. Cum enim Balduinus inuicti animi & conſtantiæ indomitæ Princeps, vrbem Conſtantinopolitanam expugnaſſet, & perfidiam ac proditionem Græcorum, eorundem ſeruitute vindicaſſet. Ipſe in Imperatoris ſolium euectus Patriarcham ac Pontifices quantum potuit per græciam eos curauit inſtitui, qui Latinos ritus ac fidem colerent: Iſti ergo noui Sacerdotes Græcorum cæ-

Circa annũ 1200.

Georgius Logotheta in Chronico Conſtantinopol.

remoniis amandatis; Romanis moribus Ecclesias suas informarunt, & Decimas cæterasque consuetudines piè obseruandas ac religiosè colendas decreuerunt; reluctantibus græcis & maxime Procerum ac Nobilium indignante superbiâ. Illi enim non semel prohibuerunt hominibus suis, ne Decimas penderent more Romano; Eos vero angebat maxime Latinorum Imperium, eò quòd Latini cogerent Nobiles græcos, Ecclesiis restituere opes & facultates ablatas. Itaque cum tantopere sese indociles præberent, & Decimarum pensionem exhorrescerent, sæpe excommunicationis metus est illis incussus. Imo cum ad Bellum aduersus Michalicium quendam, res græciæ turbantem & omnia ferro ignique populantem, Proceres Achaiæ sese accingerent, non ante Dominicum corpus & sanguinè, pacis bellique præsidium salutare, de manibus Sacerdotum ceperunt, quam pollicerentur se Decimam in posterum more Romano Sacerdotibus soluturos, nec prohibituros ampliùs, quominus eorum serui, homines ac vasalli eam præstationem Ecclesiæ ministrarent. Ita elicitur ex epistola centesima sexagesima prima, apud Innocentium lib. 1. Regist. 13. ad Archiespiscopũ Larissensem, & Episcopum Cithoniensem, vbi de Achaiæ nobilibus sic loquitur. *Canonicos*, inquit, *in nonnullis Ecclesiis intrudere non verentur: excommunicatos tam laicos, quam clericos in sua pertinacia confouendo. Cumque dudum ad bellum contra Michalicium processuri recipientes corpus & sanguinem Iesu Christi omnes pariter*

Innocent. III. passim in epistolis.

Innocent. epist. 161. lib. 1 Regist. 13.

promisissent, quin imo per votum obligauerint se solemne, quod de ipso prælio redituri Decimas Ecclesiis suis soluerent, & subditos suos tam Græcos quam Latinos cogerent ad soluendum: id post modum efficere non curarunt. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Latinos eiusmodi, vt Ecclesiis suis soluant, sicut ex communi iure ac speciali quoque voto tenentur, &c. inducere procuretis, ipsos ad hoc si opus fuerit per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota sicut iustum fuerit compellentes.

Et certe Innocentij tertii temporibus Decimarum iugum Græcia magna ex parte receperat, vt ex eiusdem Epistolis liquet, quibus contentiones non paucæ sedantur, ortæ inter Canonicos & Episcopum de Decimarum partitione. Epistola quadragesima quarta, ortum dissidium pacat inter Clericos & Patriarcham Constantinopolitanum, quòd nempe Patriarcha Const. iussus à legato sedis Apostolicæ Cardinale sancti Marcelli, dare Canonicis quartam Decimarum, per triennium eam retinuisset. Epistola centesima quinta libri primi, hortatur nobiles Larissensis Diœcesis vt Decimas ablatas Episcopis restituant, eadem hortatione vtitur epistola 108. ad Imperat. Constantinop. cuius milites Decimas Citrensis Diœcesis occupabant. Epistola 62. lib. 4. componitur lis orta inter Episcopum Nitriensem & Abbatem de Egris in Diœcesi Cenadiensi super quodam iure Decimarum.

Innocent. III. epi. 44. lib. 1.

Innocent. III. epi. 105. lib. 1.

Idem epist. 108. lib. 1.

Innocent. III. epi. 62. lib. 4.

Tandem euersis Latinorum rebus & Græcia in potestatem impiorum translatâ, non modo Deci-

Digitized by Google

mæ, ſed omnes Sacerdotum reditus euanuerunt, adeoque Græcis Sacerdotibus in extrema calamitate languescere neceſſe eſt, poſtquam ſeſe Latinorum patrocinio ſubduxerunt.

Reſtat tamen illis tributum quoddam per domos & fumaria legi ſolitum, in quo quia temporales omnes Sacerdotum ac Clericorum reditus verſantur, idcirco χρόνικον, ſiue temporale appellant. Audiendus hac de re Gerlachius epiſtola ad Cancellarium Academiæ Tubingenſis 17. Maij anno 1576. *Salarium*, inquit, *ſi habent, exiguum eſt. Sacerdotes ſtipem ab auditoribus habent. Sunt enim certæ domus cuique Eccleſiæ annumeratæ, à quibus ſingulis deputatum, quod ipſi χρόνικον vocant, quouis anno accipiunt. Ex ſepultura etiam, exequiis aliiſque officiis Sacerdotalibus, vt Miſſis, quas laici pro ſe & defunctis cognatis emunt; pecuniam lucrantur. Quidam interea domi ſuæ opificia exercent. Quibuſdam quoque Eccleſiis fundi certi à moribundis dedicati ſunt.* Ita ſe habet Decimarum hiſtoria apud Græcos quam, ſi monimenta librique manuſcripti ſuppeterent fortaſſe dediſſemus ampliorem.

Gerlachius epiſt. ad Cancellar. Acad. Tubingenſis.

An Decimæ poßint laicis vendi & alienari. Decimarum ius ab vsu fructu distinguitur. Oblationum pars nulla laicis competere potest. Basilicæ pro quæstu prohibentur à laicis extrui. Decimæ sunt pars domanij Sacerdotalis. Domanium regium non potest alienari. Quæ pars rerum Ecclesiasticarum olim poterat Monachis dari. Decimæ à laicis non præscribuntur, &c.

CAPVT VII.

IVs legendarum Decimarum ab earundem vsu fructúque est secernendum. In vsum enim fructumque Decimarum vocari possunt pauperes, mendici, exules & Diœcesis peregrinę Clerici, quos hæreticorum furor ac inuidia, suis sedibus ejecit. Hi tamen omnes ius legendæ & capiundæ Decimæ non habent, & si quid ex iis obtinent, illud non iustitia sed misericordia in ipsos transfundit.

Vsus fructus Decimæ ab eiusdem iure distinguitur.

Dicamus itaque vsum fructumque Decimarum ex parte aliqua, laicis posse concedi. Certis enim de caussis possunt Episcopi & Prælati Ecclesiarum partem aliquam Decimarum fruendam laicis cedere. At quantum ad ius Decimę legendæ, præter Episcopos & Sacerdotes, qui in terris, Dei vices obeunt & populis regendis præficiuntur, nemo ius istud sibi potest arrogare.

Laici possunt habere ad tempus vsum fructum Decimarum.

Quæ sententia vt clare possit intelligi animaduertendum Decimas ius esse aliquod sacrum & di-

Decimæ nō dantur intuitu laboris.

uinum, quod Sacerdotibus penditur, non ratione operæ alicuius, aut laboris in regendo, aut continendo populo exantlati, sed ratione loci gradusue sui, quia nempe in terris vice Dei funguntur, eiusque quodammodo personam sustinent. Vnde licet Sacerdotes, nec mysteriis occuparentur, nec populum sacris doctrinis imbuerent, puta si prima illa Maiorum nostrorum innocentia resurgeret, quam Adam suo scelere perdidit, adhuc in eo ordine statuque rerum Sacerdotibus dari Decimas oporteret. Sunt enim obsequii nostri erga Deum monimenta, sunt reditus censusque eidem debiti, quatenus summo arbitratu mundum temperat, & supremâ in res omnes auctoritate dominatur.

Decimæ etiam in statu Innocentiæ penderentur.

At quicumque rerum status fingatur, quæcunque conuersio mutatioque orbis vniuersi cogitetur; semper Deus suum in res omnes dominium retinet, semper eidem seruitii nostri ac famulatus pignora persolui, iustitia exposcit.

At ea pignora, illas obsequentis animi significationes, quis receptabit in terris, nisi Pontifex *pro hominibus constitutus in his quæ ad Deum sunt, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* In eo ergo solo cōsistit ius Decimæ tollendæ, in quo viget auctoritas Dei ipsiusmet, qui pascendo regendoque populo designatus, eius Caput est & Princeps, in his, quæ ad Dei cultum & Religionem pertinent.

Hebræorū 5. v. 1.

Itaque cum pænes laicos auctoritas illa diuina non vigeat, neque quisquam possit absque Sacerdotii insignibus, Ducem se ac rectorem populi no-

minare, in his quæ salutis sunt & religionis; inde facile concluditur in neminem laicorum posse ius Decimarum legendarum transferri.

Ius Decimarum nõ est propriũ Ecclesiæ, sed Dei.

Addę quod Ecclesia iis libere vti non potest, quæ sua non sunt, sed sibi ad vtendum & dispensandum tantummodo, diuina manu tradita: At ius Decimarum non est Ecclesiæ proprium sed Dei. Nõ enim dantur ad recognitionem Ecclesiæ, sed Dei ipsiusmet: quatenus ipse summus est Dominus & arbiter vniuersi. Ecclesia vero recipit Decimas, Dei nomine, & quatenus eius Episcopi, Dei in terris imaginem sustinent. Non potest ęrgo Ecclesia ius istud vendere, alienare, permutare: quemadmodum Quæstores Principum qui colligendis tributis præficiuntur, non possunt populos vectigalium solutione liberare.

Secundum argumentũ quo probatur ius Decimarum non posse laicis competere.

Secundo, argumentum ducimus à natura & Religione oblationum sacrarum. Nam oblationes magis pendent ex voluntate populorum, quàm Decimæ. Imo vero, Ecclesia ipsamet maiorem videtur habere potestatem in oblationes, quàm in Decimas; Quippe oblationes dantur Sacerdotibus velut in stipendium operæ alicuius sacræ & religiosæ, ideoque habent rationem peculii Sacerdotalis. Et tamen oblationes olim, si quis præter Episcopum susciperet infamis hæreticus, & sacris indignus habebatur. Concilium Gangrense can. 7. *Si quis vult fructus Ecclesiæ oblatos, vel dare extra Ecclesiam præter Episcopi sententiam, vel eius cui cura eorum tradita est, & non cum eius sentẽtia ea velit agere, sit anathema.*

Concil. Gãgrense can. 7. & can. 8.

Et Clarius canone 8. *Si quis dat vel accipit fructus oblatos præter Episcopum, vel eum qui est constitutus ad dispensationem beneficentiæ, & qui dat, & qui accipit, anathema sit.*

Symmach. Papa in 6. Synodo Romana.

Eandem sententiam resumit Symmachus Papa in Synodo sexta Romana in qua concludit. *Valde iniquum & ingens sacrilegium esse, vt quęcumque vel pro remedio peccatorum, vel salute, vel requie animarum suarum vnusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab his à quibus hæc maxime seruari conuenit, id est Christianis & Deum timentibus hominibus, & super omnia à principibus & primis Regionum in aliud transferri vel conuerti.*

De Basilicis obquestum à laicis condebantur.

Et certe ita abhorrebant veteres ab oblationibus arbitrio laicorum permittendis, vt nequidem vellent laicos, his conditionibus sumptus facere in extruenda Basilica, vt nempe dimidiam partem ex iis caperent, quę postea ad altare Basilicæ offerrentur. Hanc enim pietatem quæstuosam, & sordidam execrati sunt, neque tam Religionem appellari debere censuerunt, quàm mercimonium. Ita Concil. Braccarense secundum canone sexto. *Placuit vt si quis Basilicam non pro deuotione fidei, sed pro quæstus cupiditate ædificat, vt quidquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cũ clericis diuidat, eo quòd Basilicam in terra sua ipse condiderit, quod in aliquibus locis vsque modo dicitur fieri. Hoc ergo de cætero obseruari debet, vt nullus Episcoporum tam abominabili voto consentiat, vt Basilicam quæ non pro sanctorum patrocinio, sed magis tributaria conditione est condita, audeat consecrare.*

Conci. Brac. 2 can. 6. & ret. de consecrat. dist. 1. can. si quis.

Si

Si ergo oblationes nefas eſt tradi laicis, quidquid ſumptuum in Eccleſia ornanda fecerint; multò minus Decimas ipſis non licet adſcribere, quas in patrimonium Sacerdotum Deus ipſe tradidit, vt ſua in terris vice fungerentur.

Et certe duplicem in terris perſonam ſuſtinet Epiſcopus ex Ignatio, epiſtola ad Smyrnenſes. Imperat enim vice Dei: ſacrificat vice Chriſti. Qua parte Dei imperium refert, Decimas ſumit: qua vero Chriſti, ſacrificium inſtaurat, ac repetit, oblationibus fruitur. Quamobrem cum laicus tam Imperii, quam ſacrificii ſit incapax, hinc fit vt ius illi tradi non poſſit, nec in Decimas nec in oblationes.

Ignatius Epiſtol. ad Smyrnenſ. θεοῦ εἰκόνα φέροντα κατὰ μὲν τὸ ἄρχειν, τοῦ θεοῦ κατὰ δὲ τὸ ἱερατεύειν χριστοῦ.

Tertio vtimur hac in re argumento ducto à conditione bonorum, quæ domanium Principis componunt.

Certum eſt enim Principes duo ſaltem habere genera bonorum. quædam enim poſſident nomine patrimonii, quomodo priuatus quilibet ſuum quoque poſſidet patrimonium, de quo genere bonorum quæ patrimonia ſunt Principum gloſſę veteres. πατριμωνάλια ὅσα ἕκαστος βασιλεὺς ἑαυτῷ κτᾶται, & rurſus, πατριμωνάλια ἰδιόκτητα τοῦ βασιλέως. Alia vero ſunt, quæ poſſidet Princeps titulo Imperii, & quæ nõ tam in Principis quam in Principatus patrimonio ſunt: cuiuſmodi ſunt tributa, vectigalia, & quęcumque domanium Principis conficiunt, prædia, villę, iura regia &c. Ita apud Romanos aliæ ſunt res Cæſaris, aliæ res fiſci, & res fiſci, aliæ publicæ, aliæ priuatæ. Res Cæſaris dicuntur quæ in Principis cuiuſ-

Duo genera bonorum Principes obtinent.

Gloſſę veteres à Labbæo editæ in voce πατριμωνάλια.

que priuato patrimonio sunt, non quatenus est Princeps, sed quatenus Arcadius, Honorius, Antoninus, l. 3. Cod. *de quadriennij præscriptione*, in qua Iustinianus aperte distinguit inter substantiam propriam Principis, & substantiam fisci. Res autem fiscales dicuntur quæ principatui insitę sunt, & ad ornandam ac tuendam Principis dignitatem institutæ, *l. prætor §. hoc interdictum ff. ne quid in loco publico*. Ex his itaque sic concludo: Res fisci & dominii à Principe alienari non possunt, neque potest Princeps partem sui Imperii quauis conditione distrahere. Etsi enim in contrarium proferantur exempla Regum aliquorum, qui se iuribus regni, Sceptro ac Imperio abdicarint in fauorem peregrinæ gentis, aut extranei alicuius Principis, vt exemplũ Attali Regis Pergamenorum, qui regni sui hæredem populũ Romanum instituit, Nicomedis Bythiniæ, qui eidem populo sceptrum ac diadema transmisit, Alexandri, qui Ægyptum & Alexandriam iisdem Romanis adscripsit, Caroli sexti Francorum Regis, qui successorem Imperii Henricum Angliæ regem designauit. Attamen inuitis ac reluctantibus regni Proceribus, atq; Ordinibus id tentari posse omnes pæne Iurisconsulti rescripserunt. Horum ego & nomina, & sententias non refero. Scripsit hac de re tractatum elegantem Ioannes Sauaro, in quo omnium peritorum iuris hac de re opiniones ad certas classes distribuit. Et certe cum Imperator Carolus 4. vellet successorē sibi facere Venceslaum filium, & ei propterea conciliare Electorum suffragia nitere-

L. 3. Cod. de quadriennii præscriptione.

L. Prætor parag hoc interdictum ff. ne quid in loco publico.

Ioannes Sauaro Gallice scripsit lib. *de la souueraineté du Roy*.

tur, vnicuique eorum centum aureorum millia congiarii nomine promisit, oppigneratis & datis in hypothecam Imperii vectigalibus. Qua de caussa tumultuari ceperunt Imperii Proceres asserentes tributa & vectigalia, in quibus Imperii nerui viresque consistunt, non posse ab Imperatore alienari. Ita refert Nauclerus generatione 46. ad annum 1370. Ex quibus sic licet concludere. Ius Decimarum est ex eorum numero, quæ Sacerdotibus competunt ratione Imperii, & sacræ auctoritatis, quam in homines exercent, & si prophanis vocibus in re sacra vti licet. Decimæ sunt veluti patrimonium fiscale, atque Imperiale, vnde Episcopis persoluuntur eadem Religione, qua tributa penduntur Regibus, vt est apud Clementem Romanum lib. 8. cap. 31. Ergo quemadmodum alienationi, distractioni ac venditioni non subiacet coronæ patrimonium, quemadmodum fide sua promissione, ac sacramento soluuntur Principes, si quid stipulantur aduersus fiscalem vtilitatem & bonum regii dominii: vt de Francisco primo, qui Burgundiæ Ducatum Hispano promiserat, responderunt eius temporis Theologi & Iurisconsulti. Sic quoque existimandum sacra ista Sacerdotum.

Nauclerus ad annum 1370 Generat. 46. tom. 2. pag 405.

Clemens Rom. lib. 8. cap. 31.

Apud eundẽ Sauaronẽ.

Quarto si qua caussa res Ecclesiæ alienari possunt & à Sacerdotibus in alienam manum transferri; id maxime fieret in Monachorum gratiam, quorum pietati ac solitudini beneficentia Episcoporum perpetuo prospexit. At in fauorem Monachorum non Decimas modo, sed prophanas possessiones

Quartum argumentũ quo probatur ius Decimarũ non posse laicis competere.

insigni aliqua portione minuere Canones vetuerunt: adeo cum cresceret in dies præsulum erga Monachos beneficentia ac liberalitas, eam Hispanici Patres in Concilio Toletano nono collecti fræno aliquo coercendam censuerunt, prohibentes ne Monasterio à se constructo Episcopus dare posset, vltra quinquagesimam partem census suæ Ecclesiæ, & si ædem vellet pro sepultura propria ornare, non posset eidem legare, atque attribuere plusquam centesimam partem sui census annui. *Bonæ rei datur consultum, & præsentis habetur vitæ subsidium, & æternæ remunerationis expectari cernitur præmium. Quisquis itaque Episcoporum in Parochia sua Monasterium construere forte voluerit, & hoc ex rebus Ecclesiæ, cui præsidet ditare decreuerit, non amplius ibidem, quam quadragesimam partem dare debebit: Vt hac temperamenti æquitate seruata, & cui tribuit competens subsidium conferat, & cui tollit, damna grauia non infligat. Ecclesia vero, quæ monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis munificare voluerit sepulturis, non amplius quam centesimam partem census Ecclesiæ, cui præsidet, ibidem conferre licebit: ea tamen cautelâ seruata, vt tantummodo, quæ placuerit ex his duabus remunerandam assumat.*

Concil. Tolet. nonum can. 5.

Si ergo in fauorem Monachorum, quorum disciplina & pietate Ecclesia insigniter floruit, non licuit Episcopo iura Ecclesiarum alienare, & insigni aliqua portione detruncare, quis in fauorem laicorum id fieri posse audeat asserere? Quis ius Decimarum in eos transfundi licere existimet, & Sacer-

Digitized by Google

dotum bonis ac censibus pinguescere, dum insano fastu eorum paupertati plerumque violenter insultant.

Quinto tam sanctum olim habitum est ius Decimarum, & ad eas persoluendas tam inuiolabili Religione teneri populos autumarunt, vt eam præstationem in pensionem nummariam commutare, aut populos data pecunia ad Decimas soluendas inuitare, nefas esse ducerent. Ita Christianissimi Reges nostri constituerunt, ne liceret populis Decimam pecunia permutare ac redimere. Ludouicus Pius capitulari 30. ad annum Christi 828. *De Decimis quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne fiat: Et si quis contemptor fuerit inuentus, & nec Episcopum, nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur. Cæteri vero distringantur, vt inuiti Ecclesiæ restituant, quę voluntariè dare neglexerunt.*

Ludou. Pius cap.3.ad annum 828.

Iidem principes cum intelligerent esse aliquos, qui Decimas dare negligerent, eoque onere se liberaret data Episcopis & Comitibus pecunia, quam illi inter se partiebantur, vetuerunt, ne Religioni in posterum fas esset fucum facere, & pecuniam pro Decimis stipulari. Ita habere capitularium Caroli & Ludouici Imperatorum lib. 2. capitulari 28. *Dictum est à nobis, quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis & ab his qui Decimis non dant vuadios accipiunt, & à Presbyteris pro quibusdam negligentijs, & inter se pecuniam diuidant, quod penitus abolendum*

Capi. Carol. & Ludouici lib.2.cap.28.

decreuimus ne forte auaritiæ locus detur & constituimus, vt incestuosi iuxta canonicam sententiam pęnitentia mulctentur. Qui vero Decimas post crebras admonitiones & prædicationes Sacerdotum; dare neglexerint excommunicentur.

Ex hac Decimarum Religione & immutabili lege factum est, vt olim Gregorius nonus rescindi iuberet compromissum factum inter præpositum Albanensem & Monachos Sancti Martini in Pannonia. Cum enim diu multumque contendissent præfati Monachi, & prępositus Albanensis, de iure Decimationis cuiusdam: tandem eas simul inierunt conditiones, vt si præpositus impetraret à Rege donari prædicto Monasterio centum millia solidorum, Decimas in posterum Monachi abdicarent, & ius earum ad præpositum transfereretur. Istud ergo pactum ac compromissum Monachi ad Papam retulerunt, quod ipse quasi simoniacam nunditationem exhorruit, dicens non licere spiritalia temporalibus permutare. Ita enim rescribit Betoniensi & Funginensi Abbatibus, *Mandamus quatenus si vobis constiterit de præmissis, cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur, prædictum arbitrium & quidquid secutum est ex eo, vel ob id, irritum decernatis*, capite *exhibita de rerum permutatione.*

Greg. nonus cap. exhibita de rerum permutat.

Itaque Decimam olim non licebat pecunia redimere, nec poterant Episcopi nummarium censum, eius vice paciscisci, nisi forte in Decima nutriminum. Nam Nutriminum, id est, Porcellorum Agnorum, & aliorum animalium Decimas mutare

pecunia liberum fuit. Ita enim habetur capitularium libro secundo cap. 21. de Nutrimine. *Pro Decima sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus obseruetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, sua maneat potestate iuxta quod, & ei, & illi qui hoc persolnere debet conuenerit.* Capit. lib. 2. cap. 21.

Ex quibus sic infero: Decimas olim Episcopis non licebat pretio distrahere, & in censum nummarium commutare. Ergo multo minus licuit eas, in totum vendere, alienare, & laicorum potestati permittere, proindeque ius Decimarum laicis nullo modo competere potest, quia neque ius istud illis proprium est, neque potest ab Ecclesia illis in solidum tradi ac resignari.

Quamobrem in iure Decimarum legendarum non possunt vti præscriptione aduersus Ecclesiam. Nam quod vitio cepit temporis progressu legitimum fieri non potest. Et certe præscriptioni aduersus Ecclesiam locum aliquem tribuere quid est aliud, quam hominum auaritiam, atque ambitionem ad quotidiana scelera arcessere, & rapinis ac fraudibus præmium ac stipendium polliceri. Denique quando persona ex se incapax est iuris alicuius obtinendi consuetudine, aut præscriptione temporis ad iustam possessionem fulciendam vti non potest. Non præscribitur in negotio Decimarum aduersus Ecclesiam.

Ita in Decimarum controuersia rescripsit Alexander tertius ad Episcopum Parmensem cap. *caussam de præscriptionibus*. Erat enim lis mota inter Archidiaconum Rheginensem & nobilem quem- Alexand. 3. cap. causs. de præscript.

dam, de perceptione Decimarum tuebatur se nobili præscriptione longi temporis, respondet Papa inutilem esse præscriptionem, quia laicis nequidem ex concessione Ecclesiasticę alicuius personæ Decimas licet possidere. *Mandamus*, inquit, *quatenus caussam ipsam debito fine decidas non obstante præscriptione temporis, vel concessione Ecclesiasticæ secularisue personæ, si idem eam opponere voluerit, quia cum laici Decimas detinere non possint, eas nulla valent ratione præscribere.*

Clericus aduersus Episcoporum Decimas præscribit.

Qua in re vt obiter dicam longe alia ratio est clerici, alia laici, nam clericus aduersus Episcopum potest quartam Decimarum & funerum præscribere si per annos quadraginta sine contentione possederit sede non vacante, cap. *de quarta extr. de præscript.* Ratio est quia Clericus per se non est persona Decimarum incapax: at contra laicus est persona incapax, ideoque nulla consuetudo capacem facit cap. quinto ext. de consuetudine.

Decimæ sũt res spiritales.

Tandem vltimo loco addimus ius Decimarum esse è numero rerum quæ spiritales appellantur. At res spiritales nequidem ex concessione summi Pontificis vendi, alienari, & in laicas personas transferri possunt, ergo nulla auctoritate possunt laici ac prophani, ius Decimarum sibi comparare. Esse autem Decimas è genere rerum spiritalium docent summorum Pontificum Sanctiones, Gregorius nonus capite *exhibita. de rerum permutatione*, Honorius secundus capite *litteras de iuramento calumniæ.*

Greg. nonus cap. exhibita de rerum permut. Honor 2. cap. litteras de iuramẽto calumniæ.

De Decimis

Digitized by Google

De Decimis infeodatis & an Decimæ dari poßint, in feudum. Quid feudum & huius nominis significatio Anglica. Origo feudorum. Beneficium & feudum idem. Quandonam res Ecclesiæ ceperunt infeodari. Cõditiones infeodationis. De Nonis quid sunt castitia. Sarta tecta Ecclesiarum feudatarij curabant, &c.

CAP. VIII.

FEudi vocabulum apud recentiores tantum auctores reperitur, & ante nonum sæculum mentio feudi nulla extat: huius nominis originem plurimi à fide repetunt, qua erga Dominum, siue seniorem tenentur, quicumque prędium agrumue feudi nomine acceperunt: In antiquis Angliæ legibus feudum, siue feodum, idem est ac stipendium: Vnde tituli plurimi extant in legibus Malcomani, de feodis seu stipendiis Magistratuum atque officiariorum, vt titulus *de feodo Cancellarii*, cui pro feodo cartę centum libratarum terræ, assignantur decem libræ & pro scriptore duæ Marcæ, legum Malcomani capite secundo. Ibidem cap. 3. titul. est *de feodo Iustitiarij*, & capite sequenti *de feodo Camerarii.*

Feudi nomen & acceptio.

Leges Malcomani capite 2 & 3. de feodo Iustitiarii: & cap. sequẽ. de feodo Camerarii.

Quod recentiores feudum, antiqui beneficium appellarunt. Taceo quæ de beneficiis Romanorum militum omnes scribunt, & qui fuerint milites beneficiarii tanquam satis dictum & recantatum præ-

Vox beneficii pro feud. termitto, vocem autem beneficii pro feudo, antecrioribus sæculis vsurpatã, nemo ignorare potest, qui antiquitatem vel ab ipso à limine salutarit. Historia Aimonii, vbi loquitur de Lotharingia, quæ antiquum fuit Regum Franciæ, ex Carlomanica stirpe patrimonium, ait illam à Lothario in beneficium traditam Othoni Imperatori, hoc est in feudum cum onere nempe præstandæ fidei ac exhibendi obsequii. *Dedit autem Lotharius Rex Othoni Regi in beneficio Lotharium Regnum, quæ caussa magis contristauit corda Principum Francorum &c.* apud Aimonium lib. 5. cap. 44.

Lotharingia Fräciæ feudataria.

Aimonius lib. 5. ca. 44.

Sigebertus Gembl. ad ann 1007.

Sigebertus Gemblacensis ad annum 1007. ait Imperatorem Henricum Balduino Castrum Valentianas, quod in finibus Mosellanæ Regionis, & Lotharingiæ situm erat, ac propterea controuersum, Balduino beneficiasse.

Cuiacius ad lib. 1. feudorum cap. 1.

Definitio feudi.

Feudum autem, seu beneficium definiunt Iurisc. ad lib. 1. feudorum cap. primo hoc modo. *Beneficium seu feudum est illud, quod ex beneuolentia alicui ita datur, vt proprietate quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remanente, vsus-fructus illius rei ita ad accipientem transeat, vt ad eum hæredesque suos masculos & fœmineos, si de his nominatim dictum fuit in perpetuum maneat, ob hoc vt ille & sui hæredes fideliter Domino seruiant, siue id seruitium quale esse debeat nominatim expressum sit, siue prætermissum.*

Origo feudorum.

Vnde autem feudorũ origo nata sit non conuenit inter iuris interpretes. Hac in re peritiores, quibus ego meum adiungo suffragium, originem feu-

dorum à Longobardis deducunt, quorum Duces ac Principes capta, atque expugnata ea parte Italiæ, quæ inter Alpes & Appeninum sita est agrum militibus suis ac tribunis diuiserunt, cum iis conditionibus quæ habentur conscriptæ in libris feudorum.

Vide Sigonium de regno Italiç.

Anno Domini 560. Iustiniano & Iustino Imperatoribus.

Nec tamen inficiandum, speciem quandam feudi longe ante in Gallia viguisse. Refert enim Iulius Cæsar lib. 3. de Bello Gallico, Gallorum Proceres ac præcipuos, circumducere secum in bello Soldurios quosdam atque Ambactos, quorum fidem obstrictam sibi ac deuinctam tenet, & quo plus auctoritate diuitiis & genere pollent, eò maiore Ambactorum numero stipari ac circumfundi.

Iulius Cæsar lib 3. de Bell. Gallico.

Verum ne à scopo videamur aberrare de feudis Ecclesiæ dicamus. Beneficiorum ergo, seu feudorum genera duo reperiuntur in antiquis legũ ac historiarum monimentis. Aliud enim dicitur beneficium Regium, aliud beneficium Ecclesiasticum. Beneficium Regium fuit prædium agerue regij dominii, qui militibus ac nobilibus, fruendus vtendus dabatur à Rege, ad emerendam ac obstringendam eorum fidem. Beneficium istud in mansis, seruis, colonis & seruientibus erat constitutum. Vnde qui beneficium Regium habebat, illud colere tenebatur ne incuria, ac negligentia beneficiarii sterilesceret, atque inutile redderetur. Ita cauetur legis Longobardicæ lib. 3. tit. 8. l. 1. *Quicumque suum beneficium occasione propriŋ desertum habuerit & infra annum postquam Comes, vel Missus noster notum factum habuerit, ipsum beneficium amittat.*

Duo genera feudorum.

Leges Longobard. lib. 3. tit. 8. l. 1.

Beneficii vero Ecclesiastici mentio extat in præfatis Longobardorum legibus & sæpius in capitularibus Caroli Magni, Ludouici Pij, Caroli Calui & aliorum. Vbi interim annotandum Commendationem rei Ecclesiasticæ à beneficio distingui. Cómédatur enim res Ecclesiastica; vt auctoritate Principum ac Magnatum inuiolata consistat: Datur autem in beneficium, nomine stipendii & honorariæ cuiusdam mercedis. Id elicio ex lege 2. tit. 44. Lógobardicæ legis, in qua diserte commendatio à beneficio secernitur. *Ceteri vero homines liberi qui vel commendationem, vel beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines iustitiam faciant.*

Commendatio & beneficium qui differút.

Leges Longobard. lege 2. tit. 44. lib. 2.

Exposito beneficij & feudi nomine, atque distinctione, videndum quæ res Ecclesiæ in feudum dari possint, & quando ceperint infeodari, siue imbeneficiari.

Nonnulli beneficiorum & feudorum Ecclesiasticorum originem trahunt à Carolo Martello, in cuius famam, vt diximus initio libri secundi, omnes pæne Religionis zelo irruerunt: is enim cum multa & grauissima bella confecisset, partim contra Radbodum Frisonum Regem Catholicis ritibus infensum, partim contra Raginfruidum & Hilpricum, partim contra Saracenos, & eorum Regem Abdiramam, partim contra Gothos quibus amplissimas vrbes Gothicæ Regionis Nemausum Agathen & alias, abstulit, cùm in quá multa & Religionis, & fidei caussa prçlia ac cóflictus strenue peregisset, militem suum Ecclesiæ bonis ac reditibus ornauit, ad

Quando nã Ecclesiæ res ceperunt infeodari.

Annales incerti authoris apud Pithœum.

tempus, quandoquidem regiæ facultates inter tot turbas ac motus rerum, ad stipendia non sufficiebant. Eius nomen vindicauit Baronius à stylo atroci & pungente scriptorum, quos ante citauimus. At ante Caroli Martelli tempora, res Ecclesiæ à laicis occupatas, questus Bonifacius Moguntinus apud Zachariam summum Pontificem. Bonifacius Moguntin. epist. ad Zachariam.

Quidquid sit, plurima Ecclesiæ prædia militibus in Beneficium tradidit ipse religionis ac pietatis vindex Carolus Magnus, vt eiusdem capitularia testantur, in quibus frequens beneficii Ecclesiastici mentio, quam postea inseremus.

A Carolo Magno, rebus ad Ludouicum Pium deductis, spes erat studium & pietatem tanti Imperatoris profuturam Ecclesię, ad res suas recipiendas. Sed cum à filiis ipse multa diraque incommoda pateretur, & indignum tam sincero Imperatore sæculum, propriæ felicitatis impatientiâ laboraret, coactus est ipsemet Ludouicus è rebus Ecclesiæ sibi amicos captare, & Monasteriorum prędia relinquere in beneficium iis qui habebant: dum eius filij noua in dies è peculio Sacerdotum ac Monachorum beneficia suis militibus impendebant. Vnde auctor vitæ sancti Gotberti queritur Abbatias eo tempore dissipatas & Altahense Monasterium maxima sui patrimonij parte spoliatum, eorum videlicet beneficiorum prætextu. quæ ipse indignabundus maleficia nominat, *Institutum*, inquit, *Monasticum præclare illic profecit, vsq; ad dissensionem quæ extitit inter Ludouicum Caroli Magni filium & liberos eius, ea enim* Vitæ sancti Gotberti. Monasteriũ Germaniæ.

tempestate complures spoliabantur. Ecclesiæ, Monasteria vastabantur, atque in his etiam Althense, cuius possessiones à fidelibus, ei collatæ, militantibus pro voluntate eorum, qui sic debacchabantur, beneficij imo verò maleficij nomine adtribuebantur.

Post Ludouicum Pium noua quoque beneficia, sub Carolo Caluo legimus instituta: Is enim post Fulconem vacante sede Rhemensi; multa ex eius prædiis & facultatibus, in beneficium indulsit militibus suis, cuius rei tandem seria pœnitudine ductus, euecto in solium Hincmaro Archiepiscopo iussit omnia Ecclesiæ Rhemensi per milites suos restitui, vt est apud Flodoardum historiæ Rhemensis lib. 3. cap. 4.

Flodoardus hist. Rhemens. lib. 3. cap. 4.

Ex quibus historicis animaduersionibus duo mihi colligenda videntur, quæ ad Decimarum infeodatarum conditionem & naturam explorandam spectant. Primum est Decimas nunquam censeri in earum rerum numero, quæ solitæ erant tribui beneficij nomine. Imo vero beneficia quæ ex Ecclesiastico patrimonio militibus suis erogabant Principes, in agris, prædiis, & rerum aliarum immobilium vsufructu versabantur; Vnde beneficium iubent leges non esse negligendum, & sine cultura prætermittendum: colere autem ac ornare beneficium de Decimis intelligi nullomodo potest.

Decimæ nunquam fuerunt imbeneficiatæ.

Secundum quod ex præfatis historiis ac legibus colligo, est eos ipsos qui aliquid ex beneficio Ecclesiæ cepissent ad plura olim erga Ecclesiam officia præstanda fuisse obligatos. Has vero obligationes ad tria potissimùm capita refero ad Nonas, ad decimas, & ad sarta tecta.

Quibus oneribus feudatarii Ecclesiæ tenerentur.

Quod ad Nonas pertinet, certum est eas persolui, non ex quouis genere prædiorum ac terrarum, sed ex iis tantum quæ aliquis possideret ex beneficio Ecclesiastico; vt hac nempe Nonarũ præstatione, feudatarium se ac beneficiarium Ecclesiæ agnosceret. Huic antiquitati lucem adfert Concilii Valentini tertij, sub Carolo Caluo ad annum Christi 855. Canon decimus. *Sed & de fiscis & villis quas constat dominio Ecclesiæ à fidelibus olim fuisse contraditas, & nunc potestati sæcularium traditas voluntate eorum, ordinari placuit, vt sicut edictis principum iussum est, nonæ & decimæ ipsis Ecclesiis vnde subtractæ sunt fideliter persoluantur. Hi qui eas retinuerint, vt sacrilegos nouerint se ab Ecclesiæ liminibus pellendos. Sed & decimas suas omnes fideles promptissime offerant de omnibus quæ possident, nec vllis oppositionibus quod statutum est permutare audeant, ne forte cogamur eos districtione Ecclesiastica ferire.*

Concil. Valent. 3. sub Carolo Caluo ad annũ 855. Can. 10.

Neque vero existimet aliquis, nouam fuisse & ea ætate natá consuetudinem pendendarum Nonarum ex beneficiis Ecclesiasticis. Nam in Concilio Turonensi tertio ad annum Christi 813. temporibus Caroli Magni Galliarum præsules conqueruntur antiquum morem persoluendi Nonas è terris Ecclesiasticis multis in partibus sublatum. Qua de caussa querelam ad aures Principis deferendam censent, vt huic morbo deinceps medeatur. Ita enim Canone quadragesimo sexto, *Nonas ac decimas quas qui res Ecclesiasticas tenent soluere Rectoribus Ecclesiarum ordinati sunt, ad luminaria & stipen-*

Concil. Turon. 3. can. 46. anno 813. sub Carolo magno ann. 13. Imperii.

Redeamus ad Nonas, quas ipſe iterum Carolus Magnus, & alij quoque poſt eum Principes Eccleſiæ perſoluendas ſanctiſſime edixerunt Capitularium lib. 1. cap. 163. *Vt qui Eccleſiarum beneficia habent nonam & decimam ex eis, Eccleſiæ cuius res ſunt donent, & qui tale beneficium habent, vnde ad medietatem laborent, de eorum portione proprio Presbytero Decimas donent.* Capit. lib. 1. cap. 163.

Ex quo liquet fuiſſe aliquod beneficii Eccleſiaſtici genus, quod ad medietatem traditum erat, nempe colonus dimidium ſibi, & dimidium Presbytero arabat. Qui autem beneficium Eccleſiæ his conditionibus acceperat, is ad Nonas perſoluendas nullo iure tenebatur, ſed eum oportebat tantummodo præſtare Decimas de ſua portione. Eandem legem præſtandarum Nonarum inſtaurauit Ludouicus Pius capit. lib. 2. cap. 21. Beneficium ad medietatem datum quid ſit.

Ex quibus patet Eccleſiam iſta beneficiorum traditione, non ita vexatam fuiſſe, vt ſibi queri poſſet patrimonium eripi, & inſigni parte ſpoliari. Si enim Eccleſia agros ſuos ad conditionem colonariam tradidiſſet, quid aliud ex iis lucrari poterat quam Decimam partem aut Nonam frugum, atque obuentionum ruſticarum? At eandem partem ipſa recipiebat ab iis, qui terras ſuas ex beneficio Principis poſſiderent. Non itaque labem aliquam ingentem eius fortunæ patiebantur. Et certe conditio Eccleſiæ hac in parte deterior non erat quam Principis. Qui enim partem agri Dominici ſeu Regii ex eius beneficentia ceperant, eaſdem nonas

pendere tenebantur. Ideoque vt isto onere se liberarent, solebant aliquando beneficium Principis incultum relinquere. Vnde capitularium li. 5. cap. 150. Ita præcipitur *de his qui agros Dominicatos propterea neglexerunt excolere, vt nonas exinde non persoluant & alienas terras ad excolendum propter hoc accipiunt, volumus vt de tribus annis, ipsam nonam cum sua lege persoluant: Et si quis contemptor aut Comitum, aut vasallorum nostrorum propter hoc extiterit, per fideiussorem, ad Palatium venire compellatur.*

Capit. lib. 5. cap. 150.

Prætèr Nonas illi qui beneficium Ecclesiæ habebant, Decimarum quoque lege tenebantur, vt ex præfatis locis facile constat.

Tertium vero quod Ecclesiæ debebant, sunt sarta tecta, hoc est, qui aliquid ex beneficio Ecclesiæ possidebant, tenebantur ad Ecclesiarum labes ac ruinas supplendas, præsertim vero ad tecta. Quod probari facile potest, tum ex Concilio Turonensi tertio, vbi Patres conqueruntur Ecclesias ruere & funditus labi propter neglectam tectorum instaurationem ab iis qui beneficia Ecclesiastica possident: *Similiter, inquiunt, & de restauratione tectorum nobis necessitas incumbit indicare, quia non tantum domus monasteriorum, sed & ipsæ Ecclesiæ propter tectorum inopiam ruinas minantur.*

De sartis tectis Ecclesiarum. Concil. Turon. 3. can. 46.

Legis Longobardicæ libro tertio titulo tertio, extat Decretum Caroli Imperatoris his verbis, conceptum, *Præcipimus Comitibus & omnibus fidelibus nostris, vt quicunque de rebus Ecclesiasticis beneficia habent, pleniter secundum morem regionis nonas & deci-*

Legis Longobard. tit. 3. lib. 3. lege secunda.

Digitized by Google

mas ad ipsam Ecclesiam *donent, absque vlla diminutione & dilatione, in quantum melius possunt, & iuxta possibilitatem eorum, & quando necessitas exegerit dent operas ad ipsas Ecclesias restaurandas, & adiutorium faciant.*

Modum vero & impensas quas in reficiendis Ecclesiis facere oportuit eos, qui agrum Ecclesiæ occupassent, definit capitulare quadragesimum libr. 4. *Consideratum est, vt de frugibus terræ & animalium nutrimine, Nonæ & Decimæ persoluantur.* De *opere vero vel restauratione Ecclesiarum Comes, & Episcopus siue Abbas vna cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint considerationem faciant, vt vnusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum, quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & Vaßi nostri aut in commune tantum operis accipiant, quantum rerum* Ecclesiasticarum *habent, vel vnusquisque per se iuxta quantitatem quam ipse tenet. Aut si inter eos conuenerit, vt pro opere faciendo argentum donent, iuxta æstimationem operis in argento persoluant, cum quo pretio rector* Ecclesiæ *ad perdictam restaurationem operarios conducere, & materiam emere poßit.* Et *qui Nonas & Decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege sua restituat, & insuper bannum nostrum soluat; vt ita castigatus caueat, ne sæpius iterando beneficium amittat.* Cap. 40. lib. 4.

An possint Decimæ dari in feudum proferuntur rationes Canonistarum. Decreta summorum Pontificum Argumenta Iurisperitorum &c.

CAPVT IX.

SVperiori capite ex antiquis monimentis ostendimus quę res Ecclesiæ in feudum, siue in beneficium olim darentur & quibus conditionibus forent obstricti quibus Ecclesiæ facultates ac fortunæ essent nomine beneficii commendatæ. Nunc videndum an Decimę in feudum dari possint.

Omnes pæne Iurisconsulti, Canones omnes ac Patres, in ea opinione versantur, vt credant Decimarum possessionem nulla ratione laicis posse cōpetere, adeoque possessionem istam nullo titulo, aut præscriptione temporis iustam reddi posse ac legitimam.

Innocent. 3. cap. cum Apostolica, de his quæ fiunt a Prælatis sine consensu capituli.

Innocentius tertius cap. *Cum Apostolica de his quæ fiunt à Pręlatis*, sine consensu Capituli, existimat traditionem Decimarum quas laici milites in Ecclesiam transferunt, non tam esse donationem rei proprię quam restitutionem alienæ, vi & iniuriâ occupatæ. Vnde ait monendum & compellendum esse laicum, vt Decimam restituat Ecclesiæ ad quam spectat, qui si fortasse induci nequiuerit, & eam cum Diœcesani consensu alteri Ecclesiæ assignauerit præsertim religioso conuentui, res stabit firma &

inconuulsa. Ex quibus tale argumentum conficio. Qui rem aliquam in feudum tenet, non potest cogi ad eam restituendam Domino feudi, nec eius possessione exuitur, nisi in Dominum feudi peccauerit & indignum se præstiterit eius beneficio. Licet enim feuda ab initio ex mera Dominorum voluntate penderent, adeoque per singulos annos renouari oporteret, vel re ipsa, vel patientia: Attamen temporariam istam feudorum possessionem iampridem euanuisse testatur Gerardus Niger lib. primo de feudis: & feudorum eam esse naturam nemo ignorat, vt ad liberos mares in infinitum transeant & iure patrimonii censeantur saluo tamen censu senioribus debito. Cum ergo Ecclesia reuocet ad nutum, imo reuocauerit omnem istam Decimarum possessionem, easque sibi vendicarit, signum est Decimas non fuisse possessas, nec possideri posse à laicis titulo feudi.

Gerardus Niger libro primo feudorum.

Conditiones feudi nō possunt Decimis conuenire.

Alexander tertius cap. *Quamuis de Decimis*, negat posse omnino Sacerdotes & Prælatos Ecclesiarum Decimas laicis vtendas ac fruendas contradere. Ita vero in istud facinus quasi grande piaculum inuehitur. *Quamuis sit graue nimis & diuini dignum animaduersione iudicij habeatur, quod laici quidam quod Sacerdotum est in Ecclesiasticis rebus vsurpant, maiorem tamen incurrunt formidinem, quod fomitem sui erroris dicuntur in ipso Clero aliquotiens inuenire, dum quidam Prælatorum Ecclesiæ Decimas & Ecclesias eis disponere & eos in deuia mortis impellunt qui prædicatione eorum, ad viam vitæ futuræ fuerant reuocandi &c. Vnde sta-*

Alexand. 3. cap. quāuis de Decimis.

tuimus, vt si quis alicui laico in sæculo remanenti Ecclesiæ Decimam oblationemque concesserit, à statu suo sicut arbor, quæ inutiliter terram occupat succidatur donec emendet, dolore suæ iaceat ruinæ prostratus: Ex quibus verbis liquet Alexandrum accusare possessionem Decimarum in laicis, vsurpationis, erroris, etsi Prælatorum consensu & adstipulatione subnitatur. Quinetiam Episcopos qui laicis Decimas tradunt iudicare indignos fastigio honoris ac gradus sui. Vnde licet ita colligere. Iuste possidetur quidquid à Prælatis, Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus in feudum traditur; neque ista possessione laicus in salutis suæ discrimen incidit. Cum ergo Decimæ eius sunt naturæ, vt nec à Prælatis tradi nec à laicis retineri sine piaculo possint, signum est eas eius esse sortis ac conditionis, vt in feudum dari non possint. Esse vero res aliquas quæ Præsulum auctoritate in feudum dari possunt, probant leges feudorum libro primo titulo primo, *Feudum dare possunt, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus, si antiquitus consuetudo eorum fuerit feudum dare.*

Leges feudorum à Gerardo conscriptæ, lib. 1. tit. 1.

Glossa in caput quãuis.

Et certe glossa in caput *quamuis*, verbo *concesserit*, diserte asserit nullo modo posse Decimas in feudum dari laicis, vel etiam ad tempus. Cuius sententię multas adfert rationes quia Decimę sunt cibus Domini. 16. q. 1. can. *reuertimini*, & q. 7. can. *Decimas*. Secundo quia debent eis dari, à quibus spiritalia recipiuntur. 13. q. 1. can. *Ecclesia* §. *his ita*. Tertio quia feudum transit ad hæredes, sed Decimæ non. Quarto quia à laicis possideri non possunt cap.

caussam de praescriptionibus. Quinto quia dantur intuitu obsequii diuini 13. q. 1. eas Ecclesias. Tandem concludit eadem glossa quod fructus Decimarum possunt quidem concedi laico ex caussa ad tempus vitae suae, sed non in feudum.

Gregorius septimus in Concilio Romano aperte denunciat laicos Decimarum retentores in piaculum sacrilegii incurrere, siue eas regum beneficio siue Episcoporum indulgentia possideant. *Decimas quas in vsum pietatis concessas esse canonica auctoritas demonstrat, à laicis possideri Apostolica auctoritate prohibemus, siue enim ab Episcopis vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiae reddiderint sciant se sacrilegij crimen committere, & aeternae damnationis periculum incurrere.* Quamobrem idem Gregorius septimus epistola 5. lib. 9. registri ad Diensem Episcopum laudat Anglorum Regem quod laicos coëgerit ad restituendas Ecclesiis Decimas *Rex Anglorum,* inquit, *licet in quibusdam, non ita Religiosè se habeat tamen in hoc quod Ecclesias Dei non destruit &c. Presbyteros, vxores, laicos Decimas quas detinebant iuramento dimittere compulit, caeteris Regibus se satis probabiliorem ac magis honorandum ostendit.* Consentiunt his auctoritatibus aliorum quoque Conciliorum ac Patrum suffragia. Innocentius II. in Concilio Romano can. 7. Eugenius tertius in Concilio Remensi can. 8. Concil. Metense can. 2.

Greg. 7. in Synod. Roma anno 6. pact.

Greg. 7. epistol 5. lib. 9.

Innocen. II. in Concilio Rom. can. 7. Eug. 3. in Concil. Remensi c. 8 Metense can. 2.

Hanc eandem de Decimis non infeodandis sententiam deffendunt recentiores nonnulli, & prae caeteris Rebuffus tractatu de Decimis, q. 13. Vbi ex-

Rebuffus tractatu de Decimis quæst.13.

presse asserit laicos nullum ius acquisiuisse in Decimas, siue eas obtinuerint ante Concilium Lateranense, siue post illud: *Nec enim*, inquit, *fieri debet differentia an laici habuerint ante Concilium Lateranense, vel post. Quia tam inhabiles erant ante Concilium Lateranense quam post: nempe vtroque tempore Deus eas Sacerdotibus & Clericis assignauerat, & demum Papa Dionysius dum diuisit Parochias. Sed iura tantum faciunt differentiam ante vel post Concilium in hoc, quia laici habentes ab Ecclesia ante Concilium, possunt religiosis, vel alijs Ecclesiis Decimas cum consensu Episcopi concedere* cap. Cũ Apostolica de his quæ fiunt à Prælato. §. sane de Decimis in 6. *si vero post Conciliũ Lateranense laici habeant, non possunt alijs Ecclesiis quam Parochialibus illis ad quas spectabant, Decimas etiam cum consensu Episcopi transferre.* Ex his liquet summos Pontifices, Concilia, Canonistas existimasse Ecclesiam non posse ius pendendarum Decimarum, ita in alienam transferre manum, vt Christiani nullum amplius obsequii sui monimentum Ecclesiæ teneantur exoluere, sed fructuum atque obuentionum suarum Decimas ex integro prophanis ac laicis debeant.

Aliæ rationes quibus id ipsum probatur.

Hoc autem id ipsum aliis, probari potest rationibus. quacumque pactione & stipulatione posita, nunquam remitti potest Christiano homini debitum colendi Deum, eumque, vt auctorem ac fontem eorum quibus in vita vtitur bonorum agnoscendi. At professio ista & agnitio Dei, vt nostrarum opum ac facultatum parẽtis, vix alio modo fieri

fieri poteſt, quàm vouendo ac libando ſacris altaribus aliquam patrimonii partem. Itaque ſic penſio iſta ad Pietatis ac Religionis integritatem pertinet, vt nonniſi violata religione poſſit extingui.

Dicet fortaſſe aliquis Eccleſiam ſuo iuri ſuccenturiaſſe laicos ac prophanos, ac proinde Chriſtianos præſtando Decimas laicis, hoc ſeſe debito, atque obſequio ſufficienter exoluere. At quam leuis ſit iſta reſponſio facile eſt deprehendere. Nam vbi fideles in horrea laicorum ſuas Decimas comportant, creduntur ne meminiſſe Pietatis ac Religionis? Deumne in laicis vicariâ ſui regnantem imagine conſpiciunt? Quid eſt in ipſis quo populus intelligat ſe Decimas præſtando obſequii ſui ſignificationem Chriſto impendere? Atqui ad eos animi motus, atque affectus impellendi ſunt Chriſtiani, neque tam curare debent Sacerdotes, vt ruſticorum frugibus ſua turgeant horrea, quam vt eorum pectus, atque animi ſinceris erga Deum amoribus incendantur. Manet ergo iſtis honoribus defraudatum Numen, vbi nobiles militе cincti in Decimas irruunt, faciuntque, vt coloni non tam aliquid Deo tribuere exiſtiment, quàm ab hominibus ſeſe ſpoliari conquerantur. Secundo non poteſt Eccleſia honores Sacerdotio debitos remittere, & liberare populos reuerentia ac obſequio, quo erga Curiones ſuos tenentur: quippe iura illa, quæ honoris & dignitatis partem faciunt, non poſſunt in alienam perſonam transferri. Et certe ſi ex cõmuni ſententia Iuriſconſultorum non poteſt Princeps ſubditos

ita, sua ditione manuque mittere, vt in extraneam potestatem transeant, & alterius Principis auctoritati subdantur, vt in facto Francisci primi qui Burgundiam Ducatum Hispano summiserat à nobis notatum est? quanto minus poterit Ecclesia in iis quæ faciunt Pietatis ac Religionis partem, Christianos laicis subijcere, eosque iisdem facere tributarios?

Imo vero non possunt clerici renunciare priuilegio fori, & sese in dedecus sacri ordinis laicorum tribunalibus subijcere, vt rescripsit Innocent. III. cap. *si aliquis de foro competenti*, quia vt ait S. Pontifex priuilegium istud non est personale, sed indultum toti collegio hominum Ecclesiasticorum. At ius decimarum sumendarum longe illustrius est, & præstantius quouis priuilegio fori, & arctius cohæret cum dignitate Curionis ac Sacerdotis. Ergo multo minus poterunt Episcopi, ac Præsules ius istud abdicare, & in laicorum manum transcribere.

Innocent. 3. cap. si aliquis de foro competēti

Tertio qui dat in feudum eum necesse est habere directum dominium rei infeodatæ: At Ecclesia non habet directum dominium Decimarum, neque enim debentur Sacerdotibus per modum stipendii. Sed dominium directum, solius est Dei, cuius summam auctoritatem decimarum pensione homines venerantur. Vnde Clemens Romanus ait Sacerdotem, atque Episcopum consumere Decimas vice Dei.

Ratio ducta à natura feudi.

Quarto non potest Ecclesia Sacerdotes in eum

ſtatum adducere, vt extremæ paupertatis periculo ſubſint. At diſtractis & laicorum poteſtati traditis Decimis, facile eſt Sacerdotes inopia vexari &, in extremam calamitatem incidere. Nam cum in Parochiis, præter Decimas nullum fere aliud obuentionum ac fortunarum genus Curiones obtineant, iis infeodatis aut alienatis, quid ſupereſt niſi vt miſeri Sacerdotes ſquallore ac fame pereant, aut ruſtici præter Decimas, aliud ſtipendium Curionibus ſuis pendant, cum tamen vix vnam Decimarum præſtationem, ſine felle & ſtomacho patiantur.

Argumentũ à fundis militaribus.

Et certe cur Decimæ quæ in annonam Clericorum diuina prouidentia ceſſerunt, non eadem prærogatiua fruentur, qua prædia cenſuſue militum annonis deſtinati. At quæ militaribus annonis erant conſecrata, nulla conditione vendi, aut impignerari poterant, neque in fauorem Clericorum. Ita enim Lampridius refert Alexandrũ Seuerum ſola quæ ab hoſtibus capta ſunt limitaneis Ducibus & militibus donaſſe, ita vt eorum eſſent, ſi hæredes illorum militarent, neque vnquam ad priuatos tranſirent. Quam legem ſub extrema Græciæ tempora inſtaurauit Conſtantinus qui dictus eſt Porphyrogenetes Nouella 3. περὶ τῶν στρατιωτικῶν, ſeu de fundis militaribus.

An Decimæ olim fuerint infeodatæ.

CAP. X.

ALiarum gentium hoc capite negotia non tractabimus, intra Galliæ fines se nostra includet meditatio. Videamus itaque an, & quando Decimæ Clericales, & Parochianæ fuerint laicis in feudum traditæ. Ostendimus penultimo capite, legibus Caroli Magni & Ludouici prohibitum ne Ecclesiæ suis fraudarentur Decimis, iussum ab iisdem Regibus, vt qui ex beneficio Ecclesiæ aliquid possiderent, & Nonas & Decimas soluerent: nunc videndum an post istud tempus legibus regni licuerit laicis Decimas sibi vendicare Ecclesiarum.

Totum istud tempus, quod à Ludouico Pio ad ætatem Philippi primi Regis Francorum interceptum est, variis reperitur turbelis ac tempestatibus inuolutum, dum neque sibi cohęrerent Regni Proceres, neq; fratres inter se de regni finibus consentirent. Aliunde pacē Galliarum vexabat frequēs Normanorū & Danorū inūdatio, quos diuina indignatio quasi turbinē ventilandis mortalium sceleribus, immittebat: Ideoque si qua caussa, quaue occasione Ecclesiarum Decimæ laicis traditæ, atque impigneratæ fuerunt: credibile est, id factum iis temporibus, quibus ad rerum suarum tutelam ac præsidium necesse erat Ecclesiasticos homines magnatum ac militum gratiam emereti.

Digitized by Google

Et tamen Decimarum hisce temporibus, in feudum cum Principis consensu & suffragio Episcoporum traditarum vix mentionem vllam reperio. E contra, Reges subsequentes, semper Ecclesiarum splendori prospectum esse voluerunt suis Sanctionibus & Decretis. Quod vt pateat, recenseamus breui quid circa Ecclesiæ facultates gestum. Carolus Caluus, cuius Imperium ab anno Domini 841. ad annum 879. protenditur, eadem in Ecclesiam fide ac pietate, qua maiores sui exarserant, summouit iniquam istam Decimarum vsurpationem. Anno 876. in Palatio Ticinensi, Carolus Caluus Capitula edidit, in quibus plurima sunt, quibus res Ecclesiarum iubentur manu sua mittere laici, quasi iniustam & vi occupatam possessionem, cap. 10. *Res Ecclesiasticas tam mobiles, quam immobiles nemo inuadere vel auferre præsumat, & quæ à rectoribus Ecclesiæ, ob timorem vel fauorem, alicui libellario vel emphyteuticario iure, dolose & cum damni detrimento, Ecclesiæ amissa videntur, ad pristinum ius reuertantur &c.*

Carol. Caluus ab anno 841. ad annum 876.

Anno 876.

Carol. Caluus cap. 10

Vbi animaduerte, fontes earum infeodationum rectissimè notari à Carolo Caluo, nempe timorem vel fauorem. Capitulo vndecimo, de Decimis priuatim decernit, *Vt Decimæ conlaborationum & animalium, secundum sacra præcepta Domino absque fraude & aliqua retractatione offerantur. Et in potestate Episcopi maneat qualiter dispensentur canonicè &c.*

Ante hæc tempora circa annum 846. in Sparnaco villa, ab eodem capitula edita sunt quibus decernitur, vt *qui prædium agrumue Ecclesiæ nomine benefi-*

Carol. Caluus cap. 16. *cij occupant illi Nonas & Decimas soluant cap.* 16 Idem constitutum fuit in Synodo Suessionensi per eundem Carolum, qui id oneris speciatim Missis suas prouincias lustrantibus imponit, vt eos qui ex beneficio Ecclesiæ aliquid occupant, compellant Decimas & Nonas soluere, & Ecclesiarum tecta instaurare, capitulo sexto. Apud Syrmund. cap. pag. 88.

Carolo Caluo successerunt Ludouicus Balbus, cui deinde filii duo Ludouicus & Carlomannus, post quos Carolus Crassus, Odo, & Carolus Simplex, qui omnes ad Carolum vsque Simplicem, regnarunt tantum modo annis viginti tribus. Nempe, Ludouicus Balbus annis 2. Ludouicus & Carlomannus annis 5. Carolus Crassus annis 7. Odo annis 9. Sub Ludouico Balbo inuenio fortunis & facultatibus Ecclesiarum prospectum cura & sollicitudine Principis, iussumque vt laici res temere occupatas Ecclesiæ redderent. Nam apud Aimoinum lib. 5. cap. 38. legimus inter Ludouicum Balbum & Ludouicum Italiæ regem, conuentum habitum in Ann. 879. loco qui vocatur Furoni, Kalend. Nouembris anno 879. in quo conuentu præ cæteris pacis fœderatæ capitibus istud continetur. *Vt res Ecclesiarum in cuiuscunque regno captæ fuerint tam de Episcopatibus quam de Abbatiis, sine vlla contradictione rectores ipsarum Ecclesiarum illas possideant, & si aliquid ibi iniustum à quoquam factum est, in cuiuscumque regno res illæ consistunt, legaliter exinde secundum iustitiam reddere faciant.*

Sub Carolo Crasso, Odone, Carolo Simplice &

reliquis nullæ leges reperiuntur, nec regni, nec Ecclesiæ constituendæ caussa promulgatæ: quippe omnia tum temporis ancipiti discordia nutabant & iā fata eam quæ sequuta est Reip. conuersionem meditabantur. Itaque verosimile est, Ecclesiam multa per id temporis mala pertulisse.

De Rodolpho vero Burgundionum Principe, cui biennij regnum tribuunt Chronologi, ita Aimonii Cōtinuator libro quinto capite quadragesimo secundo. *Rodulphus*, inquit, *Rex Franciæ qui 2. annis gubernauit Franciæ sceptrum & valde seuerus extitit in coercendis sanctæ* Dei *Ecclesiæ prædonibus, & magna ex parte fecit manere quietos proteruos impetus Danorum, sepultus est in Basilica Sta. Columbæ Virginis.* Ne quæramus vltra leges & edicta Principū isto sæculo, quo dubij reges, nomine solo non potestate dominātur, vt de Chilperico scripserat olim Pipinus. Aimonius lib. 5. cap. 42.

Si ergo infeodationes quædam Decimarum, & transcriptiones iurium Ecclesiasticorum factæ sint vnquam, necesse est, illius negotii fontem ab hisce temporibus Ecclesiæ & Reip. turbatissimis ac difficillimis repetere, in alto legum ac Religionum omnium silentio, dum sacra Martyrum pignora, Sacerdotes humi defoderent, & vix templis atque altaribus possent manū hostilem arcessere, & insolentem militis fastum amoliri. Qua ergo ratione prophano patrimonio præsidium quærerent, qui plerumque mysteria cernere cogebantur indignissimo contemptu pollui.

Sed detersis tandem nubibus, cœlo mitescente

ac lucido, quid aliud cogitarunt nouæ sobolis Principes, quam vt Ecclesiæ lachrimas expungerent & lætam inducerent frontem. Legantur Annales nostri, consulatur Helgaldus Floriacensis in epitome vitæ Roberti, Epistola Fulberti Carnotensis constabit Reges è Capetiorum stirpe oriundos ab ea Pietate ac Religione initium duxisse Imperii, quæ nostris temporibus, in eorũ nepote LVDOVICO ad gentium omnium & nationum stuporem ac venerationem reflorescit.

Non est ergo arbitrandum, exutos his temporibus legitimo Decimarum prouentu Sacerdotes, quibus splendor & maiestas, ordinis sui, fato bellorum & temporum malignitate exolescens felicissime est restituta.

Et certe non longe abfuit ab his temporibus Concilium Claromontanum sub Vrbano secundo
Can. 19. temporibus Philippi primi Francorum Regis, in quo expresse cautum est, ne laici Decimam partem de laboribus suis retineant, & sicut non debent retinere, ita nec accipere. Successit huic Concilio La-
Concil. Lateranense part. 1. c. 14. teranense œcumenicum sub Alexandro tertio, sub extrema tempora Ludouici iunioris, paulo ante Philippum Augustum, quo Concilio parte prima cap. Decimo quarto duo definiuntur, vnum quod mere Ecclesiasticum est, nempe, laicos non posse sine animarum periculo retinere. Alterum quod politicum, nempe, iniustam esse Decimarum nundinationem, nec debere laicum in aliam quàm in Ecclesiasticam manum Decimarum iura transferre,

quod

quod certe ad duritiam cordis eorum additum est. Existimauit quippe Ecclesia, sibi non licere cum rixis & iurgio exequi ius suum aduersus laicos, ideoque vt illos ad restituendas Decimas, quibusdam gloriæ aut religionis illecebris adduceret, liberam eis fecit potestatem Decimas tradendi, vel Monasterio, vel Ecclesiæ sæcularium, vt vocant, si ita libuisset.

Ex quibus colligere est, vix vllum fluxisse tempus ante Concilium Lateranense, quo iusta esse potuerit Decimarum occupatio, renitentibus aduersus prauum hunc morem & Regibus, & Pontificibus & Conciliis. Atqui Galliarum Prælati, sine summarum potestatum consensu ac decreto, res suas vendere non possunt. Est enim Rex Galliæ tutor ac defensor Ecclesiarum, vt scribit Rigordus de gestis Philippi Augusti, *Et quascunque terras Christianissimi Reges Principibus custodiendas tradidissent, tamen Ecclesias sub potestate sua & protectione retinere decreuerunt, ne Principes, quibus terra custodienda à Regibus delegabatur, Ecclesias vel Clericos ibidem Domino seruientes aliquibus angariis, tædijs vel aliis exactionibus grauare præsumerent.*

Rigordus de gestis Philippi Augusti.

Requiret fortasse aliquis, an post illa tempora non occupauerint laici Decimas Sacerdotum. Respondeo non videri fuisse caussam vllam eiuscemodi iuris alienandi, nisi propter impensas belli sacri, & solemnem illam profectionem aduersus Saracenos temporibus Philippi Augusti. Eo enim sæculo, iura Ecclesiarum circa Decimas percipiendas, au-

O

guror fuisse maxime ex parte labefactata, & iis initiis cepisse possessionem quam plurimi ad anteriora Concilio Claromontensi sæculo frustra nituntur reuocare. Eius vero corruptelæ fontem recludo ex Rigordo libro eodem de gestis Philippi Francorum Regis. Refert enim Philippum, anno 1188 Consilium iniisse Parisiis de Saracenis ac Turcis finibus Palestinæ pellendis, ac propterea ingentem collegisse exercitum habito solemni nobilium ac magnatum delectu, quibus vt impensas præstaret, tam longæ ac molestæ profectioni necessarias, permisit, vt Decimam ex omnibus agris suæ ditionis legerent, quamdiu in armis & sacra expeditione versarentur. Cum ergo Rustici & Coloni, Dominis ac senioribus suis Decimas pendere cogerentur, probabile est, ipsos Ecclesiasticis solitam pensionem subduxisse, adeoque nobiles in ius Ecclesiarum suffectos, etiam post bellicos motus per secessum & otia domestica illud retinuisse. Hanc vero Philippi constitutionem non pigebit adscribere.

His imprimis constitutum est de Decimis, quod omnes illi qui † non habentes quicunque sint, Decimam ad minus dabunt hoc anno de omnibus mobilibus suis, & de omnibus reditibus, exceptis illis qui sunt Cisterciensis Ordinis. & Ordinis Carthusiensis, & Ordinis fontis Ebrardi, & exceptis leprosis, quantum ad suum pertinent proprium. In nullas communias mittet aliquis manum, nisi ille Dominus cuius, ipsa communia fuerit. Quale tamen ius in aliqua communiarum habebat prius aliquis, tale habebit. Qui alicuius terræ magnā iustitiam habet eidem ter-

ræ Decimam habebit. Et *sciendum quod qui Decimas sunt daturi, de toto mobili suo, & reditibus* Decimas *dabunt, non exceptis inde prius debitis suis, imo post donationem Decimæ, de residuo poterunt sua debita soluere. Vniuersi* laici *tam milites quam alii, præstito iuramento sub anathemate. Clerici excommunicatione astricti suas dabunt* Decimas. *Miles crucem non habens,* Domino *suo habenti ei, cuius erit homo ligius, dabit de suo proprio mobili* Decimam, & *de feudo quem ab ipso tenebit. Si autem ab eo nullum tenebit feudum, de suo proprio mobili* Decimam Domino *suo ligio dabit. Singulis vero à quibus tenebit* Decimam *de suis feudis dabit, & si nullum* Dominium *ligium habebit, ei in cuius feudo manserit leuans, & cubans dabit* Decimam *de suo proprio mobili. Si quis terram suam* Decimans, *res alterius quam illius quam debet* Decimare, *inuenerit in terra sua, & ille cuius res fuerint, illas esse suas legitime monstrare poterit,* Decimans *non poterit eas retinere. Miles † habens qui sit hæres legitimus filius, vel gener militis crucem non habentis, vel alicuius viduæ, habebit* Decimam *patris vel matris suæ. In res Archiepiscoporum, seu* Episcoporum, *seu Capitulorum, seu* Ecclesiarum, *quæ ab eis mouent in capite, non mittet aliquis manum: nisi Archiepiscopi, Episcopi, Capitula, &* Ecclesiæ *quæ ab eis mouent. Si Episcopi colligent inde* Decimas, *& eas dabunt quibus dare debuerint. Quicunque † habens, qui dare talliam, vel* Decimam *debeat, & eas dare noluerit ab illo capiatur cui suam debet talliam vel* Decimam, *vt inde suam faciat voluntatem. Qui eum ceperit, propter hoc non poterit excommunicari.*

Digitized by Google

Cæterum ita dubia est incerta fides Decimarum, quæ infeodatæ dicuntur, vt omnes qui ea de re scripserunt fateantur ingenue, nulla proferri posse earum documenta, neque ex publicis actis, quidquam huc vsque erutum, quod eius rei fidem facere posset. Renatus Chopinus sui sæculi doctissimus ac disertissimus orator, ait se à quodam Quartario accepisse, omnes eius infeodationis tabulas fuisse in cameram computorum delatas, quò factum est vt regiarum rationum tabulario incenso, vniuersa contractuum eiuscemodi instrumenta exarserint.

Chopinus sacræ Poli- tiæ l. 3. tit. 4.

Neque tamen violandam hac de caussa pacem publicam censeo, probantibus eam possessionem regni legibus, Principum Decretis, spectante & volente Ecclesia Gallicana, quæ summam semper cum Nobilitate coniunctionem habuit: ex quo ab eodem parente, velut fraternis iuncta fœderibus, vt Nobilium iura & Ecclesiarum priuilegia fluxerunt.

Digitized by Google

De Decimis omnis generis personarum, Regum, Clericorum, Monachorum, ingenuorum, seruorum.

CAPVT XI.

HOc capite discutiendum à quibus debeantur Decimę. An Reges ea pensione erga Ecclesiasticos teneantur. An Clerici Clericis, Ecclesię Ecclesiis Decimas soluant. An Monachos, an seruos lex ista Decimarum soluendarum complectatur.

Regibus Decimas à populo deberi, tanquam ad excubias & tutelam Reipublicæ à Deō positis, nemo inficiari audeat, nisi quem tumida & insolens ambitio libertatis, Regium nomen dedoceat reuereri. Etiam cum sanguine & vitæ periculo, vitæ quæsitas hostium exuuias olim contingere nefas erat, & in priuatū commodum ac peculium transferre, nisi Primitiis Regiæ auctoritati prælibatis. Ita Sanedrium cap. 2. §. quarto. *Totus populus spolia hostibus detracta ipsi offert, vnde Princeps partem capiat.* Inde fortasse manauit Pētamœria Græcorum, hoc est, ius quintæ spoliorum partis ab Imperatoribus capiundæ, de qua Cantacuzenus in Historia, vbi de Andronico Imperatore sermo est, quo loco ait consuetudinem esse exercitui Græcorum, τὴν τιμωτάτην μοῖραν προέχειν βασιλεῖ. Sañedrius cap. 2. §. 4. Cantacuzenus.

Quod ergo populi Regibus, hoc Deo Reges sunt, ante cuius tribunal vbi summi Principes constitere,

continuo omnis eorum maiestas, atque auctoritas exolescit. Vnde Grecorum Imperatoribus cum ad sacram communionem accederent mos erat, capiti suo coronam detrahere, eamque Diaconis qui populorum oblationes sumebant, quasi donarium & sacrum anathema contradere, ἐκβάλλων ὁ βασιλεὺς ἀπὸ ἑαυτοῦ κεφαλῆς τὸ στέμμα, ἐξχλείζει τοῖς διακόνοις. Apud Codinum cap. 16. Hinc optimi Reges ornandis augendisque Ecclesiis perpetuo incubuerunt, & sua se sponte cuidam Decimarum pensioni subiecerunt.

Codinus cap. 16.

Sosomenus lib. 1. cap. 8

Sosomenus Historiæ Ecclesiasticæ libro primo capite octauo refert Constantinum è suis etiam tributis ac vectigalibus quandam veluti Decimam clero assignasse, & iure quodam perpetuo tribuisse. *Ex terra*, inquit, *quæ in singulis ciuitatibus vectigalis erat, certum vectigal quod ærario pensitari solet, accepit, & Ecclesiis ac Clero distribuit quam quidem largitionem in omne tempus ratam esse voluit.*

Colomannus Decret. lib. 1.

Colomannus Hungariæ Rex Decretorum libro primo, edicit solemni oraculo quæstoribus suis, vt Episcopis sui Regni Decima tributorum ac vectigalium pendatur. *De tributis autem & vectigalibus sicut Comitibus tertiam partem dari decreuimus, ita Decimam quoque Episcopis dandam censemus, quibus tam noui quam veteris Testamenti pagina Decimas dandas esse proclamat. Incautum igitur & inconsultum est, si instituta sanctorum præsumamus infringere, quæ summa potius deuotione debemus adimplere.*

Quinetiam Decimam metalli, quæ iure quodam

ſingulari ad Regem pertinet, l. cuncti 3. Cod. *de metallariis & metallis inuenio* à Regibus Hungariæ olim in dominium & patrimonium Eccleſiæ tranſlatam, itaut Reges Decimam ſuæ Decimæ partem Clero perſoluerent, quæ *Vburarum* decimatio dicebatur. Cuius rei non poſſum, non hic adtexere veſtigium inſigne erutum è veteri codice quod Bonfinius publico dedit, ita vero ſe habet. Leuncl. 3. Cod.

Certa res eſt, & per multa regeſta, ac alia documenta probari poteſt, quod Reges Hungariæ, ab eorum montaniſtis, receperunt Vrburas, hoc eſt de ſingulis mineris auri, argenti, & cupri habuerunt Decimam partem, & quoties Rex habuit Decimas partes huiuſmodi minerarum, toties diuiſit, & dedit Archiepiſcopo Strigonienſi vnam partem, & vocabatur iſta, Decima Decimæ, & durauit huiuſmodi exactio vrburarum vltra centum annos: quoniam quod ſemel inſcribitur regeſtis Regum & Archiepiſcoporum, non ita citò obliuioni traditur. Et cum iam præfata vrburarum præpoſitio à multis, vt præmiſſum eſt, annis fuiſſet continuata, & montaniſtæ præuia ratione cum eorum argento, à toto eo tempore fuiſſent liberi, ita vt cuicumque voluerunt, illud diuendere potuerunt, ſine aliqua mulcta Regis & Camuſiorum. Poſtquam autem ſæpe dicti Reges & Archiepiſcopi per nonnullos montaniſtas ſæpeſæpius fuiſſent decepti in eo, quod non bonas mineras, ſed aliquando viliſſimas depoſuerunt, quas poſtea cum commodo & vtilitate non potuerunt conflare: ex crebra itaque vtilitate, mutatione, & varietate minerarum permoti, nolentes diutius decipi & damnificari, adhibuerunt in conſilium Prælatos & Ba-

rones, & concluserunt quod Reges regni Hungariæ futuris tēporibus à Dominis montanistis & montanis non vrburas huiusmodi minerarum, sed more aliorum regnorum, totum lucrum Camerarum pro seipsis retinerent, ita tamen, vt stolnas hæreditarias & aquæ ductus omnes pro conseruatione regalium montanorū, suis impensis debito intertenerent: & sæpe fatis Archiepiscopus, de singulis marcis pagamenti monetæ, pro tempore currente singulis vnum pisetum exsoluerent, prout & hodie fit, & iam plusquam à centum annis inconcusse obseruatum est. Ex quo patet, istam præstationem vrburarū tandem in pecuniarium censum fuisse commutatam.

Corsetus de potestate regis quæst. 37.

Cui autem loco Decimas persoluere Reges teneantur definit Corsetus in tractatu de potestate Regia, quæst. 37. Nempe Reges Principesque Decimas prædiales oportere illi ecclesiæ soluere, vbi prædia sita sunt. Personales vero vbi diuina audiunt officia, pro rata diuidendo, si in pluribus locis diuina audiant. A Regibus ad Clericos transeamus, & inquiramus, an illi Decimarum pensione teneantur.

Diuisio bonorum quæ Clericis cōpetunt.

Annotandum vero prædia triplicis generis ac conditionis à Clericis possideri, quædam enim sunt propria ac patrimonialia Clericorum, quædam Ecclesiastica. Ac rursus ecclesiastica, alia ad dotem Ecclesiæ pertinent: alia vero sunt incrementum aliquod dotis, quæ nimirum accesserunt Ecclesiæ iam fundatæ ac constitutæ.

Clerici, de prædiis, quæ titulo proprii ac patrimonij possident Decimas persoluere tenentur. Communis est sententia Canonistarum, nam aliter fieri

possct, vt Parochiæ maxima Decimarum parte fraudarentur, si qui in eis optimam prædiorum partem obtinet, eum ad clericorum ordinem contingeret promoueri. Vnde Concilium Moguntinum prohibet ne Clerici possint arbitrio suo Decimas bonorum in alias Ecclesias, quibus iure ipso non competunt, transmittere. *Si quis laicus vel clericus, vel vtriusque sexus persona, proprietatis suæ loca vel res alicui dare delegauerit, Decimationum prouentum priori Ecclesiæ legitime assignatum, inde abstrahere nullam omnino habeat potestatem.* Concilium Mogunt.

Quod vero ad Ecclesiastica prædia pertinet, ea quæ dotem Ecclesiæ constituunt, debuere esse ab omni onere ac præstatione exempta, vt ostendimus fuse agendo de dote Ecclesiarum, & de his bonorum ac prædiorum generibus intelligi debet Decretum Paschalis 2. Cap. *Nouum De Decimis. Nouum*, inquit, *genus exactionis est, vt Clerici à Clericis Decimas exigant, cum nusquam hoc in lege Domini legimus. Non enim Leuitæ à Leuitis Decimas accepisse dicuntur. Jlli profecto Clerici qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, Decimas eis debent.* Vbi glossa ait sententiam Paschalis esse intelligendam de dote Ecclesiæ, pro qua nullas Decimas Clerici Clericis persoluunt. Citat 16.q. 1.c. si quis. Cap. nonũ de Decimis.

De bonis vero quæ voto & pietate fidelium Ecclesiis iam fundatis & competenti dote instructis accedunt, Decimas Ecclesiæ debent Clerici. Imo vna Ecclesia alteri Ecclesiæ Decimas persoluit, quãdo intra eius fines atque ambitum, possessionem

Digitized by Google

aliquam obtinet, propterea in Concilio Melphitano sub Vrbano II. cautum est, ac constitutum, vt Coloni Episcoporum & Abbatum, Decimas persoluant, vbi Missas audiunt, & eorum infantes baptizantur, *Perlatum est ad sanctam Synodum quod sint quidam Episcopi & Abbates qui colonos ad se pertinentes non sinant Decimas dare ad Ecclesias, vbi Missas audiunt & infantes eorum baptizantur. Proinde decreuit sacer iste conuentus, vt Episcopi & Abbates de vineis, vel agris ac frugibus quæ ad suum, vel fratrum vsum laborant, Decimas sibi pro benedictione, vel hospitum susceptione habeant: familia vero ibi dent Decimas suas, vbi per totum anni circulum Missas audiunt, & infantes eorum baptizantur.*

Concilium Melphitanũ sub Vrbano II.

Hoc instituto moreque Ecclesiarum tuetur se Gofridus Vindocinensis aduersus Petrum Santonensem Episcopum. Nam cum Salinarum omniũ, quæ in ora maritima Olonensi sitæ sunt, Decimæ omnes datæ essent Cœnobio Vindocinensi in dotem, & aliquæ earum Salinarum ad ius & dominium pertinerent Santonensis Ecclesiæ, Decimas ex iis persoluere Cœnobio Vindocinensi Petrus Santonum Episcopus repudiabat, eo argumento fretus quod Ecclesiæ, præsertim maiores, minoribus Decimas non soluerent. Quam rationem vehementer impugnat Gofridus Vindocinensis Epistola quadragesima prima lib. 3. *Insuper etiam Decimas Salinarum vestrarum, quas monasterium nostrum, patrimonium scilicet B. Petri, & eius alodium, per sexaginta annos pacifice noscitur possedisse, nobis aufertis. Vnde dilectio-*

Gofridus Vindocinẽsis Epistol. 41. lib. 3.

nem vestram rogamus, vt quod aliter actum est, corrigatis; ne qui Apostolica præceptione nobis defensor constitutus fuerat, videatur persecutor: & sic lupus fiat, quod Deus abnuat, qui esse debuerat pastor. Nobis dictū est, quia dicitis, quod Ecclesia non debet Decimam dare. Hoc verū est vbi Ecclesia nihil habet in Paræcia alterius Ecclesiæ, vbi vero Ecclesia in alterius Ecclesiæ Paræcia possessionem aliquā habet, vel quidpiam quod Decimari debeat, ibi Ecclesia Ecclesiæ Decimam reddere debet, si illud ista possidere desiderat. Hoc tenet Italia, hoc tenet Gallia. Ibi enim nouimus Ecclesias Ecclesiis Decimas reddere, & maiores minoribus, & minores maioribus, vbi altera earum possessionem obtinet in iure alterius.

Difficile autem est explicatu quomodo Olonenses Salinæ ad dotem & patrimonium Ecclesiæ Santonensis pertinere potuerint, cum in eius Diœcesi non sit Olona, sed ad Diœcesim Pictauiensem pertineat. Itaque dicendum non tantum apud Olonam, sed apud Oleronam quoque insulam tum temporis Salinas esse potuisse. At Olerona insula est intra Parochiam Episcopi Santonensis. Quapropter eas Decimas recipiebant Monachi, ratione Ecclesiæ Parochialis suo Monasterio insitæ, & vt aiunt incorporatæ, intra quam Salinæ istæ consistebant: Nam alioquin non video quomodo eas Decimas repetere potuissent. Habuisse autem Ecclesias complures in Oleronensi territorio liquet ex pluribus eiusdem Epistolis, & ex Epistolis Vrbani II. ad Gofridum.

Ad Monachorum Decimas progrediamur, de

quibus dicendum Monachos antequam è laicorum gradu in Clericorum ordinem conscendissent, iis omnibus Pietatis ac Religionis officiis perfunctos, quibus laici solent sese apud Ecclesiasticos homines exoluere. Proinde oblationes, Decimas, Agapas, hoc est publica in pauperum alimoniam conuiuia, apud Monachos æque in vsu erant, atque apud laicos. De oblationibus, apertus est locus apud Hyeronimum vbi notas & conditiones recenset quibus à Monacho Clericus secernitur. *Clerici pascunt oues, ego pascor: illi de altario viuunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem cum in Euangelio anum viduam duo quæ sola sibi supererant æra mittentem, laudauerit Dominus.*

Hyeronim epist. 1. ad Heliodorū tom. 1. de laude vitæ solitariæ.

Easdem oblationes detulisse Sacerdotibus Monachos qui solitudinem incolebant, patet ex vita Nathanaelis apud Palladium cap 18. Eum enim solitudinis studiosum & voti sui tenacem, quo proposuerat nunquam cellæ angustias egredi, Dæmon conatus est hac arte fallere. Finxit se seruum alterius Monachi ex vrbe venientem ad afferendas oblationes, sub vesperum incidisse in præcipitia, nec aliter posse periculo liberari, quàm si Nathanael ad eum iuuandum cellam desereret, manumque porrigeret. *Ille*, inquit, *audiuit vocem pueri & aperto ostio cellæ stans intus dicebat ei, Quis es & quid tibi vis faciam: Respondet Dæmon. Ego sum hujus Monachi ministler, & fero panes quoniam est agape tui noti fratris & cras illucescente Sabatho opus est oblationibus,* ἀγάπη

Palladius cap. 18.

ἐστὶν τοῦ σοῦ γνωρίμου τοῦ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ, καὶ κυρίου σαββάτου διαφαίνοντος, χρεία τῶν προσφορῶν.

Priſcis itaque illis temporibus cum illuſtri Monachorum propagine deſertum floreret, & inter ſpinas ac rupes, Chriſti deliciæ verſarentur: Singulis diebus Dominicis aut in Eccleſiam veniebant Monachi, illicque ſuas oblationes populi more Sacerdoti tradebant, aut certe veniebat ad eos Presbyter, & in Eccleſia quadam in medio cellarũ poſita, ſacris myſteriis fungebatur, vt videre eſt in Parochia Nitrienſi in media ſolitudine extructa de qua Palladius capite ſexto Hiſtoriæ Lauſiacæ, τῇ δὲ ἐκκλησίᾳ σαββάτῳ καὶ κυριακῇ καταλαμβάνουσι μόνον, *Ad Eccleſiam, inquit, veniunt tantum die Sabbathi & Dominica.* Itaque per id tempus, ſi quid offerretur Monachis, illud ab eorum Presbytero, non autem ab aliis fas erat recipi. Qui quidem Presbyter recepta peregrinantium donaria fratribus diuidebat. Inſigne eſt eiuſdem rei veſtigium apud eundem Palladium capite trigeſimo primo, vbi loquitur de Monaſterio Abbatis Stephani: συνέβη δὲ ἐλθόντας τινὰς ξένους βαγήματα ἐνέγκειν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἀδελφότητι· λαβὼν οὖν ὁ κύριος Μακάριος, ὁ Πρεσβύτερος ἡμῶν ἀπήγγειλεν ἑκάστῳ εἰς τὴν κέλλαν πρὸς δράκα. λαβὼν οὖν ὁ Οὐάλης τὴν ἀπειρέξαντα, καὶ ὕβρισεν, καὶ ἐτύπτησεν, καὶ λέγει αὐτῷ ἄπελθε, καὶ εἰπὲ Μακαρίῳ οὐκ εἰμί σου χείρων ἵνα σύ μοι εὐλογίας πέμψῃς.

> Palladius cap. 6. Hiſtoriæ Lauſiacæ.

Accidit vt quidam venientes hoſpites afferrent ad fraternitatem bellaria in Eccleſiam: Porro cum ea accepiſſet ſanctus Macarius Presbyter noſter, miſit ad vnum-

P iij

quemque in Cellam circa manipulum. Inter quos etiam ad Valentem. Cum autem accepisset Valēs eum qui attulerat contumelia affecit & verberauit, & dicit Abi, & dic Macario. Non sum te deterior, vt tu ad me mittas benedictiones. Quo loci carpitur insanus tumor, & irreligiosa superbia Valētis qui nolebat oblationes fidelium sibi per Macarium transmitti.

Itaque primis temporibus cum inter laicos versarentur Monachi, eorum munus & officium visum est singulari cultu Sacerdotes prosequi, eorumque gradum & fastigium tam oblationum, quam Primitiarum pensione venerari.

De Decimis locus est illustris antea à nobis libatus apud sanctum Antiochum Homilia centesima Antiochus Homil. 120. vigesima, quo loci asserit Decimas deberi à Monachis, ex duobus. Primo ex iis quæ aliorum beneficentia Monasteriis donantur: Secundo ex iis quæ opere manuum sibi ipsis Monachi comparant, ἐξαιρέτως δὲ οἱ μόναχοι ὀφειλέται εἰσὶν προσφέρειν τῷ θεῷ ἀπαρχὰς καὶ δεκάτας οὐ μόνον τὰς φαινομένας ταύτας τουτέστιν ἐξ ὧν καὶ αὐτοὶ ἀπὸ ἄλλων οἰκονομοῦνται, καὶ ἐκ τοῦ ἔργου τῶν χειρῶν, ἀλλὰ πνευματικάς, &c. *Præcipuè autem Monachi offerre Deo debent Primitias & Decimas, nec eas modo, quæ in conspicuo sunt, hoc est iis quæ aliorum munere ipsis distribuuntur, aut ex opere manuum resiliunt commoda, sed & spirituales hostias.*

Durauit hæc Religio pendendarum à Monachis Decimarum, etiam posterioribus sæculis, in eis præsertim regionibus, quibus pulsa impietate nomen Christianum cœpit vigere, adeoque in legibus

Hungaricis sanctus Ladislaus Decretorum libro primo capite vigesimo sexto instituit, vt Abbates de liberis suis dent Decimationem Episcopis. Quid sit autem dare Decimationem de liberis non satis patet: nisi forte liberi dicantur, iusta seruitute manumissi, quos sub conditione census aut operæ monasteriis præstandæ Domini manumiserant, vel certe dicuntur liberi qui etiam oblati, serui nempe, quos ad ministerium & famulatum Monachorum olim laici offerebant.

Sanctus Ladislaus Decretorum lib 1. cap. 26

Qua vero ratione desierunt Monachi Decimas pẽdere non est admodũ difficile augurari. Nam vel stipulatione, vel priuilegio id factũ. Stipulatione: cum adhuc auctoritate Presbyterorũ tenerentur Monachi, eisq; vti cogerentur ad sacram liturgiam obeundam: tum commodos sibi ac faciles quærebant Sacerdotes, qui iuribus ac prærogatiuis sui gradus renunciabant, vt Monastico demenso fruentur, & victum vestitumque apud Monachos impetrarent. Insigne eius rei exemplum reperio in Monasterio Murrensi, sic enim loquuntur Acta eiusdem Monasterii impressa Spirembergii. *Accersierunt*, inquit, *Monachi quemdam Presbyterum nomine Turing, & secum tenuerunt, & illi quæ necessaria erant præbuerunt, sicut antea & post illum multis aliis fecerunt, & ille nunquam ausus est Clericos in locum inducere, vel Kalendas illorum obseruare, sed nec cum populo magnam sententiam habuit, sine prælatis loci, quare ipse, & Monachi vnum fuerunt, nec inter eos vlla dissensio vnquam surrexit, sicque per annos multos mansit.*

Acta Monasterii Murrensis impressa Spirembergii impressa anno 1615.

Ab onere vero pendendarum Decimarum priuilegia & impetratę à S. Pontificibus immunitates Monachos ſubinde exemerunt.

Priuilegium S. Landerici Epiſcopi Pariſienſis. Priuilegium Bertefridi Ambianenſis tom. 1. Concil. gall.

Quo autem tempore cęperint eiuſmodi immunitates inueſtigandum. Certe in vetuſtioribus priuilegiis quę Epiſcopi in fauorem Abbatiarum ediderunt, puta priuilegio ſancti Landerici, quod Benedictinis Monachis cœnobii Sandioniſiani conceſſum eſt, priuilegio Bertefridi Epiſcopi Ambianenſis, quod eſt Monaſterio Corbienſi indultum, nullam video iſtius immunitatis à penſione Decimarum fieri mentionem. Conſuluere hiſce priuilegiis optimi Præſules, quieti otioque Monachorum ne Archidiaconorum frequentibus circatis turbaretur meditatio, quæ ſolitudine & deſertis gaudet, quæque vt Angelorum commercio delectatur, ita hominum coetu ac frequentia ſolet interpellari.

Quò ſpectarunt antiqua priuilegia data Monachis.

Credidere itaque animos cœlo congeneres cœlorum naturam motumque imitari, quos vis nulla ab inſtituti curſus tramite abducit, adeoque Monachos diſciplina non egere, qui pulſis ſceleribus ſibi quodammodo peccandi libertatem rapuerunt: Itaque tam bene iuſteque de Monachorum rebus ſentientes Epiſcopi, illis luſtrationis annuæ & cenſuræ onus abſtulerunt. De Decimis nulla mentio.

Greg. 7. relatus ab Alexandro 3 in Concilio Lateranenſi parte 13.

Prima itaque Decimarum à Monachis non ſoluendarum pręrogatiua edita eſt à Gregorio ſeptimo Pótifice maximo circa annum 1075. cuius ſtatutum hac de re habetur in Concilio Lateranenſi parte 13. relatum nempe ab Alexandro tertio, *Statuimus*

mus, vt Monasteria ex suis prædiis nullomodo Decimas soluere cogantur, quia si legitime dandæ sunt, orphanis, & peregrinis dandæ sunt. Indignum est enim, vt à Clericis exigantur, qui propter eum cuius sunt Decimæ, pauperes efficiuntur. Nam pauperes Domini sunt, pauperum hæreditas pauperibus eius eroganda est illis videlicet qui propter amorem illius quæ poterant possidere dimittunt, eumque nudi sequentes, potestati se alterius summittunt.

Adrianus 4. circa annum Christi 1154.

Post Gregorium septimum Adrianus quartus circa annum Christi 1154. nonnullas edidit de Monachorum Decimis constitutiones. Nempe cum ex edicto Gregorii 7. & successorum Pontificum gratia, quæcunque prædia à Monachis arabantur, essent ab onere Decimarum libera, is priuilegium ac libertatem ad sola noualia restrinxit, vt refert Alexander tertius in Concilio Lateranensi parte 13. c. 3. Idem in Epistola ad Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, edixit vt Monachis persoluerent Decimas ex integro de agris & prædiis quæ olim culta fuerant. *Peruenit ad nos quod Monachi de Boxle Ecclesiæ sanctæ Mariæ, in cuius Parochia commorantur, Decimas ex integro non persoluant, & eas reddere contra dicunt. Ea propter fraternitati tuæ iubemus, quatenus prædictos Monachos moneas, vt ipsas Decimas & de ipsis cultis in quibus domus olim constructæ fuerant, præfatæ Ecclesiæ cum integritate persoluant, quoniam priusquam in eadem Ecclesia morarentur, solebant persolui.*

Alexander 3. in Conc. Lateranensi part. 13. c. 3.

Adrianus 4. cap. commissum de Decimis.

Amplificauit maiorum suorum priuilegia in fauorem Monachorum Alexander tertius. Is enim non modo noluit prædia Monachorum propria

Amplificat immunitates Monachorum Alexander 3.

nulli Decimarum præstationi subjacere: Verum etiam eam libertatem ad conductos agros & elocatos extendit. Vt patet ex eiusdem Epistola ad Episcopum Eboracensem in Concilio Lateranensi parte 13. cap. 3. *De compellendis*, inquit, *Monachis albis & nigris, & Canonicis regularibus, ad soluendas Decimas de terris conductis quas habent ad terminum, vel ad firmam à nobis tua discretio postulauit. Sed te vel quemlibet alium audire & exaudire super hoc nulla ratione possumus, nisi manifeste vellemus obuiare iustitiæ & prædecessorum institutis contraire, ne videamur Religionem persequi, quam si forte non habemus in nobis, in alijs diligere & fouere tenemur.* Idem tamen Alexander tertius qui Episcopo Eboracensi illud indulgere noluerat, conquerentibus aduersus Eboracenses Monachos, Abbate & Monachis sanctæ Crucis, constituit vt Monachi Eboracenses in posterum Decimas soluerent de agris conductis & elocatis, ita habetur parte 13. Concil. Lateranensis cap. 2. Vniuersim vero omnibus Monachis edixit Innocentius tertius in Concilio Lateranensi generali cap. 55. vt ad Decimas præstandas tenerentur, tam ex agris conductis quam ex iis quæ de nouo ab iis acquirerentur. *Decernimus*, inquit, *vt de alienis terris & à modo acquirendis, etsi eas propriis manibus & sumptibus excoluerint, Decimas persoluant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea soluebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum.* Imo idem Innocentius 3. lib. quarto Epistola 85. compescit insolentem huius priuilegii abusum in quibusdam Monachis, qui-

Concil. Lateranense part 13. c. 3.

Concil. Lateranense part. 13. c. 2.

Innocent. 3. in Concil. Lateran. generali c. 55.

bus cum abunde vina suppeterent ad annonam, tamen vineas emebant, & vinum ex iis collectum, nullâ Decimâ persoluta, distrahebant mercatoribus. Ita enim loquitur Monachis Cistercíensibus & Hospitalariis & Quinquecclesiensis Diœcesis, *Extendentes ad turpia lucra manus vestras multitudinem emitis vinearum, de quibus sibi*, id. Episcopo Quinquecclesiensi, *vel Ecclesiis suæ Diœcesis Decimæ solui solent, quarum vinum licet nequaquam in proprios vsus expendatis, sed vendendum ad alias faciatis prouincias deportari, Decimas tamen sibi vel ipsis Ecclesiis subtrahitis ex iisdem.* Quo turpi questu in iustam indignationem adductus Pontifex minitatur Monachis fore, vt proximo Concilio omnia illorum priuilegia abrogentur. *Scientes vobis esse merito formidandum, ne propter clamores eiusmodi sacrum Concilium auctore Domino in proximo celebrandum priuilegia vestra coarctanda prouideat, vel etiam reuocanda. Cum priuilegium meretur amittere qui concessa abutitur libertate.*

Quo ordine ceperint ista priuilegia communicari Religiosis Monachorum ordinibus, summorum Pontificum diplomata ac Bullæ testantur. Nimirum primos ea prærogatiua donatos reperio Monachos Basilienses in Diœcesi Messanensi, quibus credo S. Pontifex eam gratiam fecit; siue quod onus Decimarum, ante hæc tempora in Græcia, ne quidem apud laicos & prophanos foret vsitatum, siue quod isti Monachi ad Sedis Romanæ reuerentiam ceteros crederentur posse suis studiis, atque exemplis reuocare. Priuilegia autem non esse steri-

Alexander 3. in Bulla Apostolicæ Sedis anno 1175.

lis ac infœcundæ conditionis quis nescit. Ab hoc primo cætera emerserunt Vrbanus tertius anno 1187. exemptionem à Decimis indulsit hospitali fratrum ordinis cruciferorũ, in ciuitate Bononiæ in Bulla quæ incipit *Cum antecessor tuus*. Celestinus tertius eadem prærogatiua donauit Congregationem Monachorum montis Virginis, Bulla quæ incipit *Religiosam vitam* Innocentius tertius anno 1209. eodem onere liberauit fratres Ordinis Redemptionis captiuorum, Bulla quæ incipit, *Operante Patre luminum*. Honorius tertius eandem libertatem censuit esse communicandam fratribus Euangelii præconibus, Ordinis sancti Dominici, quibus etiam permittit possidere bona cuiuscumque generis sint, per Bullam cui initium est *Religiosam vitam*, anno 1216. Honorius idem Cistercienses in eius gratiæ societatem vocauit anno 1224. per Bullam quæ incipit, *Cum Abbates Cisterciensis Ordinis.* Innocentius quartus pronunciauit Monachos Congregationis Syluestrinæ immunes à Decimis noualium & nutrimentis suorum animalium Bulla quæ incipit *Religiosam vitam* Anno 1247. Clemens quartus anno 1265. remisit fratribus inclyti Ordinis sancti Francisci pensionem Decimarum ex hortis & virgultis per Bullam quæ incipit *virtute conspicuos*; Licet vero sint ex Monachis quibus ea priuilegia competant postquam maxime partem oneris subeunt, & sub præsulum auctoritate militant, abusum tamen priuilegiorum eiusmodi antiqui Patres perpetuo sunt auersati. Adeoque Richardus

Vrbanus 3. Bulla cum antecessor tuus anno 1187.

Celestinus 3. Bulla Religiosam vitam Innocent. 3. Bulla operante Patre luminum anno 1209.

Honorius 3. Bulla Religiosam vitam anno 1216.

Idem Honorius Bulla cum Abbates anno 1224.

Innocent. 4. Bulla Religiosam vitam anno 1247.

Clemens 4. Bulla virtute conspicuos anno 1265.

Digitized by Google

Cantuarienſis apud Petrum Bleſenſem atrociſſime in Ciſtercienſes inuehitur, qui ea immunitate Decimarum freti, cæterorum Clericorum & Monachorum patrimonium maxima ex parte minuebant. *Non ponimus*, inquit, *in cœlum os noſtrum, nec de facto ſummi Pontificis diſputamus. Sed ſi Dominus Papa indulgentia ſpeciali quandoque priuilegiauit vos, dum Ordo veſter in paupertate gaudebat, dum in vſus egentium ſuæ tenuitatis viſcera liberaliter effundebat, potuit tolerari ad tempus, licet in communem redundaret iniuriam, quod cauſa neceſſitatis fuerat introductum. Nunc autem quando veſtræ poſſeſſiones multiplicatæ ſunt etiam in immenſum: priuilegia hæc potius ambitionis, quam religionis inſtrumenta cenſentur. Quicquid indulgeant priuilegia Eccleſiæ Romanæ, vobis expedire non credo, contra conſcientiam veſtram, quod alienum eſt vſurpare. Quod ſi à ſede illa publicum emanaſſet edictum, quod vbicunque inueneritis Clericos, aut alterius habitus Monachos equitantes, vobis liceret eos de ſuis euectionibus deijcere, & equos in vſus proprios retinere? Quid intereſt, equos rapiatis, an Decimas? Niſi quia Decima res ſpiritualis eſt, & ideo enormius ſacrilegium in Decimis committitur, quam in equis? Cum Dominus præcipiat Decimas ſolui, quis contra eius præceptum potuit diſpenſare? Vbi diuina & humana iuſſio ſibi inuicem contradicunt, & obediendum eſt Deo magis quam hominibus.* Ac tandem vbi ſeria adhortatione ipſos ad eam immunitatem aut eiurandam, aut temperandam inuitauit concludit hoc pacto. *Quod ſi pertinaces vos, & inflexibiles exhibetis, vinculo anathematis*

Richardus Cantuarienſis apud Petrum Bleſenſē epiſt. 82. ad Abbatem & conuentum Ciſtercienſem.

innodabimus vniuersos, qui aliquid vobis dederint, aut vendiderint, vnde ius Decimationis obueniat, atque in cœlum clamabimus, & ad thronum summi iudicis appellabimus, ne quis huius vinculum excommunicationis absoluat. Principum etiam fauorem in hoc plenissime obtinebimus, vt gladio spirituali manus ciuis assistat, & quicquid contra principale oraculum, venditum aut donatum vobis fuerit, confiscetur.

Quomodo Decimæ ad Monachos peruenerint, seu quæ intra territorij Monastici *fines sitæ sunt, seu quę ab extraneis Parœcijs in horrea* Monachorum *conuehuntur.*

CAPVT XII.

Decimæ quæ à Monachis possidentur, vel sunt eius Parochiæ intra fines cuius situm est Monasterium, vel olim situm fuit (nam Monachos antiquis sedibus non semel migrasse in locum commodiorem prisci Annales satis apertè testantur) vel Decimæ sunt alterius Parœciæ.

Decimæ Parochiarum, quas Monachi incolunt, qua ratione in ditionem ac patrimonium Monasticum fuerint adscriptæ, facile est intelligere. Loca enim quæ Monasteriorum splendore his temporibus illustrantur, olim incultæ ac ingratæ fuere solitudines, solis vepribus ac spinis fœcundæ. Asperitatem soli & duritiem Monachorum studia

ac labores mollivierunt. Puduit terram aduersus tam religiosos cultores luctari, & inter tot innocentes vultus, quales olim ante primigenium scelus parentum fuerant, noluit tribulos ac vepres tristitia auiti criminis monimenta retinere.

Itaque cum eas terras, Præsules & locorum Domini, Monachis cederent, nil inde sibi Decimarum retinebant. Aliunde si cui eorum locorum Decimæ debitæ fuissent, maxime Presbytero, qui Monasterium regebat: At ille vt ostendimus viuebat arbitratu legeque Monachorum & leui stipendio conductus cętera hospitibus suis liberalissime remittebat.

Quomodo Decimas sui territorii Monachi possideant.

Hic vero quæret aliquis vnde factum sit, vt Decimæ prophanorum ac laicorum, qui circa Monasteria degunt etiam ad Monachos ex integro pertineant; cui dubio facile respondetur. Nam cum adhuc vigerent seruitutes, certum est Monachos habuisse familiam conflatam ex seruis, mancipiis, colonis & originariis. His vero casas & tuguria in cōfinio possessionum suarū Monachi extruebant. Itaque cum totus ille populus ex Monastico famulatu ac seruitio constaret, qui terras, agros & possessiones Monasticas colebat. Hinc fiebat vt ab eodem Presbytero regeretur qui Monasterio præerat, aut ab alio, quem Monachi stipendio condicto, suæ familiæ moderatorem ac Parochum cum institutione Episcopi præficiebant. Itaque non mirum si in homines & Parochias sui territorii maiorem plerumque quam in alias omnes auctoritatem Monachi

obtineant, cum antiquitus omnes isti Parochiani essent eorum serui, quibus Presbyterum nominare & designare, Monachis facile indulgebant Episcopi. Fuisse autem omnes istos incolas maximâ ex parte seruos & colonos Monachorum, tum ratio, tum veterum monimenta suadent. Extat diploma manumissionis publicæ quo totum populum, qui in suburbio sancti Germani de pratis degebat Monachi illius loci seruitutis vinculo soluunt, circa annum Domini 1250. quod diploma è tabulario eius Monasterii eruit Renatus Chopinus, & exscripsit libro secundo de moribus Parisiorum tit. 8. *Frater Thomas Beati Germani de pratis Parisiensis minister humilis, & totius eiusdem loci conuentus &c. Hominibus de Burgo nostro sancti Germani de Pratis producentis libris Parisien. de quibus est nobis satisfactum, manum-mortuam, foris mariagium, & omnimodam seruitutem, quam habebamus, vel habere poteramus in dictis hominibus, vel eorum hæredibus, quantum ad personas seu corpora ipsorum, vbicunque decenter se transferre voluerint, totaliter & in perpetuum remittimus & quittamus; & eosdem manumittimus, ac perpetuæ libertati plene describimus & donamus, &c.*

Renatus Chopinus lib. 2. de moribus Parisiorum tit. 8.

De cæteris vero Parochiis, quæ extra ambitum Monastici territorii sitæ sunt, Decimæ ad Monachos duplici ratione peruenire potuerunt, aut titulo paupertatis, aut nomine tutelæ ac patrocinij Ecclesiarum.

Titulo paupertatis eas obtinent Decimas Monachi, quas illis olim Episcopi vtendas fruendas cesserunt,

cesserunt in annonam fratrum Deo seruientium. Solebat enim Episcoporum pietas Monachorum rebus consulere, & prospicere, ne qui hominum ceruicibus calamitates iugi oratione & austero victu depellunt, illi extrema inopia & calamitate premerentur. Idcirco cum ex antiquissimo Ecclesiæ ritu tertia pars decimarum in pauperum solatia cederet, illam partem boni Præsules commodis ac fortunis Monachorum adscripserunt. Atque hoc titulo non alio possideri Decimas à Monachis perpetuo creditum est. Ita refertur ex Hieronymo ad Damasum Papam 16. quæst. 1. can. *quoniam. Quoniam quidquid habent Clerici pauperum est, & domus illorum, omnibus debent esse communes, susceptioni peregrinorum & hospitum inuigilare debent: maxime curandum est illis, vt de Decimis & oblationibus, cœnobiis & Xenodochiis, qualem voluerint & potuerint sustentationem impendant, liberum enim est Monachis & spiritualibus viris Deum timentibus & colentibus Decimas & oblationes, cunctaq; remedia concedere & de iure suo in Dominiū illorum & vsum transferre, nec tam in pauperibus paupertatem, quam Religionem attendere.* Eandem rationem tradendarum Monachis Decimarum exprimit Yuo Carnotensis epist. 192. *Licet enim Decimæ & oblationes principaliter Clericali debeantur militiæ: potest tamen Ecclesia omne quod habet cum omnibus pauperibus habere commune. Quanto magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis, non in angaria bajulantes Christi crucem, sequuntur pauperem Christum.*

Hyeron. ad Damasum refertur 16. q. 1. can. quoniam.

Yuo Carnotensis epist. 192.

Tutelæ ac patrocinii nomine obtinuerunt De-

cimas Monachi, postquam eorum virtute ac doctrina factum, vt è cellarum latebris ipsos in publicam ecclesiæ lucem præsules educerent; & pascendis regendisque populis moderatores idoneos crearent. Nam ab eo tempore Parochiis sibi commendatis Curionem ac Rectorem è suo contubernio nominabant, quem Presbyterorum insignibus conspicuum & auctoritate docendæ ducendæque plebis instructum in Parochiam mittebat Episcopus: Is vero parte tertia Decimarum, sibi ad victum & vestitum reseruata, quidquid superesset Monasterio tradebat ad alimoniam fratrum illic degentium. Vnde liquet Parochias, in ius & commodum Monachorum ante annum circiter millesimum, ex sola benignitate Episcoporum transiisse, qui altaria Monasteriis adscribebant. Multa in eam rem argumenta conferrem, nisi in tabulariis Monasteriorum infinita extarent eius rei vestigia, & nisi libro sequẽti, iterum occasio reditura esset huius antiquitatis illustrandæ; Cæterum obiter notandum ex iisdẽ Monasteriorum tabulis studium curamq; perpetuo adhibuisse Monachos, vt Parochiarum ac Decimarum factæ sibi ab Episcopis donationes, summorum Pontificum nutu ac diplomate niterentur, inde suis iuribus firmitatem & stabilitatem aucupantes.

Synodus Claromontana sub Vrbano 2. anno 195. apud Biniũ tom. 7.

Postea desierunt Monachi populorum gubernaculis admoueri, quod factum est in Concilio Claromontano sub Vrbano 2. Ea enim Synodo cum cernerent Clerici luculentiorem sui fundi ac patri-

monii partem in Monachorum manum ac possessionem commigrasse; & vix vllas esse Parochias, quarum Decimam Monachi non caperent, de suis bonis ac facultatibus recipiendis ac vindicandis ceperunt cogitare. Itaque graues aduersum Monachos querelas ediderunt, verum cum Vrbanus consultissimus Pontifex cerneret rem istam in apertam seditionem ac tumultum erumpere, nec posse nisi violatâ Ecclesiarum pace, res Ecclesiarum à possessoribus Monachis abstrahi, motus istos ac turbelas sic componendas censuit. Nempe vt quidquid tot retro sæculis Monachi sibi comparassent, id in eorum dominio ac potestate remaneret: cæterum ne Parochiarum regendarum consilio ac prætextu, Monasteria earumdem rebus ac fortunis deinceps augerentur, interdixit ne in posterum Monachi ad gubernandas plebes accederent, & si quid bonorum de nouo ipsis traderetur, id fieret volente & consentiente Episcopo, cuius nisi auctoritas ac suffragium accessisset, omnis donatio nulla foret & irrita. Constitutio Vrbani de bonis ante Concilium Claromontanum partis quiete possidendis extat apud Gratianum 16. q. 7. can. *Congregatio*, expressa ex collectione Decretalium Bernardi Papiensis, tit. de Capellis Monachorum. Canon. vero eiusdem Synodi quæ Claromontana siue Aruerna dicitur extat in antiquo exemplari in Bibliotheca clariss. Puteanorum, vnde eruit & publicauit Iuretus, *In Ecclesiis vbi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur, sed Capellanus qui populum regat ab Epis-*

Vrbanus 2. apud Grat. 16. q. 7. can. Congregatio, collect. Bernardi Papiensis tit. de capellis Monachorum.

Synodus Aruerna ex Thuani manuscripto.

copo constituatur, itaut ex solius Episcopi arbitrio tam eius ordinatio quam & dispositio, & totius vitæ suæ conuersatio pendeat. Cæterum in Galliis cepit primum hæc vigere constitutio de Monachis à Parochiarum moderatione remouendis. Liquet ex Epistola sexagesima nona Yuonis Carnotensis Episcopi, in qua refert Episcopum Lemouicensem vetuisse, ne Monachi in posterum aut Parochias regerent, aut populorum confessionem exciperent. Qua constitione Galterius Monasterii præfectus cum vehementer indignaretur sic ad eum Yuo rescripsit. *Quantum*, inquit, *intellexi ex literis ex parte vestra mihi nuper oblatis, grauiter fert vestra fraternitas, quod Lemouicensis Episcopus in Synodo agens, interdixit omnibus regularibus Clericis & regimen Parochiarum & confessionem pœnitentium, qui rectius quidem fecisset, si omnes Sacerdotes ad regularem vitam inuitasset &c. Hæc tamen prohibitio licet aliquo forsan liuore Canonici ordinis facta esse videatur, quanto salubrior, tanto fraternitati vestræ debet esse acceptior. Vos enim eò per viam Dei expeditiùs inceditis, si alienorum criminum deprimentes fasciculos, cum quotidianis vestrorum excessuum lapsibus non portetis.*

Yuo Carnotensis epist. 69. ad Galterium stirpensis Ecclesiæ præfectum.

Notandũ insuper quod ante tẽpora Vrbani Papæ circiter annis 90. hoc est anno prope millesimo, regnante Roberto Rege, consilium inierant Episcopi de Decimis è Monachorum manu receptandis, eaque caussa Synodum habuerant, apud sancti Dyonisii Monasterium. Verum subita Monachorum tumultuatio fecit, vt populares eius loci Monachis

tanquam Dominis suis ac senioribus addicti, in sacrum Episcoporum cœtum ruerent & cogerent de fuga arripienda potius, quam de recipiendis Decimis cogitare. Rem ita exprimit Aymoinus Floriacensis. De stylo & animo scriptoris iudicium sit penes lectorem. *In illis*, inquit, *diebus in Monasterio S. Dionisij haud procul à Parisiis, Cōcilium aggregatum est quam plurimorū Episcoporum. Qui cum de fidei puritate, de corrigendis tam suis quam subditorum prauis moribus, sermocinari debuissent, iuxta vulgare Prouerbium, cunctum suum sermonem, ad Decimas verterunt Ecclesiarum. Quas, laicis, ac Deo seruientibus Monachis auferre moliti, resistente eis in hac re, hoc V. cultore Abbone, promiscuam in se vulgi concitauere manum. Ortaque subitò seditione, tantus in Episcopos timor irruit, vt publica statione relicta, passim quisque diffugeret, inter quos Seguinus Senonum Archiepiscopus Primatum Galliæ in ea Synodo sibi vsurpans, Primatum quoque fugę arripuit. Et inter fugiendum, securi inter scapulas ictus, lutoque à popularibus oblitus, agrè euasit. Vni quoque Episcoporum timor fugienti tam veloces addidit alas, vt affluentissimo prandij apparatu, quem sibi extruxerat, relicto, vicinæ vrbis Parisiorum mœnia, fugitabundus expeteret.*

Aymoinus Floriacensis lib. de vita sancti Abbonis Floriacensis Martyris capite nono Bibliothecæ Floriacensis pag. 310.

Hæc historia ac progressus Decimarum Monasticarum ante tempora Concilii Lateranensis. Subinde vero hoc est paulo ante Lateranense Concilium & consequentibus sæculis, cum laici maxima ex parte in Sacerdotum Decimas inuolassent ac insolenti dominatu Ecclesiam & Clericos vexarent

Digitized by Google

consilium iniere Episcopi ac Pontifices, qua ratione fieri posset, vt suaderent laicis Decimas temere & præter ius vsurpatas relinquere. Nullum autem remedium commodius visum quàm si potestatem facerent iisdem, Decimas cui vellent Ecclesiæ contradere, seu Monasteriis, seu Parochiis. Itaque cum fundatorum nomen ambirent plurimi & inseri amarent tabulis cartisque Monasteriorum, ereptas Parochialibus Ecclesiis Decimas Monachorum commodis dedicabant. Ex hoc tempore maxima parte Decimationum aucti sunt Monachorum reditus, & facultates mirum in modum amplificatæ. Vnde patet Decimas Monachis nunc temporis nó competere nisi, vel paupertatis, vel tolerantię titulo. Titulo paupertatis, quatenus iis olim ab Episcopis concessæ sunt cum extrema inopia fratres premeret in solitudine de vna æternitate sollicitos. Tolerantię titulo possident quidquid laicorum manibus recepere, à tempore Concilii Lateranensis. Certum est enim titulum istius possessionis sola patientia ac tolerantia præsulum legitimum euasisse. Si enim laici possidere Decimas iure non potuerunt qui fieri potest, vt iustam earum possessionem in Monachos transmiserint? De titulo patrocinii & administrationis nil superest quo Decimas sibi vendicare possint Monachi: non enim amplius Ecclesias administrant, neque per confratres regunt, sed solum ius pręsentandi retinent. At ius simplicis præsentationis nemini potest sufficere ad vindicandas Decimas, nam & laici eo iure potiuntur, neque

tamen pars vlla Decimarum ad eos spectat. Ex solo vero titulo Monachatus nemini Decimas congruere posse, docet Innocẽtius Papa 16.q.1.can. *si Monachus* vbi Monacho Decimarum legendarum facultatem concedi posse decernit, si modo fuerit ad Clerum promotus. Cætera de Decimis nẽpe quibus ex rebus solui oporteat ex fœno, apibus, hortis, metallis piscibus facilia sunt & obuia; idcirco ab his discutiendis abstineo pleni sunt earum rerum forenses libri, nos antiquiora & reconditiora tantum sectamur.

De oblationibus. Diuisio oblationum. Oblatio Primitiarum ex Græcorum praxi. Vbi nam vua benedicitur. Orationes super fructus nouos. κολύζων benedictio: Lac & mel quo festo offerri licet. Oblationes Armenorum ex carnibus coctis. Concilij Antisiodor. canon de compensis & hominibus lineis exponitur &c.

CAPVT XIII.

OBlationum ritus & conditio commode exponetur, si dicamus quarum rerum fierent oblationes, à quibus receptarentur, & quinam ad oblationes faciendas idonei essent, quosue censura Ecclesiastica ab eodem honore reijceret.

Oblationes non ex quibusuis rebus fieri sinebat olim Ecclesia: quædam enim Maiestatem altaris & ecclesiæ sanctitatem dedecent, quædam etiam polluunt. Vnde duo genera oblationum damnari

animaduerto, prophanas nempe & superstitiosas.

Canones Apost. can. 3. De prophanis Canon est inter Apostolicos adscriptus, quo cauetur ne quid offeratur ad altare præter incensum & oleum ad luminaria. Μὴ ἐξὸν δὲ ἔστω προσάγεσθαί τι ἕτερον πρὸς τὸ θυσιαστήριον, ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς. *Ne cui liceat adferre, ad altare quidquam aliud præter incensum vel oleum ad luminaria tempore sacræ oblationis.* Excipiuntur tamen hoc Canone oblationes, τῶν νέων χίδρων & σταφυλῆς. i. nouarum frugum & vuæ recentis. Vnde manauit apud Græcos ritus benedicendi fruges nouas & vuam recentem. Benedictio vuæ fit à sanctissimo Patriarcha in festo Dormitionis Mariæ; in altari sacræ ædis Blachernarũ, vt testatur Balsamon ad Canonem tertium Canonum Apostolicorum. Ritus vero benedictionis tã fructuum quam vuæ recentis, habetur in Euchologio Græcorum cap. trigesimo nono, cui titulus ἀρχὴ ἐπὶ τῶν προσφερόντων ἀπαρχὰς ὀπώρας. Preces autem quæ super fructus nouos fundũtur à Sacerdote sunt eiuscemodi. Δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν προσφέρειν σοὶ κατὰ τὴν πρόθεσιν ἑκάστῳ κελεύσας, καὶ τὴν αἰωνίων σου ἀγαθῶν τούτοις ἀντάμειψιν χαριζόμενος, ὁ τὸ χήρας τὴν κατὰ δύναμιν προσφορὰν εὐαρέστως δεξάμενος, πρόσδεξαι, καὶ τὰ νῦν προσκομισθέντα παρὰ τοῦ δούλου σου, ὁ δεῖνα, καὶ τοῖς αἰωνίοις σου θησαυροῖς ἐναποθέσθαι ταῦτα καταξίωσον δωρούμενος αὐτῷ καὶ τὴν ἐγκόσμιον σου ἀγαθῶν ἄφθονον τὴν ἀπόλαυσιν σὺν πᾶσι τοῖς διαφέρουσιν αὐτῷ. *Domine* Deus *noster qui tua ex tuis tibi offerre vnumquemque pro sua facultate iussisti, & dignaris tibi oblata*

Balsamon ad canonem 3. Apostol.

Euchologium Græcorũ cap. 39.

oblata compensare immortalium donorum largitione qui vidua oblationem latus suscepisti, quam secundum potestatem offerebat suscipe qua tibi offert seruus tuus N. *& ea aeternis tuis thesauris inferre digneris dans illi & omnibus ad eum pertinentibus abundantiam omnium mundanorum bonorum &c.*

Vt autem Primitias ante messem, sic exacta messe & collectis frugibus confusos seminum omnium fasciculos ad altare Sacerdotibus suis Graeci deferunt, quas seminum partes κόλυβας appellant, super quas etiam preces funduntur, quas habemus in Euchologio capite quadragesimo primo.

Εὐχὴ τῶν κολύβων. μα'.

Ὁ πάντα τελεσφορήσας τῷ λόγῳ σου κύριε, καὶ κελεύσας τῇ γῇ παντοδαποὺς ἐκφύειν καρποὺς, εἰς ἀπόλαυσιν καὶ τροφὴν ἡμετέραν· ὁ τοῖς σπέρμασι τοὺς τρεῖς παῖδας καὶ Δανιὴλ τὸν ἐν Βαβυλῶνι ἀβροδιαίτων λαμπροτέρους ἀναδείξας, αὐτὸς πανάγαθε βασιλεῦ, καὶ τὰ σπέρματα ταῦτα σὺν τοῖς διαφόροις καρποῖς εὐλόγησον, καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνοντας ἁγίασον· Ὅτι εἰς δόξαν σὴν καὶ εἰς τιμὴν τοῦ ἁγίου, οὗ δὲ ταῦτα προσετέθησαν παρὰ τῶν σῶν δούλων. καὶ εἰς μνημόσυνον τῶν εὐσεβεῖ τῇ πίστει τελειωθέντων. παράσχου δὲ ἀγαθὲ τοῖς εὐπρεπήσασι ταῦτα, καὶ τὴν μνήμην ἐπιτελοῦσι, πάντα τὰ πρὸς σωτηρίαν αἰτήματα, καὶ τῶν αἰωνίων σου ἀγαθῶν τὴν ἀπόλαυσιν· πρεσβείαις τῆς παναχράντου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου μαρίας· τοῦ ἁγίου τοῦδε, οὗ καὶ τὴν μνήμην ἐπιτελοῦμεν, καὶ πάντων σου τῶν ἁγίων.

Precatio super Leguminibus & fructibus Miscellis.

CAP. XLI.

Ex Græcorũ Euchologio cap. 41.

DOmine qui omnia verbo tuo perfecisti, & terræ imperasti, diuersos fructus ad vsum & nutrimentum nostrum producere, qui nudis seminibus tres pueros & Danielem, iis qui in Babilone delicate educabantur, splendidiores ostendisti: Tu inquam Rex optimè, maximè, & semina ista cum fructibus diuersis benedic, & eos qui ea participant, sanctifica. Quoniam ad gloriam tuam, & in honorem (sancti huius vel illius) & in commemorationem eorum qui in pia fide fuerunt consummati hæc à seruis tuis oblata sunt. Iis verò qui ista adornant & illorum memoriam celebrant, omnia ad salutem adiumenta, & æternorum tuorum bonorum fruitionem concede, propter intercessiones sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis, & semper Virginis Mariæ (sancti huius vel illius) cuius etiam memoriam celebramus, & omnium tuorum sanctorum, &c.

Esse autem κόλυβας particulas & specimina frugum ac leguminum testantur voces istæ σπέρματα ταῦτα σὺν τοῖς διαφόροις καρποῖς, Nam alioquin credi posset κόλυβας esse panes coctos. Ita enim interpretatur Suidas vocem κόλυβα σῖτος ἑψητός frumentum coctum.

Suid. in voce κόλυβα.

Cum ergo antiqui Ecclesiæ canones vetarent præter spicas & vuas, nil quidquam aliùd sacris al-

taribus imponi: omnes alias Primitias in Episcoporum, aut Presbyterorum domum fideles importabant. Ita Canonum Apostolicorum can. *4*.

De lacte & melle non offerendo ad sacrum altare, Synodus sexta in Trullo. Canone 57. ὅτι οὐ χρὴ ἐν τοῖς θυσιαστηρίοις μέλι καὶ γάλα προσφέρεσθαι. Fuit tamen inter Græcos certus anni dies, in quo sacra mysteria pro infantibus celebrabantur, eoque die offere licebat ad altare mel & lac; cui Sacerdotes benedictionem impendebant. Mellis autem & lactis oblatio fit infantium nomine, quia in sacris litteris de Christo infante legitur, *Butyrum & mel comedet ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* Morem autem offerendi mel & lac pro infantibus stato & consueto die, reperto & illustro, ex Concilij Carthaginensis sub Honorio & Theodosio Canone quadragesimo, ἀπαρχὴ δ' εἴτε μέλι, εἴτε γάλα ὡς εἴωθεν προσφερέσθω ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐτησίῳ εἰς τὸ τῶν νηπίων μυστήριον. *Primitiæ autem & mellis, & lactis, ut mos est offerantur uno die consueto ad infantium mysterium.*

Canones Apost. can. 4

Synodus 16. in Trullo can. 57.

Carthagi-nensi Concilium apud Balsamonē canone. 40.

Oblationes superstitiosæ Patrum & Canonum auctoritate acerrime vindicantur, tum quæ aliquid antiqui ritus ac Iudaici moris retinent, tum quæ magicum aliquid sapiunt. Iudaicam autem fæcem olent animantium strages, quibus imbuuntur pauimenta templorum, animarum sordes non eluuntur. Hinc sexta Synodus quæ in Trullo habita est, Armenorum consuetudinem grauiter perstringit. Solebāt enim Armeni dissectarum pecudum membra in templum inferre, & coram sacris altaribus

cœta vnitum vnicuique Sacerdotum distribuere, quem morem tollendum de medio iubet sacra Synodus quini sexta Canone 99.

Καὶ τοῦτο δὲ ἐν τῇ Ἀρμενίων χώρᾳ γίνεσθαι μεμαθήκαμεν, ὥς τινες ἔνδον ἐν τοῖς ἱεροῖς θυσιαστηρίοις μέλη κρεῶν ἕψοντες προσάγουσιν ἀφαιρέματα τοῖς ἱερεῦσιν, Ἰουδαϊκῶς ἀπονέμοντες, ὅθεν τὸ τῆς ἐκκλησίας φυλάττοντες ἀκηλίδωτον ὁρίζομεν, μὴ ἐξεῖναί τινι τῶν ἱερῶν ἀφωρισμένα κρεῶν μέλη παρὰ τῶν προσαγόντων λαμβάνειν. ἀλλ' οἷς ἤρεσθη ὁ προσάγων, τούτοις ἀρκείσθωσαν, ἔξω τῆς ἐκκλησίας, τῆς τοιαύτης γινομένης προσαγωγῆς. Εἰ δέ τις μὴ τοῦτο οὕτω ποιῇ, ἀφοριζέσθω. *Porro hoc quoque in Armeniorum regione fieri didicimus, quod quidam intus in sacris altaribus carnium membra coquentes frustra offerunt Sacerdotibus Iudaicè distribuentes. Quo circa Ecclesiam immaculatam seruantes, statuimus nulli licere Sacerdoti separata carnium membra ab offerentibus accipere, sed iis sint contenti quæ offerenti visa fuerint, eiusmodi oblatione facta extra Ecclesiam: si quis autem non hoc fecerit, segregetur.*

Magicarum autem oblationum extant vestigia quędam, siue apud Græcos, siue apud Latinos. Apud Balsamonem legimus quemdam Monasterii præfectum delusum fallaci & impia cuiusdam suasione solitum admouere sacris altaribus caseum & carnes, existimans inde morbos pelli & affectis corporibus reddi sanitatem. Εἰπόντος ἐκ τούτου τοῦ τρόπου πολλῶν ἀρρωστημάτων θεραπείαν γίνεσθαι. Ad Canonem tertium Canonum Apostolicorum. Hac impiarum oblationum credulitate laborasse veteres Gallos tum capitularia Regum, tum Canones Con-

Balsamum ad canonem 3. canonum Apost.

ciliorum abunde suadent. Canon Concilii Antisiodorensis diserte prohibet omne superstitiosarum oblationum genus. N*on licet compensos in domibus proprijs nec peruigilias in festiuitatibus Sanctorum facere, nec inter sentes, aut ad arbores sacriuos, vel ad fontes vota exoluere, sed quicunque votum habet in Ecclesia vigilet, & matriculæ ipsum votum, aut pauperibus reddat, nec sculptilia aut pedes, aut homines lineos fieri penitus præsumat.* Concilium Antisiodorense can. 3.

Plura in hoc Canone obscura. Primum quid sit compensum in domibus facere. 2. Quid exoluere vota ad arbores sacriuos. 3. Quid sculptilia aut pedes lineos facere quæ omnia pro captus tenuitate, sic explico. Compensos facere nil est aliud quam serotinos cœtus habere, quibus mulieres certum lanæ aut staminis pensum, in votum sancti alicuius nendo texendoue conficiunt, quod pensum subinde sacris altaribus offertur, & hunc morem in nonnullis Galliæ partibus adhuc durare norunt complures: Hoc autem fit in peruigiliis Sanctorum, & in peruigilio natalis Christi. Vnde Concilium post compensos statim prohibet peruigilias Sanctorum facere. Nisi fortasse velit aliquis compensos in domibus facere, nil aliud esse quam stare domi in otio certis diebus, præsertim Maio mense quo superstitiose feriari solebant veteres Galli, vt ex eo sermone liquet, qui falsò refertur inter tractatus Augustini tractatu vigesimo, crediturque esse Eligii Nouiomensis.

Ad arbores sacriuos, aut fontes vota exoluere

propago est, & surculus antiquæ Gallorum Religionis. Solebant enim proceras quercus & sublimi fastigio in cœlum euectas, quasi venerandas diuinę Maiestatis imagines colere & sacris honoribus prosequi. Itaque recepta Christi fide, nondum tamen impiorum rituum prorsus immemores Galli, veram Religionem superstitiosis hisce ceremoniis inquinabant. Solebant enim tres candelas ad fontes, aut ad arbores succendere, & hoc pacto se Numinis gratiam ac fauorem emereri arbitrabantur, vt ex eadem homilia Eligii Nouiomensis eruimus. *Nullus ad fana, vel ad petras, vel ad arbores, aut ad occllos, vel per trina luminaria votum faciat, vel votum reddere præsumat.*

Cæsar. lib. 3. & Ramus tractatu de moribus veterum Gallorum.

Eligius Nouiomensis apud August tom. 9. tractatu 20.

Tandem sculptilia, pedes, aut homines lineos facere significant magicos ac vanos ritus veterum Gallorum, qui in biuiis ac compitis, hominum mēbra, pedesue ex lino plicatili conflatos collocabant, & putabant hoc pacto morbos & ægritudines quibus angebantur felicissime persanari. Id vero liquet ex eodem Nouiomensi. *Nulli*, inquit, *creaturæ præter* Deum *& sanctos eius venerationem exhibeatis, fontes, vel arbores quos sacriuos vocant succidite, plantas siue vngulas pedum, quas per biuia ponunt, fieri vetate, & vbi inueneritis igni cremate, per nullam aliam artem vos saluari credatis, nisi per inuocationem & crucem Christi.*

De sacris oblationibus. Vetus consuetudo offerendi per singulas Dominicas. Perfectio Christianæ communionis in oblatione. Ritus offerendi, apud Græcos: ara duplex πρόθεσις, & ἁγία τράπεζα. Sacrificium ἐκ τῶν προηγιασμένων. Mos Græcis decerpendi particulam è pane. Latini Græcis oppositi. Nomina offerentium recitata. Oblationes extraordinariæ &c.

CAPVT XIV.

HÆc de prophanis & interdictis ab Ecclesia oblationibus: sacras & licitas adoriamur. Illas vero iure dicimus in ordinarias & extraordinarias diuidi. Quippe primis temporibus suppudebat Christianos vacuis manibus in templum ingredi, & cum magna ac æterna à Deo postularent, nil eorum adferre quæ caduca sunt & fortunæ ac temporis arbitrio permutantur. Ideo sacram synaxim & corpus Dominicum, salutare pabulum mentis, adepiscentibus, necesse fuit ante oblationé panis & vini Sacerdotibus facere & vilibus, vt ita loquar, elementis Christi carnem fœnerari. Hinc Cyprianus auaritiam diuitum quorumdam perstringit, qui illiberali parsimoniâ nil panis & vini sacris altaribus inferentes, de oblatione pauperum communicabant. *Locuples*, inquit, *& diues Dominicum celebrare te credis, qui Corbonam omnino non respicis, qui in Dominicum sine sacrificio venis, qui partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis &c.*

De sacris & licitis oblationibus.

Cyprianus Epistol. 10. de opere & eleemosyna

Ex qua obirogatione & animaduerſione Cypriani, deſumpta videtur adhortatio quę extat apud Auguſtinum ſermone 215. *Ante omnia*, inquit, *ſicut iam ſupra dictum eſt, ſecundum vires veſtras Elemoſynam pauperibus exhibete, oblationes quæ in altario conſecrantur offerte, erubeſcere debet homo idoneus ſi de aliena oblatione communicauerit. Qui poſſunt aut cereolos, aut oleum quod in Cincidelibus mittatur exhibeant.*

Auguſt. ſermone 215.

Quamobrem cum ſumma eſſet oblationis cum participatione corporis Chriſti connexio, in ſignum exolutæ pœnitentiæ & deterſi, atque oblitterati longo fletu ſceleris, ſolebant pœnitentes ad oblationem admitti, & iſta erat ſumma ac perfectiſſima reſtitutio ad gradum & ordinem Chriſtianitatis.

Ita Canon Ancyranus quintus decernit vt qui ad idola ſacrificauerunt, & tamen de ſacrificio non ſunt pranſi, *in ſubſtratione*, ſiue ἐν ὑποπτώσει maneant duobus annis, tertio cõmunicent, ſed ſine oblatione, χωρὶς προσφορᾶς, & quarto anno ad perfectum veniant, ſiue τὸ τέλειον λάβωσιν, hoc eſt *perfectum accipiant*, Vbi perfectum accipere nil eſt aliud, quã ad oblationem admitti. Ita etiam Canone 24. decernitur, vt vates & qui ope Magiæ morbos curant, per tres annos ſubſternantur, duos ſoli orationi *ſine oblatione* communicent.

Concilium Ancyranũ can. 5.

Quid eſt ad perfectum addit.

Concilium Ancyranum can. 24.

Stata ergo fuit & ordinaria oblatio panis & vini ante ſacram ſynaxim quam à populo receptam ſacris altaribus inferebat ac imponebat Sacerdos apud Græcos, iis ritibus ac cæremoniis, quas deſcribit Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ cap. 24.

cap.24. Ὁ δὲ ἱερεὺς βοῇ τὸν θεὸν δοξολογήσας, ἔρχεται ἐπὶ τὰ δῶρα, καὶ ἀνελόμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς μάλα κοσμίως ἔξεισι. Καὶ οὕτως αὐτὰ κομίζων ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον εἰσάγει, περιάγων ἐπιτηδὲς ἐν τῷ ναῷ χολῇ καὶ βάδην· καὶ αὐτοὶ ᾄδουσι, καὶ προσπίπτουσιν αὐτῷ, σὺν αἰδοῖ πάσῃ, καὶ εὐλαβείᾳ, δεόμενοι μνήμης παρ' αὐτοῦ τυχεῖν ἐν τῇ τῶν δώρων προσαγωγῇ· καὶ αὐτὸς χωρεῖ πεμπόμενος ὑπὸ λαμπάσι καὶ θυμιάμασι. *Sacerdos autem, postquam cum clamore Deum glorificauit, venit ad dona & cum ea in caput valde honeste & reuerenter sustulit egreditur: & sic ea ferens, ducit ad altare, de industria circumducens in templo propter populum, quietè & pedetentim. Ipsi autem canunt, & genua cum omni reuerentia & Religione inflectunt, rogantes vt eorum sit memor in donorum oblatione. Ipse autem procedit comitatus lampadibus & suffitibus, & ita se habens, altare ingreditur.* Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiæ cap.24.

E quo textu liquet panem sacræ Communioni dedicatum, non statim adduci à populo ad maius altare, siue ad sanctam mensam ἁγίαν τράπεζαν, vt vocant; sed antea deponi in minori quadam ara quam πρόθεσιν, siue Propositionem appellant, è qua Sacerdotum manibus cum pompa & reuerentia deportatur ad sacrum altare. Quod vero populus cum sacra dona referuntur, pronus & incuruus supplicat, id ortum natumque existimat Cabasilas ex more deportandorum ad altare eorum quæ præsanctificata siue προηγιασμένα dicuntur. Sunt autem προηγιασμένα, vt norunt docti omnes, hostiæ præconsecratæ, quæ ad altare deferuntur in missis quadragesimalibus. Nam toto eo tempore prçterquam

Ritus offerendi apud Græcos.

Quid sacrificium ἐκ τῶν προηγιασμένων.

Domincis Sabbatho, & die Annunciationis, Græci faciunt quod Latini die Passionis, id est non consecrant, sed ex ante consecratis celebrant: quia ergo ante præconsecrata populus incuruatur: ideo similitudine deceptus eandem reuerentiam exhibet sacris panibus, vel certe eum cultum impendit, sacris muneribus, quia eo tempore precantur Græci, vt oblatio & sibi sit vtilis, & Deo accepta.

Licet vero ex his constet communi pane Græcos vti in sacris obeundis: attamen lóge alium semper fuisse vsum Ecclesiæ Latinæ norunt omnes. Hîc obiter animaduerto Græcos à Latinis in duobus differre, primo quia imparato pane vtuntur: at apud Latinos paratur & singulari studio concinnatur in eum vsum. Apud Græcos particulam è toto pane præscindunt Sacerdotes, & hanc in rem lanceam habent accommodatam, de qua vide sanctũ Germanum Patriarcham in Historia & mystica contemplatione rerum Ecclesiasticarum. At Latini partem è pane non tollunt, sed integrum & infractum libant, qua de re præclarus extat Canon in Synodo Toletana 16. *Licet multa sanctorum Patrum, in fide sancta nobis præcedentium, de rebus necessariis sententiæ promanauerint: Tamen quia & nunc vsque numerosè, vltra quam oportet, fieri pranoscuntur, ideo necessarium duximus illicitis ausibus ponere hominum. Ad conuentus etenim nostri agnitionem delatum est, eo quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum; partim nescientia impliciti; partim temerario ausu prouocati, non panes mundos & studio*

Germanus Patriarcha in Historia rerum Ecclesiasticarũ Bibliothecæ Patrũ to. 2.

Synodus Toletana 16. can. 6.

præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant: sed passim quomodo vnumquemque aut necessitas impulerit, aut voluntas coëgerit, de panibus suis vsibus præparatis, crustulam in rotunditatem offerant, eamque super altare cum vino & aqua, pro sacro libamine offerant, &c.

Vnde temeritatis huius, aut nescientiæ cupientes terminum ponere, id vnanimitatis nostræ delegit conuentus, vt non aliter panis in altari Domini, Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus; neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat: cuius reliquiæ aut ad conseruandum modico loculo, absque aliqua iniuria facilius conseruentur; aut si ad consumendum fuerit necessarium non ventrem illius, qui sumpserit grauius farciminis onere premat: nec quod in digestionem vadat, sed animam alimonia spirituali reficiat: Ita nempe, vt ab his, qui ea sumpserint, priscorum Canonum instituta seruentur. Igitur quicumque hoc Decretum nostrum temerandum crediderit, animaduersioni diuini iudicij subjacebit, & anni vnius spatio à communione alienus manebit.

Quod ad ceremonias eiusmodi oblationum pertinet, animaduerto siue in ordinariis oblationibus quæ singulis Dominicis fiebant, siue in extraordinariis, quas certa caussa & priuatæ pietatis consilio instituebant conscripta atque edita ab offerentibus eorum nomina, quorum saluti ac quieti per oblationem consultum vellent, ac eadem nomina coram sacris altaribus à Sacerdote recitata. Quamobrem

Nomina offerentium recitari solita.

Innocentius roganti & percunctanti Decentio, quis ordo seruandus in commendatione oblationum & nominum proclamatione, respondet prius esse commendandas oblationes; deinde ad nomina referenda progrediendum. *De nominibus*, inquit, *recitandu, antequam precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes quorum nomina recitanda sunt sua oratione commendet, quam superfluum sit & ipse pro tua prudentia recognosces, vt cuius hostiam nec dum Deo offeras eius ante nomen insinues, quamuis illi incognitum sit nihil, prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac deinde eorum nomina quorum sunt oblationes edicenda.*

Innocent. I. epist. 19. ad decentium.

Ordo autem quidam seruabatur in recitandis eorum qui obtulerant nominibus, primum enim viui ac superstites nominabantur qui Ecclesiæ aliquid contulerant, deinde vero post preces fusas fiebat cómemoratio defunctorum. Id elicitur ex Canone decimo nono Synodi Emeritensis cuius verba sunt. *Salubri deliberatione censemus, vt pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter iussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina à quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viuentes in corpore sunt, ante altare recitentur, tempore Missę, quod si ab hac decesserunt luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine.*

Synodus Emeritensis Canone 19. Era. 704.

Ex quo Canone apparet alium locum & ordinem viuorum nominibus assignatum alium vero

vita functorum, ac extra Missarum solemnia memoriam defunctorum institutam, seu consecratione peracta.

Et tamen omnes fere patres censent nominandos esse defunctos, inter ipsa solemnia Missarum. Ita de matre sua loquitur Aug. lib. 9. Confess. cap. 13. *Memoriam sui ad altare fieri desiderauit, cui nullius diei præter missione seruierat.* Ita Cyprianus Epistola 27. significat vita functos, solitos nominari *apud altare in Sacerdotum prece.* Ita Dionysius Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 3. ait, antequam Sacerdos ad manus abluendas progrediatur, *mysticam Sanctorum fieri recitationem.* Existimauerim itaque Concilium Emeritense, de peculiari quadam commendatione mortuorum loqui, quâ Sacerdos, peracto sacro, & iam populo abituriente, recitabat nomina defunctorum & eorum memoriam populo commendabat: quæ commendatio fiebat extra Missarum solemnia: alioquin solebant defuncti diuinæ Clementiæ in ipsomet sacrificii apparatu commendari.

Angust. lib. 9. confess. cap. 13.

Cyprianus epist. 27.

Dionysius Hierarchiæ Ecclesiast. cap 3.

Quas vero oblationes singulis Dominicis adornabant Christiani; eas quoque aliis subinde diebus solebant vsurpare, seu cum defunctorum memoriam recolerent: siue cum die natali, aut suo, aut amicorum, Deo supplicarent.

Vtriusque oblationis tam pro natalitiis, quam pro defunctis meminit Tertullianus, libro de Corona militis. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus.* Nisi forte per natalitia in-

Tertull. de Corona militis.

telligit memoriam martyrum, pro defunctis verò maxime vxoribus offerebant. Harum nomina exscripta dabant Sacerdoti, aut pronunciabant, Sacerdos vxorum nomina inter faciendum referebat. Vnde Tertullianus idem, libro de exhortatione castitatis Bigamos non posse significat, sine rubore ac verecundia memoriam vxorum facere: cum enim plures vxores Sacerdoti commemorant, quid aliud præstant nisi incontinentiam & libidinem coram sacris altaribus in præsentia Virginum profitentur. *Oblationes annuas reddis. Stabis ergo ad Deum, cum tot vxores, quot illas orationi commemoras. Et offeres pro duabus, & commemorabis illas duas. Et per Sacerdotem de Monogamia ob pristinum de virginitate sancitum, circumdatum Virginis vniuiris; & ascendit sacrificium tuum libera fronte, & inter cætera voluntas bonæ mentis.*

Tertull. lib. de exhortatione castitatis.

Cæterum non omittendum præter panis & vini oblationes, peracta communione, solitos quoque Christianos veteres stipes Sacerdotibus offerre, & in alimoniam Clericorum liberales sportulas impertiri, ita docuimus libro primo cap. vltimo ex Tertulliano, Iustino, Cypriano, Origene, & aliis, quem locum consulat beneuolus Lector.

Durauit Religiosa ista consuetudo pecuniariæ oblationis in stipendia Clericorum, etiam posterioribus sæculis. Concilium Emeritense stipes & pecunias tempore sacræ communionis solitas à fidelibus erogari significat. *In sancta* Dei *Ecclesia diebus festis pro consuetudine & mercede, communicationis tempore à*

Concilium Emeritense cap. 14.

fidelibus pecuniam nouimus poni : pro hoc placuit sancto Concilio hanc rectitudinis ponere regulam, vt quia omni clero communis labor manet in officio sancto, omnibus iuxta meritum ex hoc rependatur vicißitudo. Statuimus in nostris Ecclesiis vel ciuitatibus hoc esse seruandum, vt quidquid pecuniæ à fidelibus in Ecclesia fuerit oblatum, fideliter collectum maneat & conseruatum, & fideliter Episcopo præsentetur; qualiter exinde tres partes fiant æquales, vnam Episcopus habeat, & alteram Presbyteri & Diacones inibi seruientes consequantur & inter se vt dignitas & ordo poposcerit diuidant; tertia vero subdiaconibus & Clericis tribuatur : vt à Primiclero, iuxta quod in officio eos præscit esse intentos, ita singulis dispensetur. Similis forma & de Parochitanis Presbyteris in Ecclesiis illis à Deo creditis erit seruanda.

Cæterum animaduerte Primicleri officium, cuius, quia præterquam hoc Canone nulla alibi mentio reperitur, idcirco loco Primicleri quidam Primicerium reponendum putant: alii Primiclerum Archidiaconum interpretãtur. Neutra earum sententia placet. Qui enim attentiùs rem inspexerit inueniet totũ Clerum Emeritensem & alium quemlibet in Cathedralibus Hispaniarum Ecclesiis, in tres ordines fuisse diuisum, quorum primus erat Presbyterorum. Secundus Diaconorum. Tertius Clericorum in quorum classe etiam Hippodiaconi versabantur. Ac Presbyteris quidem vnus præerat quem Archipresbyterum nominabant, Diaconos is qui regebat, dicebatur Archidiaconus, tandem qui Clericorum familiæ moderator emine-

bat primicleri nomen sortiebatur. Ita doceo ex eiusdem Concilii Emeritensis Canone Decimo, cuius verba sunt. *Communi deliberatione sancimus, vt omnes nos Episcopi intra nostram Prouinciam constituti, in Cathedralibus nostris Ecclesiis singuli nostrum Archipresbyterum, Archidiaconum & Primiclerum habere debeamus.*

Concilium Emeritense can. 10.

Ergo Primiclerus fuit summus & maximus Clericorum, cuius arbitrio, oblationes Clericis pro ratione virtutis & officii distribuebantur.

Hîc locus esset varias oblationes adtexendi, quarum largissimi fuere in Sacerdotes & Clericos maiores nostri, quoties ab iis sacrum aliquod officium exposcerent. Verum hanc tractationem reijciendam putauimus in librum sequentem, quo expendetur à nobis, quid olim Sacramentorum nomine seu Clerici, seu Sacerdotes à laicis consequerentur.

Quinam oblationes facere possint.

CAPVT XV.

NVnc breui dicamus quinam ad oblationes faciendas solerent admitti, quiue à sacris altaribus remoueri. Imprimis certum est Patres, impuras ac prophanas perpetuo censuisse eorum oblationes, qui Ecclesiæ iura violassent, eiusque libertates ausu temerario infregissent: Ita Cyprianus Epistola 27. vetat, ne pro dormitione victoris oblatio recipiatur,

Cyprianus Epist. 27.

recipiatur, qui Faustinum Presbyterum tutorem testamento scripserat: cum nefas esset Clericos, quacunque negotiorum specie, sacris altaribus abduci. Pari fere consilio. D. Augustinus Epistola 187. ait se prohibuisse quominus Bonifacii insignis ac spectabilis viri oblatio à Clericis suscipiatur, quod is Bonifacius hominem quemdam qui ad Ecclesiæ fores tanquam in asylum confugerat vi abstulisset. *Oblatio*, inquit, *Augustinus domus tuæ à Clericis ne suscipiatur indixi communionemque tibi interdixo, donec peracta pro ausibus vel errore à me definita tibi met pœnitentia & tempore condonato pro hoc facto, corde contrito & humiliato dignum offeras* Deo *sacrificium*. Non est ergo nonum Ecclesiá sua iura & libertates Anathematis denunciatione tueri, & iustis censuris fastum ac superbiam prophanorum vindicare. Pietatis hoc genus est non iracundiæ, neque tam sibi hac in parte consulit, quam hominum saluti qui in Ecclesia violata Deum lacessunt omni Regum supercilio maiorem. August. epist. 187. ad Bonifaciũ.

Secundo Ecclesia semper reiecit oblationes eorum, qui vsuris ac fœnoribus ditescunt & exhausto pauperum & miserorum sanguine implentur. Ita in Concilio Carthaginensi quarto cap. 93. repudianda decernunt patres eorum dona qui pauperes opprimunt. Sic piè simul ac eleganter Isidorus Pelusiota Ecclesiam è calamitatibus & spoliis pauperum non esse compingendam monet ne coram Deo sit potius conuictio sceleris, quam monimentum Religionis. Isidorus Pelusiota ad Eutapium epist. 37. l. 3.

Κτίζεις, ὥς φασιν, ἐκκλησίαν ἐν Πηλουσίῳ λαμπρὰν μὲν τοῖς μηχανήμασι πονηρὰν δὲ τοῖς ἐπιτηδεύμασι, χειροτονιῶν τιμήμασι, καὶ ἀδικίαις, καὶ ὕβρεσι, καὶ πενήτων ἐκπιεσμοῖς, καὶ πτωχικοῖς δαπανήμασιν, ὅπερ οὐδέν ἐστιν ἕτερον, ἢ οἰκοδομεῖν Σιὼν ἐν αἵμασι, καὶ Ἱερουσαλὴμ ἐν ἀδικίαις· οὐ χρήζει δὲ ὁ θεὸς ἐξ ἀλλοτρίων θυσίας, ἀλλὰ ταύτην ὡς θυόμενον κύνα μυσάττεται. παῦσαι τοίνυν καὶ κτίζων, καὶ ἀδικῶν, ἵνα μὴ εἰς ἔλεγχόν σοι ὑπὸ θεοῦ ὁ οἶκος ἐκεῖνος αἱρεθῇ.

Condis quidem, vt aiunt, Ecclesiam in Pelusio, machinis quidem ac molitionibus luculentam, sed improbus studiis & sacrarum electionum pretijs & iniurijs, atque contumelijs & tenuiorum oppressionibus, & pauperum sumptibus. Id quod nihil aliud est quam ædificare Sion in sanguinibus & Hierusalem in iniustitijs. Deus porro sacrificio ex alienis bonis conflato, nihil opus habet. Verum illud, perinde atque eum, qui canem mactat, execratur. Quæ cum ita sint, & ædificare & iniuriam alijs inferre desine: ne alioqui domus illa te apud eum prodat & conuincat: vt quæ sublimis quidem & excelsa stet, verum ob ea mala ex quibus extructa est.

Alexander 3. in Concilio Lateranensi c. 25.

Sic fœneratorum impios questus Ecclesia reijcit damnatque Alexander tertius in Concilio Lateranensi cap. 25. *Vsurariorum*, inquit, *manifestorum oblationem ne quisquam accipiat qui autem acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium sui Episcopi satisfaciat ab officii sui maneat executione suspensus.* Concilium Trosleianum cap. 7. hanc Ecclesiæ fuisse antiquam consuetudinem notat, vt qui quouis modo pauperes vexant, ab oblatione arceantur. Alexāder quartus in Bulla quæ incipit *Felicis recordatio-*

Concil Trosleianū cap. 7.

Alexand. 4. in Bulla quę incipit Felicis recordationis, Pontificatus anno 3.

nis, permittit religiosis viris, Fratribus Carmelitis & Minoritis recipere restitutiones eorum quæ latrocinio & fraude quęsita sunt; modo tamen legitimi domini, & ij quibus ex iure fieri debet restitutio, inueniri non possint.

Quid enim iuuat Sacerdotibus ac Religiosis pauperum malis ingemiscere, si ipsi pauperes faciunt, si spolia viduarum receptant, si orphanorum sanguinem sugunt, si miserorum exuuias captantes censu redituque scelerum viuunt & facilitate indulgendi, latrones publicos aut priuatos faciunt ad prædandum audaciores.

Olim milites credebant purgari se contractis in bello sceleribus, & tot prædationum ac latrociniorum sordes elui, cum prædæ partem Vulcano adolebant, & in sortem spoliorum rapacissimum vocabant elementum. Nunc homines Deum obliuisci furtorum & lachrymis pauperum gaudere arbitrantur, si languentium & fame pereuntium viscera aris admoueant, si in societatem fœdissimi lucri Ecclesiæ ministros adsciscant, si Christi fundum rapinis augeant, qui vt diuites essemus extremæ sese deuouit inopiæ. Non amat seruator his artibus splendescere, exhorrescit altaria, quæ auro infami ac furtiuo nitent. Templa ista quæ pauperum sanguis & viscera extruxerunt, longe ipsi sua cruce atrociora sunt: famem suam non vult dæmonis auxilio sedari qui postquam lapides ab ipso oblatos in deserto respuit, docuit nullum esse posse rerum sacrarum tantum squallorem ac miseriam, quam fas esset iniquis rationibus eluctari.

Tandem Ecclesia non suscipit eas oblationes, quæ in detrimentum & calamitatem pupillorum cedunt: quorum enim saluti, vigilias curamque Episcoporum destinauit, horum spoliis sibi ditescere nefas duxit. Noluit itaque parentes dum sacrorum ornatui, atque Sacerdotum quieti consulunt memoriam filiorum exuere, & cum Religioni famulantur, eam quam natura pectoribus inseuit violare pietatem : Ea mente Augustinus sese eorum oblationes respuere dicebat, qui filio exhæredato res suas Ecclesiæ ac Sacerdotibus deuouissent. *Profiteor*, inquit, *me suscipere oblationes bonas, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur filio suo, & moriens exhæredat eum, si viueret non eum placarem? Non eum reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo, volo vt habeat pacem, cuius appeto hæreditatem. Sed plane sic faciat quod sæpe hortatus sum, vnum filium habet, alterum putet Christum, duos habet, Christum putet tertium, decem habet, vndecimum faciat, suscipio. &c.*

August. sermone 2. de vita & morib. Clericorum Concilium Aquisgran. c. 112. sub finem.

Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere; Ecclesiam quærat alterum qui suscipiat non Augustinum imo Deo propitio neminem inueniat. Hinc Imperatorum leges edixerunt, vt seu vir, seu mulier Monasterium ingressa ita res suas inter liberos partiatur, vt nulli eorum legitimam detrahat, sed si omnem substantiam inter filios diuidere voluerit, sua persona filiis connumerata, partem sibi retineat, quę Monasterio competere debet, *l. generali §. si qua mulier. C. de sacrosanctis Ecclesiis.*

Cum itaque Carolus Magnus inconsulta hac pietate, quâ, prole neglecta, parentes Ecclesiarum fundum locupletant videret Ecclesiam non tam opibus augeri quam communibus odiis ac publica inuidia fatiscere: decreuit eas oblationes in posterum fore irritas, statuitque res Sacerdotibus traditas ad legitimos hæredes reuocari, ita Capitularium lib. 1. cap. 8. *Statum est ut nullus quilibet Ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat, quarum liberi aut propinqui hac inconsulta oblatione, possint rerum propriarum exhæredari, quod si aliquis deinceps hoc facere tentauerit à Synodali, vel Imperiali sententia modis omnibus feriatur.* Eodem respexere sanctissimi Imperatores Capitularium lib. 2. capitulo trigesimo primo, vbi decernunt succurrendum orphanis exhæredatis, quos nempe parentes delusi suauibus quorumdam aucupiis & ingeniosis adulationibus ab aditione hæreditatis summouerunt. Imo ne Ecclesia pauperum se calamitate ac miseria inquinaret capitulo trigesimo secundo eiusdē libri, decernitur ne liceat Episcopis aut Abbatibus res pauperum emere aut quouis pacto eorum sibi patrimonium arrogare. *Propter prouisiones pauperum pro quibus curam habere debemus, placuit nobis, vt nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarij, nec Iudices nullusque omnino sub mala occasione, vel malo ingenio res pauperum, vel minus potentum, nec emere, nec tollere audeat.*

Capit. lib. 1. cap. 8.

Capit. lib. 2. cap. 31.

Apud Longobardos ei qui filiam domi habet *in capillo*, non licet pietatis titulo, aut specie Religio-

Digitized by Google

nis cuiuslibet donare plusquam duas partes suarum facultatum. Ita edictum à Rege Luitprando legum Longobardicarum libro secundo titulo vigesimo lege prima. *De eo præcipimus qui filiam in casa habueri in capillo & filium non reliquerit legitimum, vt de rebus suis amplius per nullum titulum cuicumque per donationem aut pro anima sua facere possit nisi partes duas, tertiam vero relinquat filiæ suæ sicut gloriosissimus Rotharis Rex instituit.* Quid sit autem habere filiam in capillo domi siue in casa ex antiquis Longobardorum moribus exponendum: apud quos nondum nuptæ & elocatæ filiæ domi manebant, sparso & fluente capillo, vel in signũ libertatis, cuius partem aliquam amittunt, dum cõnubij fœderibus subduntur, vel certe, vt hoc pacto cogerentur se domi continere & à progressu in publicum, cui ea demum magis laudabilis est forma, quæ minus nota est, abstinere.

Inter ea demum quibus manus suas temperat Ecclesia, possunt computari res fisci ac curiæ, vnde Curiales, olim sine Principis edicto nutuque nefas erat in sacrum ordinem prouehi. Quamobrẽ Christianissimi Imperatores incommodam & grauem Reip. consuetudinem è medio sustulerunt qua nonnulli, vt se militaribus obsequiis præstarent, liberos, & molliorem vitam longe à strepitu armorum & bellorum iactatione ducerent, in solitudinem ac Monasterium commeabant, aut sese Ecclesiæ in seruitium dabant; quandoquidem serui Ecclesiæ essent omni önere fiscali immunes: *De liberis*

hominibus qui ad seruitium Dei se tradere volent, vt prius hoc non faciant quam à nobis licentiam postulent. Hoc ideo quia audiuimus aliquos ex illis non tam caussa deuotionis hoc fecisse, quam pro exercitu seu alia functione regali fugienda: quosdam vero cupiditatis caussa ab his qui res illorum concupiscunt circumuentos audiuimus, & hoc ideo prohibemus. Capit. lib. I. cap. 110.

Ex quo loco illustratur antiquus quidam ritus, quem nos agendo de Ecclesiæ seruis prætermisimus: Nempe solitos quosdam ex affectu Religionis libertatem exuere, & sese in seruitium ac familiam Ecclesiæ transcribere. Quod autem aliqui pio consilio fecerant, hoc alii fraude factitarunt: nempe vt cognitionem iudicum ordinariorum & auctoritatem Principum deuitarent, seruos se faciebant Ecclesiarum. Animaduertendum autem seruos sua sponte factos iis tantum operis ac præstationibus fuisse obnoxios, quibus inter seruitutis auspicia sese dedicassent. Vnde ad tenuem plerumque censum se & prolem deuouebant, vt hoc pacto defensione & immunitatibus Ecclesiarum fruerentur. Insigne exemplum est apud Aubertum Miræum donationum Belgicarum cap. 18. Vbi Gisla quædã Gandauensis se ipsam tradit cum vniuersa sobole in seruitium Ecclesiæ sanctæ Gertrudis Niuellensis. Verba traditionis sunt eiusmodi. *Tradidi autem me sub hac lege indissolubili, vt tam ipsa quam tota progenies mea & posteritas, 16. Kal. Aprilis, singulis annis pro capitali censu, ad capitale Virginis altare vnum de-*

narium persolueremus; pro mortua manu tantumdem. Nullum aduocatum, præter Louaniensem Comitem, nullum censuarium, præter custodem altaris habentes, liberi deinceps à cætera executione.

Hæc de oblationibus licitis aut illicitis. Vnum superest dicendum quinam oblationes recipere possunt. Soli Sacerdotes hoc possunt tanquam publici dispensatores ac œconomi, quorum arbitrio quæcumque ad altare referuntur debent pauperibus erogari. Propterea laici omnes, & qui sacris honoribus non fulgent, à prærogatiua sumendarũ oblationum tot canonibus arcentur. Qui quia à nobis supra libati sunt, non debent repeti. Vniuersim vero Calistus secundus in Concilio Romano cap. 14. *Sanctorum Patrum Canonibus consona sentientes, oblationes de sacratissimo & reuerendissimo altari Beati Petri, & Saluatoris & sanctæ Mariæ rotundæ, aut de aliis Ecclesiarum altaribus, siue crucibus à laicis auferri penitus interdicimus, & sub districtione Anathematis prohibemus.*

Digitized by Google



LIBER SECVNDVS

DE IVRIBVS ET CENSIBVS EPISCOPORVM.

HActenus de communi Ecclesiæ fundo,& publicis sacræ familiæ opibus est disceptatum. Nunc quas sibi quisque,in eo patrimonio sortes vindicare possit, & quæ sint priuata cuiuslibet Clericorum iura breui expendamus. Atque, vt in apice Ecclesiarum sedent Prælati, vt in eorũ fronte maiestas Ecclesiæ legitur, non secus ac in sole Dei præpotentis magnitudo: ita sordes & squallorem ab ea dignitate longe amouendum veteres censuerunt. Quis vnquam mortalium ea coluit sydera, quæ aut perpetua teguntur nube, aut tam hebetes ac exiles radios fundunt, vt vix aciem oculorum subeant? Humanos hoc est diuinarum rerum parum capaces animos, nisi quæ illustria sunt ac magnifica non mouent.

Latebat in tenebris Deus, nisi lucem in ipso mundi exordio creasset. Ignibus ac tonitruis potestatis suæ magnitudinem rudes Iudæorum animos docuit, & qui sub paupertatis inuolucro la-

Digitized by Google

têre decreuerat, dum miserrimæ cruci figitur ipso noctis repentinæ vmbraculo prodidit se syderum arbitrum ac mundi conditorem. Ita inopia Christi nulla esset, careret adoratoribus simplicitas, nisi patuisset sponte pauperem factum, qui diuitias ac Imperia moderatur & eum cui honores ac Magistratus parent, in hanc infamiam non necessitate sed voluntate descendisse.

Itaque Episcopos licet amantes paupertatis, hoc est ab inani rerum caducarum studio magni animi auctoritate secretos, decet tamen opibus saltem moderatis affluere: vt hac etiam specie mortalium oculos alliciant, qui Deum, quem in ligno rudique lapide exsculptum prætereunt, auro argentoque fulgentem votis ardentibus venerantur. Itaque Augustinum illum magni simul ordinis & Episcopij rectorem post dictum vale diuitijs atque ambitioni, legimus tamen oblatas Ecclesiæ facultates æquo animo recepisse, imo tepescentem erga Clericos ciuium curam ac pietatem nonnunquam sermonibu excitasse. *Iste de neglecto* inquit Possidius *à fidelibus Gazophylacio & secretario, vnde altari necessaria inferuntur aliquando in Ecclesia loquens admonebat, quod etiam Beatissimum Ambrosium se præsente in Ecclesia tractauisse nobis aliquando retulerat.*

Possidius in vita D. Augustini.

Et certe Episcoporum majestatem, sordes squalorque dedecent, quorum suppellex & familia, (quod de Augustino refert Possidius,) vt nitida nimiū cultaque esse non debet, ita nec plurimum

abiecta. Ea causâ Yuo Carnotensis apud Pascalem summum pontificem obsistebat, quominus Tornacensis Ecclesia ab Episcopatu Nomouiensi auelleretur, ne in paupertatem dignitas Episcopalis incideret *Praeterea* (inquit) *cum dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honeste ferre non valeat prouidendum est ne ista diuisione vterque Episcopus fiat pauper.* Yuo carnotensis Epistola 181.

Merito itaque certam ac constitutam annonam Episcopis, Diœceses lustrantibus à Parochis & Monasteriis præstandam veteres censuerunt, à qua initium facimus singulares Episcoporum reditus censusque enumerandi. Nam vt diuisionem præmittamus Reditus omnes censusque Episcoporum proprij ad eum pertinent vel ratione dignitatis ac ordinis, quia nempe summo in omnes gradus ac Ecclesias suæ Diocesis imperio dominatur, vel ratione officii ac functionis alicuius sacræ, quã exercet. Functio autem & ministerium: vel ad publicum totius Diocesews regimen spectat vel ad consecrationem siue ἱερωτελεσίαι priuatæ cuiusdam rei, hoc est seu loci, seu personæ. Qui reditus pertinent ad Episcopum ratione dignitatis sunt Cathedraticum & tertia seu quarta oblationum: qui ad eundem spectant tione officii alicujus publici, sunt procurationes Circaticum, Synodaticum. Tandem obuentiones, quas Episcopus sibi vendicat intuitu priuati alicujus muneris ac officij, sunt ea, quæ dantur pro

altarium consecratione, pro sacerdotum inaugu-
ratione. Dequibus singulis breuiter differendum.

De procurationibus & Circatis Quibusnam competit lustrare de Prouinciam & procurationes excipere Episcopi procurantur Metropolitæ, Ex, archi-Periodoeuæ, Archidiaconi.

CAPVT PRIMVM.

LVstrari & recenseri Dioceses ab Episcopis, antiquissima consuetudo & pene Ecclesiæ coœtanea. Quid enim aliud Pauli, Petri & aliorum ex Apostolico cœtu peregrinationes & frequentes in prouincias excursus ad confirmandos fideles, ad resecanda heresen initia, nisi imago quædam & effigies solemnis illius circuitionis, quâ Episcopi suas Dioceses obeunt, *Lustrans vniuersa in circuitu pergit, & in circulos suos reuertitur.* Soles itaque sunt Episcopi, quos non vni tantum ciuitati, sed toti Prouinciæ Deus præfecit: horum luce & aspectu, vt ad solis redeuntis amicum teporem, flores pullulant, germinant plantæ, & pulsa pectoribus vitia ac errores virtuti locum faciunt & honestati. Adeoque tam fatale est Ecclesiæ, Episcopum vno tantum loco consistere quam lugendum ac deplorandum foret orbi vniuerso, solem non moueri. Verum antequam ad honores & census in lustratione Prouinciarum

Digitized by Google

episcopis exolutos progrediamur. Animaduertẽdum primò duplicem lustrationem ab Episcopis institutam: vnam quidem in prouincia propria statam & ordinariam: aliam in prouincia aliena & vicina. Nam si fortè aliquis è vicinia Episcopus pecessisset, tùm ad eius Diocesim regendam & componendam, ad iusta & funebre obsequium vita functo Episcopo persoluendum, aliquis è propinquo aduentabat, cui Visitatoris nomen veteres imposuerunt.

Secundò, animaduertendum non solùm proprios Episcopos, sed etiam Metropolitanos solitos fuisse lustrare Diœceses sibi obnoxias. Nam Canone 52. Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ, Honoratus & Vrbanus hortantur Aureliũ Carthaginensem, vt velit prouinciam Mauritaniam visitare pro consueto more: At Aurelius annuit se id facturum, nisi Barbarorum insidiæ prohibeant. Et certè administrationem Diœceseωn sibi subiectarum habent Metropolitani, administrationis autem pars est visitatio. Vnde cùm Yuo Carnotensis nonnullis de rebus D. Aimberti Senonensis Metropolitæ sui iudicium subiturus esset eundem hortatur vt Diœcesim Carnotensem lustret, & inter lustrandum iudicium de negotio ambiguo & litigioso instituat, Epistola 182. Procurationes autem & census Metropolitis exhibitos testantur variæ Pontificum decisiones. Car-not. epist. 182.

Lucius tertius Monasteria omnia Bononiæ iussit procurationes exoluere, Rauennati Metropo-

litæ renitente aduersus eam pensionem Abbate Sancti Proculi res Monachorum omnium gerente, Capite *Sopitæ. De Censibus.* Innocentius tertius códemnat Abbatem Sancti Maglorij, in suburbio Parisiensi, ad præstandas procurationes Senonensi Metropolitæ, quando Diœceses lustrat. Capite *cum ex offic. De præscriptionibus.* & epist. 85. lib. 3. plebanos quosdam iure Metropolitico, Bituricensi Episcopo subiectos, iisdem teneri pensionibus decernit cũ Archiepiscopus eas Parochias ex officio visitat. Fandem Metropolitani procurandi necessitatem expressit Greg. nonus, cap. *cum nuper. De Censibus.* vbi Beneuentanum Archiepiscopum, dum prouinciam siue suo siue Pontificis nomine lustrat, iubet ab Ecclesiis excipi & curari.

Capit. Sopitæ de Censibus. Innocent. 3. cap. cum ex officii de pr script. & ep. 85 l. 3.

Hanc verò procurationum exhibendarum legem etiam vsque ad summum Pontificem quando Prouincias & Imperia lustrat, extendi animaduerto. Anno quippe 878. cũ Ioannes Papa Franciam appulisset, iussit ab Episcopis Regni sibi stipendia præstari, & annonam erogari, ita apud Aimoinum; *Ludouicus autem mittens et quosdam Episcopos, petiit, vt vsque Trecas veniret, ibique ab Episcopis istius regni stipendia sibi dari fecit.*

Aimoinus l. cap. 37.

Legatis quoque & Nuntiis Apostolicæ Sedis procurationes deberi rescripsit Innocentius tertius ad Primicerium, & Clerum Mediolanensem, cap. *cum instantia De Censibus.*

Innocent. 3. cap. cum instantia de Censibus.

Concilium Emeritense Canone vndecimo. *Placuit huic sancto Concilio, vt tam à Presbyteris, quàm*

Conc. Emeritẽse can. 11

Digitized by Google

Abbatibus, siue etiam Diaconibus, Episcopo debitus honor impendatur: vt à nullo contumeliam pati videatur, & quandocunque contigerit eum iuxta Canonicam sententiam visitare suam Parochiam, & digne eum suscipiant & prout habuerint, aut ratio permiserit, illi preparent quæ fuerint necessaria. Ita Concilium Suessionense sub Pipino.

Conci. Suess. sub Pipino ca. 4.

Atque vt Presbyteris reuerentiam in visitatores Episcopos, ita Præsulibus modestiam ac continentiam prisci semper Canones suaserunt; ne Presbyteri comitatu ingenti Episcoporum vexati, non tam diuinioris gratiæ ac sanctioris doctrinæ diribitorem aduenisse sibi exultarent, quam raptores ac prædones in peculium suum inuolasse quererentur. Hinc Pelagius circa annum quingentesimum septuagesimum, moderate viuendũ Episcopis Diœceses visitantibus admonet. Vetát enim *prandia enormia fieri, sed secundũ mediocritatem vniuscuiusque loci Episcopo ad consignationem venienti præparari conuiuium*. Concilium Cabilonense sub Carolo Magno Canon. 14. compescendas decernit iniquas Præsulum exactiones, atque oportere Episcopos *in lucris animarum potius quàm in deprædandis & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus operam dare.*

Cabilonen. 2. Canon. 14.

Meritò itaque stupuerunt subsequentia sæcula & auaritiam & incontinentiam Ioannis Rauennatensium Archiepiscopi, qui Diœceses sibi subiectas sæpius lustrando, sordida tributorum exactione, & Clericos ad inopiam cogebat, & suam

Citatũ 10. q. 3. Canon. 10. illud magnitudinem.

Digitized by Google

turpiter fœdabat dignitatem; ideo ab Episcopis Aemiliæ congregatis accusatus est in hunc modum. *Dixerunt quippe Ioannem secundo quoque anno Episcopia sua cum fermè quingentorum hominum, equorumque numero perlustrare, ac tamdiu in singulis moram trahere, donec omnia, quæ ad fructus Episcopi, ad alimentum Clericorum & pauperum, susceptionem peregrinorum, atque instaurationē Basilicarum pertinerent, cum magna illa multitudine consumpsisset, neque ante recedere quàm ab Episcopo ducentos manicosos sibi, familiaribus verò suis dona non modica exegisset.* quamobrem cum multi Episcoporum finerent Parochos in sumptus immensos effundi, decretum est speciatim quid nomine procurationis penderent suis Præsulibus Diœceses visitātibus. Capitulare Tolosanum expressè definit qui modus in ea retenendus sit, hoc pacto: *Vt in circuitione Parochiæ Episcopi de cætero singulos Presbyteros, per singulas iacendo euntes Ecclesiolas, sicut hactenus non prædentur, cum scriptum sit eosdem Euangelizare debere non turpis lucri gratia, ne vituperetur Ministerium sanctum. Sed considerent & denuntient loca sibi & populo conuenientia, & illuc Presbyteri, quotquot possibilitas & moderatio prouiderit, plebes suas adducant, & ibidem Episcopi prædicent, confirment, & populi errata inquirant ac corrigant. Iterum autem, quia Dominica voce datur licentia, qui Euangelium adnunciant, vt de Euangelio viuant, licet Paulus Apostolus nihil horum fuerit vsus, Presbyteri tale conicctum faciant, vt & Episcopi solatium habeant, & ipsi non grauentur. Quod ita nobis fieri posse videtur.*

Ita Sigonius l. 5. de regno Italiæ ad annum 861.

Capitul. Tolosa. ca. 4. tom. 3. Conc. ann. 43.

videtur. Videlicet vt quatuor Presbyteri ad locum vbi quintus degit, & Episcopus residet, plebes suas de quatuor partibus adducere studeant; & vnusquisque eorum decem panes, & dimidium modium vini, & frischingam de quatuor denariis, & pullos duos, & oua decem, & modium vnum de annona ad caballos, in subsidium benedictionis gratia præsentet Episcopo. Et similiter quintus, in cuius domo Episcopus residet, faciat. Nec amplius ab eo exigatur, nisi forte ligna & vtensilia in opus ministerij commodet. Quapropter Episcopus prouideat, ne domus aut sepes illius à Ministris vastentur. Apertius & distinctius Conc. Ticinense sub Ludouico II. capite 15. *Episcopi huiusmodi dispensa contenti sint. Panes centum, frischingas quatuor, vini sextaria quinquaginta, pullos eptem, oua quinquaginta, agnum vnum, annonam ad caballos modios sex, fœni corbes tres, mel, oleum, ceram, quod sufficit.* Deinceps itaque plurimæ leges circa visitationem Parochiarum institutæ, quas ordine recensemus.

Constitutum est Toletano Concilio primo, vel vt alii volunt quarto, aut certe si Burchardo & Yuoni creditur Concilio Triburiensi, ne Episcopi mansiones sibi debitas cogant plebanos redimere: hoc est, ne cùm abstinent à visitanda Diœcesi, cessantque ab annua & solita lustratione, iubeant tamen Parochos impensas & sumptus, quos facerent in receptando Episcopo, in eiusdem ærarium inferre. Tandem constitutionem innouauit Concil. Valentinum sub Carolo Caluo, cap. 22. vetat enim ne Episcopi, si prouinciam

Concilium Valentin. sub Carolo Caluo Can. 22.

narium persolueremus ; pro mortua manu tantumdem. Nullum aduocatum, præter Louaniensem Comitem, nullum censuarium, præter custodem altaris habentes, liberi deinceps à cætera executione.

Hæc de oblationibus licitis aut illicitis. Vnum superest dicendum quinam oblationes recipere possunt. Soli Sacerdotes hoc possunt tanquam publici dispensatores ac œconomi, quorum arbitrio quæcumque ad altare referuntur debent pauperibus erogari. Propterea laici omnes, & qui sacris honoribus non fulgent, à prærogatiua sumendarũ oblationum tot canonibus arcentur. Qui quia à nobis supra libati sunt, non debent repeti. Vniuersim vero Calistus secundus in Concilio Romano cap. 14. *Sanctorum Patrum Canonibus consona sentientes, oblationes de sacratissimo & reuerendissimo altari Beati Petri, & Saluatoris & sanctæ Mariæ rotundæ, aus de alijs Ecclesiarum altaribus, siue crucibus à laicis auferri penitus interdicimus, & sub districtione Anathematis prohibemus.*



LIBER SECVNDVS
DE IVRIBVS ET CENSIBVS EPISCOPORVM.



Actenus de communi Ecclesiæ fundo,& publicis sacræ familiæ opibus est disceptatum. Nunc quas sibi quisque,in eo patrimonio sortes vindicare possit, & quæ sint priuata cuiuslibet Clericorum iura breui expendamus. Atque, vt in apice Ecclesiarum sedent Prælati, vt in eorū fronte maiestas Ecclesiæ legitur, non secus ac in sole Dei præpotentis magnitudo :ita sordes & squallorem ab ea dignitate longe amouendum veteres censuerunt. Quis vnquam mortalium ea coluit sydera, quæ aut perpetua reguntur nube, aut tam hebetes ac exiles radios fundunt, vt vix aciem oculorum subeant?Humanos hoc est diuinarum rerum parum capaces animos, nisi quæ illustria sunt ac magnifica non mouent.

Latebat in tenebris Deus , nisi lucem in ipso mundi exordio creasset. Ignibus ac tonitruis potestatis suæ magnitudinem rudes Iudæorum animos docuit, & qui sub paupertatis inuolucro la-

tère decreuerat, dum miserrimæ cruci figitur ipso noctis repentinæ vmbraculo prodidit se syderum arbitrum ac mundi conditorem. Ita inopia Christi nulla esset. careret adoratoribus simplicitas, nisi patuisset sponte pauperem factum, qui diuitias ac Imperia moderatur & eum cui honores ac Magistratus parent, in hanc infamiam non necessitate sed voluntate descendisse.

Itaque Episcopos licet amantes paupertatis, hoc est ab inani rerum caducarum studio magni animi auctoritate secretos, decet tamen opibus saltem moderatis affluere : vt hac etiam specie mortalium oculos alliciant, qui Deum, quem in ligno tudique lapide exsculptum prætereunt, auro argentoque fulgentem votis ardentibus venerantur. Itaque Augustinum illum magni simul ordinis & Episcopij rectorem post dictum vale diuitijs atque ambitioni, legimus tamen oblatas Ecclesiæ facultates æquo animo recepisse, imo tepescentem erga Clericos ciuium curam ac pietatem nonnunquam sermonibu excitasse. *Iste de neglecto* inquit Possidius *à fidelibus Gazophylacio & secretario, vnde altari necessaria inferuntur aliquando in Ecclesia loquens admonebat, quod etiam Beatissimum Ambrosium se præsente in Ecclesia tractauisse nobis aliquando retulerat.*

Possidius in vita D. Augustini.

Et certe Episcoporum majestatem, sordes squalorque dedecent, quorum suppellex & familia, (quod de Augustino refert Possidius,) vt nitida nimiũ cultaque esse non debet, ita nec plurimum

abiecta. Ea causâ Yuo Carnotensis apud Pascalem summum pontificem obsistebat, quominus Tornacensis Ecclesia ab Episcopatu Nomouiensi auelleretur, ne in paupertatem dignitas Episcopalis incideret *Praeterea* (inquit) *cum dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honeste ferre non valeat prouidendum est ne ista diuisione vterque Episcopus fiat pauper.* Yuo carnotensis Epistola 181.

Merito itaque certam ac constitutam annonam Episcopis, Diœceses lustrantibus à Parochis & Monasteriis præstandam veteres censuerunt, à qua initium facimus singulares Episcoporum reditus censusque enumerandi. Nam vt diuisionem præmittamus Reditus omnes censusque Episcoporum proprij ad eum pertinent vel ratione dignitatis ac ordinis, quia nempe summo in omnes gradus ac Ecclesias suæ Diocesis imperio dominatur, vel ratione officii ac functionis alicuius sacræ, quá exercet. Functio autem & ministerium: vel ad publicum totius Dioceseos regimen spectat vel ad consecrationem siue ἱερο τελεσίαν priuatæ cuiusdam rei, hoc est seu loci, seu personæ. Qui reditus pertinent ad Episcopum ratione dignitatis sunt Cathedraticum & tertia seu quarta oblationum: qui ad eundem spectant tione officii alicujus publici, sunt procurationes Circaticum, Synodaticum. Tandem obuentiones, quas Episcopus sibi vendicat intuitu priuati alicujus muneris ac officij, sunt ea, quæ dantur pro

altarium consecratione, pro sacerdotum inaugu-
ratione. Dequibus singulis breuiter differendum.

De procurationibus & Circatis Quibusnam competit lustrare de Prouinciam & procurationes excipere Episcopi procurantur Metropolitæ, Ex, archi-Periodoeuæ, Archidiaconi.

CAPVT PRIMVM.

LVstrari & recenseri Dioceses ab Episcopis, antiquissima consuetudo & pene Ecclesiæ coætanea. Quid enim aliud Pauli, Petri & aliorum ex Apostolico cœtu peregrinationes & frequentes in prouincias excursus ad confirmandos fideles, ad resecanda hereseon initia, nisi imago quædam & effigies solemnis illius circuitionis, quâ Episcopi suas Dioceses obeunt, *Lustrans vniuersa in circuitu pergit, & in circulos suos reuertitur.* Soles itaque sunt Episcopi, quos non vni tantum ciuitati, sed toti Prouinciæ Deus præfecit: horum luce & aspectu, vt ad solis redeuntis amicum teporem, flores pullulant, germinant plantæ, & pulsa pectoribus vitia ac errores virtuti locum faciunt & honestati. Adeoque tam fatale est Ecclesiæ, Episcopum vno tantum loco consistere quam lugendum ac deplorandum foret orbi vniuerso, solem non moueri. Verum antequam ad honores & census in lustratione Prouinciarum

episcopis exolutos progrediamur. Animaduertẽdum primò duplicem lustrationem ab Episcopis institutam: vnam quidem in prouincia propria statam & ordinariam: aliam in prouincia aliena & vicina. Nam si fortè aliquis è vicinia Episcopus decessisset, tùm ad eius Diocesim regendam & componendam, ad iusta & funebre obsequium vita functo Episcopo persoluendum, aliquis è propinquo aduentabat, cui Visitatoris nomen veteres imposuerunt.

Secundò, animaduertendum non solùm proprios Episcopos, sed etiam Metropolitanos solitos fuisse lustrare Diœceses sibi obnoxias. Nam Canone 52. Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ, Honoratus & Vrbanus hortantur Aureliũ Carthaginensem, vt velit prouinciam Mauritaniam visitare pro consueto more. At Aurelius annuit se id facturum, nisi Barbarorum insidiæ prohibeant. Et certè administrationem Diœceseωn sibi subiectarum habent Metropolitani, administrationis autem pars est visitatio. Vnde cùm Yuo Carnotensis nonnullis de rebus D. Aimberti Senonensis Metropolitæ sui iudicium subiturus esset eundem hortatur vt Diœcesim Carnotensem lustret, & inter lustrandum iudicium de negotio ambiguo & litigioso instituat, Epistola 182. Procurationes autem, & census Metropolitis exhibitos testantur variæ Pontificum decisiones. Carnot. epist. 182.

Lucius tertius Monasteria omnia Bononiæ iussit procurationes exoluere, Rauennati Metropo-

litæ renitente aduersus eam pensionem Abbate Sancti Proculi res Monachorum omnium gerente, Capite *Sopitæ. De Censibus*. Innocentius tertius cōdemnat Abbatem Sancti Maglorii, in suburbio Parisiensi, ad præstandas procurationes Senonensi Metropolitæ, quando Diœceses lustrat. Capite *cum ex offic. De præscriptionibus*. & epist. 85. lib. 3. plebanos quosdam iure Metropolitico, Bituricensi Episcopo subiectos, iisdem teneri pensionibus decernit cū Archiepiscopus eas Parochias ex officio visitat. Eandem Metropolitani procurandi necessitatem expressit Greg. nonus, cap. *cum nuper. De Censibus*. vbi Beneuentanum Archiepiscopum, dum prouinciam siue suo siue Pontificis nomine lustrat, iubet ab Ecclesiis excipi & curari.

Capit. Sopitæ de Censibus. Innocent. 3. cap. cum ex officii de præscript. & ep. 85 l. 3.

Hanc verò procurationum exhibendarum legem etiam vsque ad summum Pontificem quando Prouincias & Imperia lustrat, extendi animaduerto. Anno quippe 878. cū Ioannes Papa Franciam appulisset, iussit ab Episcopis Regni sibi stipendia præstari, & annonam erogari, ita apud Aimoinum: *Ludouicus autem mittens ei quosdam Episcopos, petiit, vt vsque Trecas veniret, ibique ab Episcopis istius regni stipendia sibi dari fecit.*

Aimoinus l. 5. cap. 37.

Legatis quoque & Nuntiis Apostolicæ Sedis procurationes deberi rescripsit Innocentius tertius ad Primicerium, & Clerum Mediolanensem, cap. *cum instantia De Censibus*.

Innocent. 3. cap. cum instantia de Censibus.

Concilium Emeritense Canone vndecimo. *Placuit huic sancto Concilio, vt tam à Presbyteris, quàm*

Conc. Emeritēse can. 11

Abbatibus, siue etiam Diaconibus, Episcopo debitus honor impendatur: vt à nullo contumeliam pati videatur, & quandocunque contigerit eum iuxta Canonicam sententiam visitare suam Parochiam, & digne eum suscipiant & prout habuerint, aut ratio permiserit, illi preparent quæ fuerint necessaria. Ita Concilium Suessionense sub Pipino. Conci. Sueff. sub Pipino ca. 4.

Atque vt Presbyteris reuerentiam in visitatores Episcopos, ita Præsulibus modestiam ac continentiam prisci semper Canones suaserunt; ne Presbyteri comitatu ingenti Episcoporum vexati, non tam diuinioris gratiæ ac sanctioris doctrinæ diribitorem aduenisse sibi exultarent, quam raptores ac prædones in peculium suum inuolasse quererentur. Hinc Pelagius circa annum quingentesimum septuagesimum, moderate viuendū Episcopis Diœceses visitantibus admonet. Vetát enim *prandia enormia fieri, sed secundū mediocritatem vniuscuiusque loci Episcopo ad consignationem venienti præparari conuiuium*. Concilium Cabilonense sub Carolo Magno Canon. 14. compescendas decernit iniquas Præsulum exactiones, atque oportere Episcopos *in lucris animarum potius quàm in deprædandis & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus operam dare.* Cabilonen. 2. Canon. 14.

Meritò itaque stupuerunt subsequentia sæcula & auaritiam & incontinentiam Ioannis Rauennatensium Archiepiscopi, qui Diœceses sibi subiectas sæpius lustrando, sordida tributorum exactione, & Clericos ad inopiam cogebat, & suam Citatur 10. q. 3. Canon. 10. illud magnitudinem.

videtur. Videlicet vt quatuor Presbyteri ad locum vbi quintus degit, & Episcopus residet, plebes suas de quatuor partibus adducere studeant; & vnusquisque eorum decem panes, & dimidium modium vini, & frischingam de quatuor denariis, & pullos duos, & oua decem, & modium vnum de annona ad caballos, in subsidium benedictionis gratia præsentēt Episcopo. Et similiter quintus, in cuius domo Episcopus residet, faciat. Nec amplius ab eo exigatur, nisi forte ligna & vtensilia in opus ministerij commodet. Quapropter Episcopus prouideat, ne domus aut sepes illius à Ministris vastentur. Apertius & distinctius Conc. Ticinense sub Ludouico II. capite 15. *Episcopi huiusmodi dispensa contenti sint. Panes centum, frischingas quatuor, vini sextaria quinquaginta, pullos eptem, oua quinquaginta, agnum vnum, annonam ad caballos modios sex, fœni corbes tres, mel, oleum, ceram, quod sufficit.* Deinceps itaque plurimæ leges circa visitationem Parochiarum institutæ, quas ordine recensemus.

Constitutum est Toletano Concilio primo, vel vt alii volunt quarto, aut certe si Burchardo & Yuoni creditur Concilio Triburiensi, ne Episcopi mansiones sibi debitas cogant plebanos redimere: hoc est, ne cùm abstinent à visitanda Diœcesi, cessantque ab annua & solita lustratione, iubeant tamen Parochos impensas & sumptus, quos facerent in receptando Episcopo, in eiusdem ærarium inferre. Eandem constitutionem innouauit Concil. Valentinum sub Carolo Caluo, cap. 22. vetat enim ne Episcopi, si prouinciam

Concilium Valentin. sub Carolo Caluo Can. 22.

adeant, quicquam exigere possint *pro seruitio* à suis Presbyteris, *Vt de seruitio Presbyterorum erga Episcopos consuetudo, vt nobis videtur, valde reprehensibilis amputetur, vt scilicet, quoties Episcopus statuto tempore visitationem & prædicationem per eosdem sacerdotes non exercet, nequaquam ab eis pro solito seruitio pecunias exigat*: Idipsum statuit ac definit Concilium Lateranense. Ita Innocentius 4. cap. *Romana de Censib.* in sexto, edixit ne Archiepiscopi possint procurationes exigere ab aliis, quàm à locis visitatis.

Innocent. 4. cap. Romana de Censibus.

Secundò, prospectum ne procurationes plures vno die recipiant. Itaque non tot procurationes quot Parochiæ debétur ex antiquo iure, sed quinque Presbyteri sumptus communes in vnam procurationem conferunt, vt liquet ex capitulo 4. Capitularis Tolosani, tom. 3. Conc. Galliæ Syrmundianæ sylloges. Apud Innocentium tertium lib. 1. epistola 7. legimus Episcopo Venetensi procurationes assignatas super Parochiis Monasterii Rotonensis, eâ ratione, *vt à sex Ecclesiis quatuor procurationes præstarentur, quarum vnam perciperet in Parochiali Ecclesia de Roton, aliam in Ecclesia de Sancto Godoaldo; aliam in Ecclesia de Brem. & aliam in Ecclesia de Langon. Ita videlicet quod Abbas & Priores ipsarum Ecclesiarum tres partes, & Capellani quartam partem in procurationibus ipsis ponant, & à duabus Ecclesiis, scilicet de Bremaria, & sancti Petri de Roton quatuor solidos pro singulis procurationibus, ad sublevationem suam recipiant Cappellani.* Ex quibus patet eos presbyteros, qui parochias Monasteriis insitas

Capitular. Tolosaum. tom. 3. Concil. Galliæ

Innocent 3. lib. 1. Ep. 7.

Digitized by Google

regerent, non fecisse omnes sumptus ac impensas procurationum, sed partem ex ærario Monasterii desumpsisse.

Vnius autem procurationis singulis diebus sumendæ legem confirmauit Bonifacius 8. cap. *Felicis Recordationis*. De *Censibus*, in sexto. *Non licet*, inquit, *visitanti nisi vnam procurationem recipere vnâ die, siue locum vnum visitauerit, siue plura, etiamsi locus quilibet ab illo visitatus sufficeret ad procurationem integram persoluendam.*

Bonifacius 8. cap. Felicis recordationis, in 6.

Tertiò, cautum est antiquitùs, ne liceret permutare pecunia procurationes, hoc est, loco victus & cibariorum, nummariam pensionem sumere. Ita Innocent tertius cap. *Romana eccles.* De *Censibus* in sexto. Bonifacius cap. *Felicis Recordationis* ibidem, Concilium Prouinciale apud Langes, Concilium apud Castrum Guntherii anno 251 apud Bocherellum lib. 5. tit. 15. Attamen Concilium Tridentinum sess 24. cap. 3. Decreti de reformatione, morem & instituta Prouinciarum sequi oportere decernit, ac vbi pecunia exolui solent procurationes, ibi quoque in nummis esse recipiendas. De toto hoc negotio procurationum consulat lector beneuolus Clementinam ad nostrum de Censibus & exactionibus lib. 3. tit. 13. ca. 2. & extrauagantem Benedicti 12. quæ incipit *vas electionis*, vbi taxantur procurationes pabula charitatis, & subsidium charitatiuum. Nunc dicamus breui quænam Ecclesiæ procurationes debeant.

Innocent. 4. cap. Romana de Censibus 8. in 6.

Concilium apud Castrum Guntherii apud Bocherellum lib. 5. tit. 15.

Concil. Trident. sess 24. cap. 3 Decreti de Reformatione.

Omnes prorsus Ecclesiæ quæ intra Diœcesim existunt, siue Parochiæ, siue Monasteria ad Præstandas procurationes tenentur.

Neque vero ab hac lege immunes sunt Ecclesiæ, quæ in ciuitate Episcopali versantur Licet enim sine sumptu ac impensis lustrari possint, ab Episcopo: attamē idem ipsi cum cæteris obsequiū tenentur exoluere. Ita decretum est ab Honorio tertio in fauorem Cenomanensis Episcopi, cùm ei fratres de cultura, suum Monasterium situm intra vrbis fines lustranti procurationem recusarent. Nomine tamen Ecclesiarum Oratoria intra grangias, seu in prædiis Monachorum constructa non continentur, quippe Episcopo ea visitanti nulla debetur procuratio ex rescripto Gregorii noni cap. *Authoritate. De Censibus.* Concludendum ergo ad hoc vt Ecclesiæ immunes sint à iure procurationis singulari gratia & prçrogatiua opus esse, qua cessante, in obligatione iuris communis includuntur. Vnde nobis hic obiter de immunitatibus & priuilegiis tractandum, & eorum fontes recludendi. Priuilegia quæ Monachos eximere à cognitione & authoritate Episcoporum gemini sunt ordinis ac naturæ; quædam enim à summis Pontificibus, quædam verò ab ipsismet Episcopis profluxerunt.

Honorius 3. cap. venerabili de Censibus.

Greg. 9. ca. authoritate de Censib.

Neque verò existimandum priuilegia in fauorem ordinis Monastici summos Pontifices his tantum posterioribus sæculis indulsisse. Ante Gregorium primum, hisce fauoribus summa sedes ac

suprema Monasteria quædam illustrauit. Apud eundem quippe Gregorium lib. 7. ep. 113. alias 115. legimus Vigilium summum Pontificem priuilegio ornasse Monasterium quoddam intra pomerium vrbis Arelatensis à Childeberto Francorum Rege constructum : Eadem epistola reuerentiam prædicat, quam fideles exhibent priuilegiis Pontificum. Idem Greg. ep. 12. lib. 6. priuilegium tradit Monasterio sancti Cassiani, sub Respecta Abbatissa Massiliæ constructum. Præterea epistola 18. lib. 7 datur priuilegium Monasterio sanctorum Ioannis & Stephani in ciuitate Classitana.

Greg. mag. lib. 7. ep. 113. alis 115.

Greg. ep. 12. lib. 6. & ep. 18. lib. 7.

Verùm animaduertendum priuilegia eiuscemodi summorum Pontificum, nunquam coercuisse potestatem spiritalem, quam obtinét Episcopi in Monasteria, sed tantum authoritatem quandam, seu dominium temporale, in res & bona eorundem. quippe primis illis temporibus res omnes Ecclesiarum in ditione ac potestate Episcopi versabantur, adeoque fas erat ipsis prædia, opes & census Ecclesiarum ac Monasteriorum pro arbitrio moderari, & quæ illic erant oblata aut relinquere, aut asportare. Quamobrem Monasteriorum fundatores, vt rebus ac commodis Monachorum consulerent, facerentque, ne liceret ab eorum dominio quæcumque donata aut oblata essent, auellere, solebant aut à summis Pontificibus, aut ab ipsismet locorum Episcopis priuilegium emereri, quo bona & res Monacho-

Digitized by Google

altarium consecratione, pro sacerdotum inaugu-ratione. Dequibus singulis breuiter differendum.

De procurationibus & Circatis Quibusnam competit lustrare de Prouinciam & procurationes excipere Episcopi procurantur Metropolitæ, Ex, archi-Periodoeuæ, Archidiaconi.

CAPVT PRIMVM.

LVstrari & recenseri Dioceses ab Episcopis, antiquissima consuetudo & pene Ecclesiæ coætanea. Quid enim aliud Pauli, Petri & aliorum ex Apostolico cœtu peregrinationes & frequentes in prouincias excursus ad confirmandos fideles, ad resecanda heresean initia, nisi imago quædam & effigies solemnis illius circuitionis, quâ Episcopi suas Dioceses obeunt, *Lustrans vniuersa in circuitu pergit, & in circulos suos reuertitur.* Soles itaque sunt Episcopi, quos non vni tantum ciuitati, sed toti Prouinciæ Deus præfecit: horum luce & aspectu, vt ad solis redeuntis amicum teporem, flores pullulant, germinant plantæ, & pulsa pectoribus vitia ac errores virtuti locum faciunt & honestati. Adeoque tam fatale est Ecclesiæ, Episcopum vno tantum loco consistere quam lugendum ac deplorandum foret orbi vniuerso, solem non moueri. Verum antequam ad honores & census in lustratione Prouinciarum

Episcopis exolutos progrediamur. Animaduertẽdum primò duplicem lustrationem ab Episcopis institutam: vnam quidem in prouincia propria statam & ordinariam: aliam in prouincia aliena & vicina. Nam si fortè aliquis è vicinia Episcopus peccessisset, tùm ad eius Diocesim regendam & componendam, ad iusta & funebre obsequium vita functo Episcopo persoluendum, aliquis è propinquo aduentabat, cui Visitatoris nomen veteres imposuerunt.

Secundò, animaduertendum non solùm proprios Episcopos, sed etiam Metropolitanos solitos fuisse lustrare Diœceses sibi obnoxias. Nam Canone 52. Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ, Honoratus & Vrbanus hortantur Aureliũ Carthaginensem, vt velit prouinciam Mauritaniam visitare pro consueto more. At Aurelius annuit se id facturum, nisi Barbarorum insidiæ prohibeant. Et certè administrationem Diœceseωn sibi subiectarum habent Metropolitani, administrationis autem pars est visitatio. Vnde cùm Yuo Carnotensis nonnullis de rebus D. Aimberti Senonensis Metropolitæ sui iudicium subiturus esset eundem hortatur vt Diœcesim Carnotensem lustret, & inter lustrandum iudicium de negotio ambiguo & litigioso instituat, Epistola 182. Procurationes autem & census Metropolitis exhibitos testantur variæ Pontificum decisiones. Carnot. epist. 182.

Lucius tertius Monasteria omnia Bononiæ iussit procurationes exoluere, Rauennati Metropo-

litæ renitente aduersus eam pensionem Abbate Sancti Proculi res Monachorum omnium gerente, Capite *Sopitæ. De Censibus.* Innocentius tertius cōdemnat Abbatem Sancti Maglorii, in suburbio Parisiensi, ad præstandas procurationes Senonensi Metropolitæ, quando Diœceses lustrat. Capite *cum ex offic. De præscriptionibus.* & epist. 85. lib. 3. plebanos quosdam iure Metropolitico, Bituricensi Episcopo subiectos, iisdem teneri pensionibus decernit cū Archiepiscopus eas Parochias ex officio visitat. Eandem Metropolitani procurandi necessitatem expressit Greg. nonus, cap. *cum nuper. De Censibus.* vbi Beneuentanum Archiepiscopum, dum prouinciam siue suo siue Pontificis nomine lustrat, iubet ab Ecclesiis excipi & curari.

Capit. Sopitæ de Censibus. Innocent. 3. cap. cum ex officii de præscript. & ep. 85 l. 3.

Hanc verò procurationum exhibendarum legem etiam vsque ad summum Pontificem quando Prouincias & Imperia lustrat, extendi animaduerto. Anno quippe 878. cū Ioannes Papa Franciam appulisset, iussit ab Episcopis Regni sibi stipendia præstari, & annonam erogari, ita apud Aimoinum: *Ludouicus autem mittens et quosdam Episcopos, petiit, vt vsque Trecas veniret, ibique ab Episcopis istius regni stipendia sibi dari fecit.*

Aimoinus l. 5. cap. 37.

Legatis quoque & Nuntiis Apostolicæ Sedis procurationes deberi rescripsit Innocentius tertius ad Primicerium, & Clerum Mediolanensem, cap. *cum instantia De Censibus.*

Innocent. 3. cap. cum instantia de Censibus.

Concilium Emeritense Canone vndecimo. *Placuit huic sancto Concilio, vt tam à Presbyteris, quàm*

Conc. Emeritēse can. 11

Abbatibus, siue etiam Diaconibus, Episcopo debitus honor impendatur: vt à nullo contumeliam pati videatur, & quandocunque contigerit eum iuxta Canonicam sententiam visitare suam Parochiam, & digne eum suscipiant & prout habuerint, aut ratio permiserit, illi preparent quæ fuerint necessaria. Ita Concilium Suessionense sub Pipino. Conci. Suess. sub Pipino ca. 4.

Atque vt Presbyteris reuerentiam in visitatores Episcopos, ita Præsulibus modestiam ac continentiam prisci semper Canones suaserunt; ne Presbyteri comitatu ingenti Episcoporum vexati, non tam diuinioris gratiæ ac sanctioris doctrinæ diribitorem aduenisse sibi exultarent, quam raptores ac prædones in peculium suum inuolasse quererentur. Hinc Pelagius circa annum quingentesimum septuagesimum, moderate viuendũ Episcopis Diœceses visitantibus admonet. Vetãt enim *prandia enormia fieri, sed secundũ mediocritatem vniuscuiusque loci Episcopo ad consignationem venienti præparari conuiuium*. Concilium Cabilonense sub Carolo Magno Canon. 14. compescendas decernit iniquas Præsulum exactiones, atque oportere Episcopos *in lucris animarum potius quàm in deprædandis & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus operam dare.* Cabilonen. 2. Canon. 14.

Meritò itaque stupuerunt subsequentia sæcula & auaritiam & incontinentiam Ioannis Rauennatensium Archiepiscopi, qui Diœceses sibi subiectas sæpius lustrando, sordida tributorum exactione, & Clericos ad inopiam cogebat, & suam Citatur 10. q. 3. Canon. 10. il. lud magnitudinem.

Digitized by Google

videtur. Videlicet vt quatuor Presbyteri ad locum vbi quintus degit, & Episcopus residet, plebes suas de quatuor partibus adducere studeant; & vnusquisque eorum decem panes, & dimidium modium vini, & frischingam de quatuor denariis, & pullos duos, & oua decem, & modium vnum de annona ad caballos, in subsidium benedictionis gratia praesentēt Episcopo. Et similiter quintus, in cuius domo Episcopus residet, faciat. Nec amplius ab eo exigatur, nisi forte ligna & vtensilia in opus ministerij commodet. Quapropter Episcopus prouideat, ne domus aut sepes illius à Ministris vastentur. Apertius & distinctius Conc. Ticinense sub Ludouico II. capite 15. *Episcopi huiusmodi dispensa contenti sint. Panes centum, frischingas quatuor, vini sextaria quinquaginta, pullos eptem, oua quinquaginta, agnum vnum, annonam ad caballos modios sex, fœni corbes tres, mel, oleum, ceram, quod sufficit.* Deinceps itaque plurimæ leges circa visitationem Parochiarum institutæ, quas ordine recensemus.

Constitutum est Toletano Concilio primo, vel vt alii volunt quarto, aut certe si Burchardo & Yuoni creditur Concilio Triburiensi, ne Episcopi mansiones sibi debitas cogant plebanos redimere: hoc est, ne cùm abstinent à visitanda Diœcesi, cessantque ab annua & solita lustratione, iubeant tamen Parochos impensas & sumptus, quos facerent in receptando Episcopo, in eiusdem ærarium inferre. Eandem constitutionem innouauit Concil. Valentinum sub Carolo Caluo, cap. 22. vetat enim ne Episcopi, si prouinciam

Concilium Valentin. sub Carolo Caluo Can. 22.

adeant, quicquam exigere possint *pro seruitio* à suis Presbyteris, *vt de seruitio Presbyterorum erga* Episcopos *consuetudo, vt nobis videtur, valde reprehensibilis amputetur, vt scilicet, quoties* Episcopus *statuto tempore visitationem & prædicationem per eosdem sacerdotes non exercet, nequaquam ab eis pro solito seruitio pecunias exigat:* Idipsum statuit ac definit Concilium Lateranense. Ita Innocentius 4. cap. *Romana de Censib.* in sexto, edixit ne Archiepiscopi possint procurationes exigere ab aliis, quàm à locis visitatis.

Innocent. 4. cap. Romana de Censibus.

Secundò, prospectum ne procurationes plures vno die recipiant Itaque non tot procurationes quot Parochiæ debētur ex antiquo iure, sed quinque Presbyteri sumptus communes in vnam procurationem conferunt, vt liquet ex capitulo 4. Capitularis Tolosani, tom. 3. Conc. Galliæ Syrmundianæ sylloges. Apud Innocentium tertium lib. 1. epistola 7. legimus Episcopo Venetensi procurationes assignatas super Parochiis Monasterii Rotonensis, eâ ratione, *vt à sex Ecclesiis quatuor procurationes præstarentur, quarum vnam perciperet in Parochiali Ecclesia de Roton, aliam in Ecclesia de Sancto Godoaldo; aliam in Ecclesia de Brem. & aliam in Ecclesia de Langon. Ita videlicet quod Abbas & Priores ipsarum Ecclesiarum tres partes, & Capellani quartam partem in procurationibus ipsis ponant, & à duabus Ecclesiis, scilicet de Bremaria, & sancti Petri de Roton quatuor solidos pro singulis procurationibus, ad sublcuationem suam recipiant Cappellani.* Ex quibus patet eos presbyteros, qui parochias Monasteriis insitas

Capitular. Tolosaum. tom. 3. Concil. Galliæ

Innocent 3. lib. 1. Ep. 7.

regerent, non fecisse omnes sumptus ac impensas procurationum, sed partem ex ærario Monasterii desumpsisse.

Vnius autem procurationis singulis diebus sumendæ legem confirmauit Bonifacius 8. cap. *Felicis Recordationis*. *De Censibus*, in sexto. *Non licet*, inquit, *visitanti nisi vnam procurationem recipere vnâ die, siue locum vnum visitauerit, siue plura, etiamsi locus quilibet ab illo visitatus sufficeret ad procurationem integram persoluendam.* Bonifacius 8. cap. Felicis recordationis in 6.

Tertiò, cautum est antiquitùs, ne liceret permutare pecunia procurationes, hoc est, loco victus & cibariorum, nummariam pensionem sumere. Ita Innocent tertius cap. *Romana eccles.* *De Censibus* in sexto. Bonifacius cap. *Felicis Recordationis* ibidem, Concilium Prouinciale apud Langes, Concilium apud Castrum Guntherii anno 251 apud Bocherellum lib. 5. tit. 15. Attamen Concilium Tridentinum sess 24. cap. 3. Decreti de reformatione, morem & instituta Prouinciarum sequi oportere decernit, ac vbi pecunia exolui solent procurationes, ibi quoque in nummis esse recipiendas. De toto hoc negotio procurationum consulat lector beneuolus Clementinam ad nostrum de Censibus & exactionibus lib. 3. tit. 13. ca. 2. & extrauagantem Benedicti 12. quæ incipit *vas electionis*, vbi taxantur procurationes pabula charitatis, & subsidium charitatiuum. Nunc dicamus breui quænam Ecclesiæ procurationes debeant. Innocent. 4. cap. Romana de Censibus 8. in 6. Concilium apud Castrum Guntherii apud Bocherellum lib. 5. tit. 15. Concil. Trident. sess 24. cap. 3 Decreti de Reformatione.

suprema Monasteria quædam illustrauit. Apud eundem quippe Gregorium lib. 7. ep. 113. alias 115. legimus Vigilium summum Pontificem priuilegio ornasse Monasterium quoddam intra pomerium vrbis Arelatensis à Childeberto Francorum Rege constructum : Eadem epistola reuerentiam prædicat, quam fideles exhibent priuilegiis Pontificum. Idem Greg. ep. 12. lib. 6. priuilegium tradit Monasterio sancti Cassiani, sub Respecta Abbatissa Massiliæ constructum. Præterea epistola 18. lib. 7. datur priuilegium Monasterio sanctorum Ioannis & Stephani in ciuitate Classitana.

Greg. mag. lib. 7. ep. 113. alias 115.

Greg. ep. 12. lib. 6. & ep. 8. lib. 7.

Verùm animaduertendum priuilegia eiuscemodi summorum Pontificum, nunquam coercuisse potestatem spiritalem, quam obtinét Episcopi in Monasteria, sed tantum authoritatem quandam, seu dominium temporale, in res & bona eorundem. quippe primis illis temporibus res omnes Ecclesiarum in ditione ac potestate Episcopi versabantur, adeoque fas erat ipsis prædia, opes & census Ecclesiarum ac Monasteriorum pro arbitrio moderari, & quæ illic erant oblata aut relinquere, aut asportare. Quamobrem Monasteriorum fundatores, vt rebus ac commodis Monachorum consulerent, facerentque, ne liceret ab eorum dominio quæcumque donata aut oblata essent, auellere, solebant aut à summis Pontificibus, aut ab ipsismet locorum Episcopis priuilegium emereri, quo bona & res Monacho-

Digitized by Google

rum subducebantur ditioni & administrationi tàm Episcoporum, quàm Archidiaconorum. Secundò, cùm ex iure communi, sit penes Episcopum societates omnes, quęcumque caussa Religionis & pietatis coalescunt intra fines suæ Diœceseωs, regere, aut eisdem præficere Rectorem, siue ex ea societate sit, siue aliunde accersatur: aduersus eam potestatem priuilegia impetrabant à summis Pontificibus, à quibus libertas dabatur Monachis, eligendi è suo sodalitio Abbatem. Tertiò cùm posset Episcopus pro suo nutu quos vellet in Clerum tollere, etiam inconsultis Abbatib. imploratus est aduersus eam authoritatem Pontificum fauor, ac cautum ne sine licentia ac permissione Abbatis, Monachi in Clericorum ordinem adsciscantur.

His tribus prærogatiuis includuntur omnes priuilegiorum gratiæ ante nonũ aut 10. sæculum. Adde summotos è Monasteriorum alta pace litium ac controuersiarum strepitus, interdictum ne in illis placita fiant siue ab Episcopis, siue à Comitibus, siue ab Archidiaconis, quæ omnia quartum caput priuilegiorum possunt efficere.

Hæc verò quæ dicimus patent ex epistolis eiusdem Gregorii, nam Monasterio sancti Cassiani priuilegium indulget de electione Abbatissæ & de sola administratione rerum Monasterii. Priuilegium Monasterii Arelatensis solam rerum & opum Monasticarum securitatem spectat, prohibet enim Pontifex ne facultates Monasterii au-

ferantur. Priuilegium datum Monasterio sanctorum Ioannis & Stephani in ciuitate Classitana, eò tantum spectat vt liberam habeant Monachi electionem Abbatis, & vt res Monasterii administrent. Atque vt pateat à iure visitationis non fuisse propterea exemptos, referendi sunt oculi ad postrema huiusce priuilegii verba, quibus monet Episcopum Rauennatem Marinianum, vt continenter ac modestè se gerendo inter visitandum, Monachos, faciat, vt ab iis desideretur, non fugiatur. *Si*, inquit, *charitatis officium illic impleat Episcopus, tamen grauamen aliquod Monasterium non incurrat, vestram quoque fraternitatem prædictus Abbas non solum non metuat ad Monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscat.* Greg. mag. ep. 18. lib. 7.

Apud Aubertum Miræum in Codice Donationum Belgicarum legimus priuilegium datum Monasterio Elnonensi à Martino Papa circa annum 651. At priuilegium istud solas spectat res temporales, earumque stabilem penes Monachos possessionem.

Prima ergo priuilegia, quibus Monachi ab onere procurationum, siue Circatarum sunt exempti, ab ipsamet Episcoporum beneficentia originem traxerunt. Ita Landericus Parisiensis Episcopus exemit Ecclesiam sācti Dionysij, ab omni pensione Synodorum & Circatarum: quod priuilegium, Antiquitatis peritissimus Syrmundus vulgauit tomo primo Conciliorum. Ita Bertefridus Episcopus Ambianensis indulsit Corbi-

Priuileg. sancti Landerici tom 2. Concil. Galliæ.

censibus Monachis priuilegium, quo quidem cauetur ne liceat Episcopo aut Archidiacono Monasterii lustrationem instituere, nisi vocantibus & inuitantibus Monachis. Apud Innocentium tertium lib. 2. epistola 113. Viterbiensis Episcopus relaxat procurationes sibi debitas à Monasteriis sancti Laurentii, sanctæ Mariæ & sancti Angeli de Spatha. Aliqua eius generis priuilegia reperiuntur in Promptuario Antiquitatum Trecensium editarum à Camusatio, vt priuilegium Altaris sanctæ Mariæ de Summauera & de Braux folio 82 priuilegium trium altarium de Laderniaci Corte, Dodiniaca Corte, Reginiaca Corte, & pluribus aliis, quibus in priuilegiis hoc annotandum, nempe consuetudines, procurationes, Circatas, Synodos sic altaribus præfatis remissas, vt tamen Episcopi Trecenses in earum pensionum locum annuum censum sibi soluendum retinerent.

Promptua. Antiq. Trecens. fol. 82.

Neque verò existimet aliquis post ea priuilegia atque exemptiones, Monasteria non amplius cognitioni & potestati Episcoporum, quoad res spirituales fuisse summissa: Nam vt antea notaui, istæ exemptiones solummodo spectabant immunitatem ab onere pensionum temporalium Et cõfirmatur amplius ex Priuilegio Monasterii sancti Galli, quod extat tomo primo rerum Alemanicarum parte prima. In eo quippe post præfatas immunitates diserte exprimitur Monasterium subiacere Episcopo, quoad spiritalia Sic enim compendio eius loci prærogatiuæ notantur: *ita*

Priuilegiũ sancti Galli tom. 1. rerum Alemanicarum p. 1. fol. 18.

vt

vt deinceps nullam potestatem Episcopi in rebus eiusdem Monasterii haberent, neque in censu, neque in vlla alia præter spiritalem tantummodo Episcopalis officii dignitatem, &c. Vnde à vero, vt opinor, absuntqui Canonem Toletanum, Canonem Ilerdensem volunt Monachos à potestate Episcopi, seu Diœcesana lege liberos asserere Propterea quod istis Canonibus remittitur Monachis pensio Cathedratici, & solutio tertiæ partis oblationum. Istis quippe Canonibus Patres non tam studuerunt auctoritatem Episcopalem minuere, quã ærarium Monasticum augere. Vnde frustra se torquent alii, confingendo nouum discrimẽ inter legem Diœcesanam, & legem iurisdictionis. Eodem quippe omnino sunt, & imperium Episcopale significant. Cuius plurimæ fuerunt partes & notæ, quarum vna fuit res Ecclesiarum moderari, & tertiam oblationum percipere. Hanc vero partem suæ potestatis commodo Monachorum studentes Episcopi remiserunt, vt annona largior & splendidior illis familia suppeteret, quos Deo penitus mãcipatos, & solius æternitatis amore flagrantes, necesse erat aduersus vitæ incommoda certis ac constitutis stipendiis honorari.

Vide dissertationes Florentis Antecessor.

linquitur quid Cathedratici nomine Præsulib. solueretur, ante tempora Concilii Braccarensis 2. quo rebus Episcoporum auctis in eum modum, qui sustinendæ dignitati sufficeret, decretum est ne Episcopi à Parochitanis Presbyteris quidquam in posterum pro *honore Cathedræ*, præterquam duos solidos sumerent. *Placuit vt nullus Episcoporum, cum per Dioceses suas ambulant, præter honorem Cathedræ suæ. i. duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat.* Hanc sanctionem sequentibus sæculis Patres & Concilia firmarunt. Pelagius ep ad Cresconiũ illustrem, Concilium Toletanum 7. Canone 4. vbi Monasteriorum Basilicæ ab hac pensione eximuntur. Gelasius Papa episto. ad Fabianum Episcopum, & plures alii.

Conc. Braccarense 2. c. 2.

Pelag. ep. ad Cresc. Concil. Tolet. 7. Can. 4. Gel. ep. ad Fab.

Dubium verò an pensio hæc grandis fuerit an moderata, quod ex notitia monetaria petendum. Certum est ergo solidum monetam fuisse vsu receptam, etiã sub Adriano Imperatore. Eius enim mentio fit in Edicto Prætoris composito per Iulianum, vbi pœna solidorum decem imponitur ei, qui in suggrũdio, subtus quod iter fieri solet aliquid posuerit, cuius casus possit nocere ambulanti. Nomen autem solidi nactum est istud monetæ genus, quòd cæteris longè perfectius esset, nempe auri obryzi, hoc est, exquisitè percocti. Vale solidorum non idem semper fuit ac similis. Antiquissimis temporibus ex vna auri vncia sex solidi fiebant, vnde solidus sextula dictus est, vt ait Isid. in originibus, & liquet ex trito versu Fannii.

l. si verò Prætor ff. de his qui effuderint vel deiecerint.

Sextula quæ fertur, Nam sex his vncia constat.

Eadem ratione Græci ἑξάγιον solidum nuncupant, subinde vero imminutus solidi valor. Quippe Constantini temporibus ex vna auri vncia facti sunt septem solidi, vnde libra auri continebat solidos octoginta vt patet ex lege 1. C. de *ponderatoribus* Codicis Theodosiani lib. 12. tit. 7. Verùm valentiniani tempore legitimum pretio solido restitutum, cautum quippe vt ex auri libra 72 solidi fierent. Cæterùm annotandum solidos etsi aurei essent, apud Francos tamen minoris pretii fuisse, vnde in Italia vendibiles non erant, hoc est, ad commercium idonei, ita enim appellantur apud Theodosium, sicut in extrauaganti Martini l. *de emptione & venditione* dicuntur *polemæi*, pro quo restituendum *empolæi*, hoc est, vendibiles. Vnde Gregorius primus pensiones rerũ Ecclesiasticarum, quæ in solidis soluebantur, iubet impendi in emptionẽ aut vestium aut seruorum, quandoquidem solidi Gallicani apud Italos pro spuriis & decurtatis haberentur. Inuenio apud eosdem Gallos solidorum valorem mutatitium ac desultorium, modò enim valebant quatuor tantum denarios, vt ex lege Salica constat, in quo 800. denarii dicuntur æquari 200. solidis, modò solidi quadraginta denarios argenteos valuerunt, vt constat ex lib. 4. cap. tit. 75. vnde census impositi seu domibus, seu prædiis, seu personis, valde dubii erant. Cum enim census illi in solidis condicti essent ac taxati, vt loquuntur, cogebant de-

Alii, legunt leues vel debiles.

Greg. passim in ep ad Rectores patrimonii Galliarum.

Capit. lib. 4. tit. 75.

bitoresillos solidos in denariis soluere, & quadraginta denarios pro solido quoque præstare, cùm tamen tempore, quo census fuerat constitutus, longe minus fuisset pretium solidi. Vnde in Synodo Remensi supplicatum à Principe, ne solidi per quadraginta denarios excurrerent: Ac tandem Ludouicus pius Capit. lib. 3. cap. 7. constituit vt omnes mulctæ census, & pecuniariæ illationes, quæ in solidis dictæ ac taxatæ fuissent, per duodecim denarios pro solido quouis soluerentur. His ergo præmissis, facile intelligitur quantum solueret Episcopo vnaquæque Ecclesia pro iure Cathedratici, nempe duos solidos, hoc est tertiam partem vnciæ auri. Vnde triginta sex Ecclesiæ libram auri singulis annis Episcopo soluebant. Quamobrem si cogitemus Diœceses quasdam ita amplas ac populosas fuisse, ac etiam nunc esse, vt quingentas aut octingentas Parochias contineant, apparebit hunc censum non mediocrem fuisse, & nonnullos Episcoporum ex solo Cathedratico plusquam triginta auri libras percepisse.

An autem apud Gallos ista Cathedratici pensio recepta fuerit, dubium fortasse. Verùm ambigendi occasionem reuellit ac resecat Constitutio Tolosani Capitularis: Ex qua patet morem fuisse Gallicanis Presbyteris Cathedraticum persoluere, non quidem in nummis, sed in cibis, frumento & annona; verùm hunc morem relictum arbitrio Parochorum, quibus licuit stare Bracca- Capitulare Tolos. ca. 2

rensis Synodi Decreto, de præstatione duorum solidorum; ita enim habetur Capitulo secundo: *Vt vnum modium frumenti, atque vnum modium hordei cum mensura, quæ publica, & probata, ac generalis, seu legitima, per ciuitatem & pagum, atque vicinitatem habeatur, Episcopi à Presbyteris accipiant, frischingam sex valentem denarios, aut sex pro ea denarios, & non amplius, exigant; & si hæc non accipiunt, accipiant pro his, si volunt, duos solidos in denariis, sicut in Toletano & Braccarensi consensu Episcopi considerasse dicuntur.*

Frischinga est porcellus mediæ ætatis.

Restat inquirendum an Cathedraticum cum tertia, quartaue oblationum ac decimarum debeat confundi. Ad cuius rei notitiam, subnotandum in Galliis hunc vsum fuisse, vt quarta pars oblationum ac Decimarum ad Episcopum spectaret, eique Parœcias lustranti traderetur. In Hispania verò non quartam, sed tertiam sumebant Episcopi: Volunt itaque nonnulli tertiam istam ac quartam in annuum censum duorum solidorum fuisse cómutatam: verùm res aliter habet, credo. Nam, etsi eodem Canone Braccarensis Synodi secundæ, quo Cathedraticum duobus solidis constituitur, decretum sit ne Episcopi tertiam oblationum partem tollerent; inde tamen non sequitur Cathedraticum huic tertiarum iuri successisse. Ideo enim abstinendum ab Episcopo decernitur, ab hac tertia parte, quòd Ecclesiæ inopes ac calamitosæ aliunde non haberent, quo possent luminaribus cœmendis sufficere; ita enim

loquitur Canon: *Si tertiam partem illam Episcopus tollat, lumen & sacra abstulit Ecclesiæ.* Pluribus porro argumentis probari potest tertiam oblationum à Cathedratico longè summotam. Quippe tertia oblationum, vt dicimus, Ecclesiæ ornamento, & luminibus cedit; at Cathedraticum rei & lucro Episcoporum vertitur. Secundò, post condictam & decretam Cathedratici pensionem, adhuc reperimus Episcopos tertiam oblationum cepisse. Quippe Concilio Toletano quarto Era 671. sexaginta fermè annis post Concilium Braccarense, quod incidit in Eram 610. mentio fit tertiæ partis oblationum, Decimarum, tributorum Episcopis persoluendæ, Canone 33. Concilia subsequentia Cathedratici non meminerunt ante Toletan. 7. Can. 4 quo quidem non prohibentur Episcopi tertiam oblationum tollere, sed tantum ab iniquis exactionibus temperare. Rursus Concilium Toletanum 9. Can. 6. permittit vt Episcopus tertiam sibi debitam auferat, & det cui voluerit. In Concilio Toletano decimosexto permittitur Episcopis tertiam illã auferre, modò Ecclesiis farciendis inuigilent.

Vnum hoc explicandum parergi loco, nempe antinomia, quæ videtur esse inter Canones 14. & 15. Concilii Aurelianensis primi: Nam Canone 14. iubetur vt Episcopi medietatem oblationum percipiant: at Canone 15. decernitur vt tertia pars iisdem fideliter deferatur: quam antilogiam conciliare oportet, intelligendo Canonem decimum

& ordine missarum ipsi Episcopo reddat & ostendat.

Hanc consuetudinem, quæ tempore Religioni dicato Presbyteros à cura gregis distrahebat, sustulit Ludouicus in capitulari Aquisgranensi anno Imperij tertio. Constituit quippe, *vt discendi gratia alio non quadragesimæ tempore Presbyteri ad ciuitates vocentur.* De Synodis vero annatim fieri solitis extat Canon 7. Concilij Antisiodorensis, quo decernitur, *Vt medio Maio omnes Presbyteri ad Synodum in ciuitatem veniant & kalendis Nouembris omnes Abbates ad Concilium conueniant.* Quo Canone videntur Synodi Abbatum distingui, à Synodis Presbyterorum. Taceo alias Episcoporum Synodos bis in anno fieri solitas, in præsentia Regis, prima Calendis Martiis, secunda Calendis Octobris: primæ locum rex designabat: secundę Episcopi, vt extat in Concilio Vernensi canone 4.

Cap. lib. 1. c. 99. apud Syrmundũ tom. 2. ad annũ 816.

Concil. Antisiod. can. 7.

Cõcil. Vernense 1. cap. 4.

Per singulas vero Synodos Presbyteri aliquid Episcopo soluebant, quod Synodaticum appellant. Differt autẽ pẽsio Synodatica tum à Circatis, tum à Cathedratico, tum à quarta oblationum: à Circatis quidem seu procurationibus. Nam priuilegium sancti Lãderici, quo immunitas tribuitur Sandionisianis Monachis, expresse habet illos deinceps fore exemptos à *Circatis & Synodaticis.* In priuilegio Gualonis Trecẽsis Episcopi expresse habetur quod Presbyteri quibus commendata erunt altaria sanctæ Mariæ, *De summa vera & de Braux ad Trecensem veniant Synodum & Synodalia non negligant soluere seruitia.*

Promp. Trecense fol. 352.

In rescripto Philippi Trecensis Episcopi quod habetur promptuarij folio 352. cauetur vt Sacerdotes Ecclesiæ S. Ioannis & Ecclesiæ de Capella Vallonis, *Soluant Episcopo omnes Synodales consuetudines libere & absque vlla contradictione*. In signo seu diplomate Hattonis ibid. pag. 319. Ecclesiæ Ausonii & Luxodi obligantur ad soluendas *Circadias & Synodos*. Disertissime vero notantur & distinguuntur omnia ista iura in capitulari Tolosano. Nam capitulo secũdo agitur de Cathedratico, capitulo quarto, quinto & sexto agitur de Procurationibus seu Circatis, & tandem capitulo nono, atque vltimo agitur de Synodis & statuitur. *Vt Episcopi Synodos à Presbyteris nisi sicut docet auctoritas Canonum duas scilicet & per tempora constituta non exigant*, quo loci nomine Synodorum non modo præsentia quam debent Presbyteri, sed etiam pensiones nummariæ continentur.

Capit. Tolosanum tom 3. Cõcil. Gall.

Quantum vero quilibet Presbyterorum Episcopo solueret Synodi nomine, dubium est & incertum. Vnum hoc citra ambiguitatem dici potest censum hunc non fuisse eundem, sed varium pro varia Parochiarum conditione, illustriores largius, angustiores leuius vectigal Episcopi ærario inferebant. Omnino vero hac in parte delatum est iudicio & consuetudini maiorum, vnde pensiones istæ in cartis ac tabulis, consuetudines Synodales appellantur.

Vnde vero natæ sint non est facile augurari, nisi quod dicendum olim in Synodis solitos fuisse Epis-

copos Sacerdotes ad se venientes disciplinis Ecclesiasticis informare, ac publica habere iudicia de moribus Sacerdotum ac Clericorum, quam in rem libraria erat opus suppellectile, notariis, scribis Amanuensibus, qui rerum in Synodo actarum memoriam in commentarios referrent, & Presbyteris indicem traderent rerum agendarum. Propterea cum res ista sine sumptibus agi non posset, ideo Presbyterorum singuli suas symbolas tradebant. Secundo dici potest Episcopum summam esse in Ecclesia dignitatem, quam instar Regis ac Principis omnes oportet tenui quadam & ad facultates accommodata tributi illatione venerari. Tertio referri potest ista consuetudo ad antiquissima Ecclesiæ tempora, cum nondum abundarent opibus Episcopi, essentque communi præsidio Parochorum, atque Clericorum educandi. Quidquid alij fingant, certum est hanc pensionem antiquissimam esse, & in Gallis natam primis Ecclesiæ temporibus. Argumento est priuilegium Landerici ad annum 658. quo remittitur debitum Synodatici persoluendi Sandionisianis Presbyteris: signum est ergo consuetudinem istam, ita fuisse in Ecclesia receptam ac commendatam, vt nullus eam aduersus posset obniti, nisi qui singulari priuilegio muniretur.

Hæc de Synodatico, dicamus de Eulogiis. Eulogiarum nomen ambiguum plerumque panem à Sacerdote benedictum significat, hic spontaneum munus & donarium, quo Presbyteri vltro Episcopos colunt in monimentum beneuolentiæ. Nam

Digitized by Google

vt Cathedraticum Synodaticum iustitiæ tribuuntur, sic Eulogiæ charitati consecrantur & amori: Ita solitos olim Episcopos legimus S. Pontificem vltroneis muneribus honorare; suumque in eius dignitatem animum largitione spontanea profiteri. Ita apud Gregorium legimus Felicem Episcopum Messanensem ad ipsum misisse Eulogiarum & Xeniorum nomine Palmacinas. Eò autem loci palam fatetur Gregorius se non delectari Xeniis, ideoque Palmacinas vendi curasse, ac earundem pecuniam Felici præfato remittere.

Eulogiæ autem duplicis generis, quædam exactæ ab episcopis, quædam vltro delatæ à Presbyteris. Nam postquam Presbyteri, sponte se Eulogiis summiserunt, eorum affectum quidam Episcopi vectigal fecerunt & beneuolentiam mutauere in necessitatem. Non mirum ergo si de vario isto eulogiarum genere, variè quoque patres senserunt, nam voluntarias probant & laudant Concilium Meldense sub Carolo Caluo Canone 45. *Decet Presbyteros cum voluntariis Eulogiis tempore congruo visitare & venerari suos Episcopos.*

Conci. Meldense can. 45.

Eandem sententiam confirmat Leo 4. Epistola secunda ad Episcopos Britanniæ. *De Eulogiis ad sacra Concilia deferendis nihil inuenimus à maioribus terminatum sed sicut vnicuique Presbytero placuerit. Nam si constitutum fuerit illo in tempore benedictiones adferri: forsan minus libenter ad Synodos occurrent, & magis venire detrectabunt, quæ vt arbitror non sunt rationabiliter requirendæ, nec vltro delatæ respuendæ.* Ex

Leo 4. epist. 2. ad Episcopos Britanniæ.

quibus verbis apparet Eulogias deferri solitas tempore Synodorum. Vnde quidam eas commiscere ac confundere posset cum iure Synodatici, nisi docuissemus antea Synodaticum fuisse necessitatis. At respondebunt Synodaticum duo continere præsentiam & nummariam pensionem, prius necessitatis fuisse, quia in Synodo erudiuntur Presbyteri, posterius libertatis. Sed videat Lector, an ista solutio cum præcedentibus congruat: Certe de non exigendis Eulogiis à Presbytero quando ad Synodum venit extat constitutio Hincmari Remensis in capitulis ad Archidiaconos Presbyteros anno Domini 874. *Nolite quasi pro aliquo adiutorio ad quamcumque rem denarios apud Presbyteros postuletis, neque quando ad Synodum vel pro inquisitione ministerij sui seu pro chrisma accipiẽdo venerint Eulogias exigatis, sed si cui forte commodum fuerit pro sua voluntate & cõmoditate aliquid offerre, cum gratiarum actione suscipite.*

Capi. Hincmari Remensis ann. 874.

Verùm animaduerte hoc Capitulum loqui de Archidiaconis non vero de Episcopis. Succedunt Eulogiis ea quę dicuntur inquisitiones Regiæ, hoc est Collatio quædam pecuniaria Regi eroganda, de prædiis Ecclesiarum de qua paucis inpræsentiarũ dicemus. Nã ad Ecclesiarum Iura & emunitates ista tractatio pertinet, obiter animaduertemus non quidem prohibuisse Concilium Toletanum decimum sextum, quo primùm istud inquisitionum nomen legitur, ne inquisitiones Regiæ fierent, sed prohibuisse, quominus Episcopi à Parochitanis Ecclesiis quidquam exigerent, verum quidquid Regi dare-

tur id ex suis fortunis ac opibus promererent, ita enim loquitur Rex Egica in tomo quem obtulit Patribus Concilij, *Hoc honorificentia vestra promulgare curabit, vt nemo Episcoporum pro Regijs inquisitionibus exhibendis Parochialium* Ecclesiarum *iura contingat, nec quascumque exinde inquisitiones, aut euectiones exigere audeat: sed de prædiis suarum sedium Regio culmini solita perquisitionum obsequia deferat, nihilque de rebus earundem Parochiarum Ecclesiarum, cuiuspiam stipendii caussa dare præsumat, quod si fecerit duorum mensium spatio excommunicari se nouerit.* Lecto itaque tomo illo sic æquam censuerunt Regis postulationem, vt Canone 5. eius Synodi decernerent nil esse sumendum à Parochiis nomine Regiarum inquisitionum. Vnde liquet anno circiter 700 à Christo nato, solitos fuisse Hispaniarum Reges è prædiis Ecclesiasticis subsidium petere. Secundo apparet ante hoc Concilium Parochitanas ecclesias fuisse huic pensioni obnoxias. Tertio onus istud in solos Episcopos reiectum.

In Gallia vero vbi Reges semper & humaniores & religiosores quærat aliquis an inquisitiones istæ locum habuerint. Non repeto quæ præmisi libro secundo de legibus & edictis aduersus Ecclesiæ bona & facultates. Verum hic strictim dico Ecclesiasticos nostros semper fuisse bonos ciues, ac necessitatibus regni non segniter prouidisse, Concilii Leptinensis comprobatio habet assutum Canonē de Ecclesiali pecunia in sumptibus exercituum, nomine precarii exhibenda. *Statuimus cum consilio*

Concilii Leptinensis confirmatio.

seruorum Dei & populi Christiani propter imminentia bella & persecutiones cæterarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, vt sub precario & censu aliquam partem Ecclesialis pecuniæ, in adiutorium exercitus nostri, cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione vt annis singulis, de vnaquaque casata solidus, id est, duodecim denarii ad Ecclesiam vel Monasterium reddantur; eo modo vt si moriatur ille, cui pecunia commodata fuit, Ecclesia cum propria pecunia reuestita sit: Et iterum si necessitas cogat, aut Princeps iubeat, precarium renouetur, & rescribatur nouum, & omnino obseruetur vt Ecclesię vel Monasteria penuriam, paupertatemque non patiantur, quorum pecunia in precario præstita sit, & si paupertas cogat Ecclesiæ *vel domui Dei integra reddatur possessio.*

Exemplum porro inquisitionum regiarum reperio apud Aimoinum lib. 5. cap. 35, vbi propter Caroli simplicis Romam euocati & acciti à summo Pontifice profectionem, collatæ & corrogatæ sunt ab Ecclesiis pecuniæ, *Exegitque vnisquisque Episcopus de Presbyteris suæ Parochiæ, secundum quod possibile erat, vt à quo plurimum quinque solidos à minimum quatuor denarios, Episcopi de singulis Presbyteris acciperent, & nuntiis dominicis redderent, sed & de Ecclesiarum thesauris, prout quantitas extitit, loci ad idem tributum exoluendum acceptum fuit,* &c. De inquisitionibus regiis per Henricum II. vide Math. Paris. in eius vita.

Aimoinus l. 5. ca. 35.

Præter ista iura habent etiam Episcopi facultatem exigendi charitatiui subsidii, quod Lateranen-

se Concilium vocat mediocre subsidium. De quo inter recentiores iuris canonici mystas variæ quęstiones mouentur, quarum vnica tantummodo huic nostræ disceptationi competit, nempe quibus in casibus liceat istud ab Episcopo implorari. In genere, censent grauem & vrgentem necessitatem idoneam esse rationem illius subsidii expetendi, ita vt quantitas illius auxilii necessitatis magnitudine sit mensuranda.

Speciatim autem definiunt casus eiusdem necessitatis, primò, vbi in fabricam Ecclesię Episcopus cogitur grandes sumptus facere. Ita Hostiensis in capite *Conquerente de Censibus* & in capite *Cum Apostolus*. Secùndo, quando Episcopus ad S. Pontificis tribunal profectionem instituit, præsertim quando Episcopi facultates ad eas expensas non sufficiunt. Innocentius in capite primo de *statu Monachorum*, Hostiensis in dicto cap. *conquerente*. Tertio, quando pergit ad Regem & Principem. Quarto, quando excipit Regē in Prouincia. Quinto, quando nuncii Apostolici excipiēdi sunt ac procurandi. Sexto quando in re Ecclesię propugnanda ac defendenda sumptus fecit insignes. Septimo, quando in fauorem totius Diœcesis operam & reditus proprios impendit. Octauo, quādo ęre alieno grauiter oppressus est. Nono, quando bellis aut latrociniis vexatur. Decimo quādo vocatur ad Concilium generale. Vndecimo quando tenues sunt Episcopii reditus. Duodecimo, quādo nullâ suâ culpâ facultatibus lapsus est. Decimo tertio pro expensis

pensis Bullarum & Annatæ. Decimo quarto pro iucundo aduentu.

An autem & quando hæc charitatiua subsidia in Gallia indici possint & colligi, legatur Boerius Decisione 133. vbi refert Burdegalensem Archiepiscopum imposuisse Clero pensionem quater mille & quingentarum libellarum, pro suo ad Prouinciam regendam accessu, à qua impositione appellarunt Monachi sancti Romani ad Senatum Burdegalensem, qui re cognitâ Religiosos, Clerumque omnem ab hac pensione absoluit.

Licet vero per modum tributi extorquere non possint Prælati charitatiuũ subsidium tanquã domini tẽporales. Attamẽ non video cur illis inopia laborantibus possit hoc negari; si enim Christiano cuiuis subuenire ex iustitia tenemur, quoties pecuniarum egestate aut vita illius periclitatur, aut dignitas: quãto magis id debetur Episcopis, si angustia rerum ac fortunarum languescant, & eorum nomini ac ordini dedecus impendeat. *Alias*, inqut, *Paulus, Ecclesias expoliaui stipendia accipiens ad ministerium nostrum.* 2 Cor. 11. Si ergo ad Corinthiacæ Diœceseos regimen Paulus nõ dubitauit ab aliis Ecclesiis suppetias promere, quanto æquiori ratione ad propriam Diœcesim regendam & ad ministrandam, possunt moderatum à suo grege auxilium implorare.

Digitized by Google

De obuentionibus quas Episcopi olim ex consecratione altarium & Ecclesiarum consequebantur.

CAPVT IV.

ALtarium ac Ædium sacrarum inaugurationes solis licet aggredi pontificibus, in quorum Diœcesi versantur. Ac licet summi Ecclesiæ Rectoris maiestas vbique veneranda sit, ac suprema in omnes auctoritate dominetur: Censuere tamen veteres non esse temere petenda ab eo priuilegia ædis alicuius sacræ præter mentem & consensum Episcopi Diœcesani consecrandæ, Rodolphus Glaber refert ventis ac tempestate disiectam & dissipatam Ecclesiam Monasterij Lucacensis, in pago Turonico, quam Fulco Andegauorum Comes extruxerat, cum eam Petrus quidam Cardinalis, contra voluntatem Hugonis Turonẽsis Archiepiscopi cõsecrare meditaretur, quod inquit Glaber Monachus, *cum multi per regionem factum comperissent, nulli venit in dubium, quoniã insolens præsumptionis audacia irritum constituisset votum, simulque præsentibus ac futuris quibusque, ne huic simile agerent euidens indicium fuit, licet namque Pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem Apostolicæ sedis cæteris in orbe constitutis reuerentior habeatur, non tamen ei licet in aliquo transgredi Canonici moderaminis tenorem, &c.*

Digitized by Google

Non inficiandum tamen Catholico imperio & generali administratione posse S. P. sufficere quosdam in locum Diœcesani Episcopi, ad consecrandas Ecclesias, si id Religionis splendor & fidelium vtilitas postulet, cui proprii præsules ac Diocesani obnitantur.

Ita Patriarchico nomine consecrantur apud σταυροπήγια eo ritu qui in Euchologio Græcorum refertur capite trigesimo ὧδε. σταυροπήγιον γίνεται οὕτως· ἀναφέρεται τῷ πατριάρχῃ περὶ τῆς οἰκοδομῆς τοῦ ναοῦ καὶ γίνεται γράμμα προτρεπτικὸν ἢ πρὸς τὸν ἔξαρχον αὐτοῦ ἢ πρός τινα τῶν ἀρχιερέων ἐπιθεμελιωθῆναι καὶ καθιερωθῆναι, καὶ τὸν ναὸν τελεσθῆναι ἐπὶ σταυροπηγίῳ πατριαρχικῷ· κελεύει δὲ γενέσθαι, καὶ σταυρὸν ξύλινον ἐν ᾧ γράφουσιν· οἱ πατριαρχικοὶ γραμματικοὶ ἐν τῷ ἑνὶ μέρει σταυροπήγιον πατριαρχικὸν ἁγιασθὲν ἐπ᾽ ὀνόματι τοῦ ἁγίου τοῦδε ἐν τῇ θεοσώστῳ πόλει τῇδε ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ τῇ δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ θελήματι παρὰ τοῦδε τοῦ ἁγιωτάτου, καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, ἐν τῷ δὲ ἑτέρῳ μέρει ἐπὶ τῆς βασιλείας τῶν εὐσεβεστάτων ἡμῶν τῶν δὲ κατὰ μῆνα τὸν δὲ ἐν ἔτει, &c. Euchologium cap. trigesimo.

Stauropegium sic fit. Refertur *ad Patriarcham de ædificatione templi, & conscribuntur litteræ commonitoriæ ad exarchum ipsius vel aliquem ex Archipræsulibus vt templum fundetur, consecretur & perficiatur sub nomine stauropegii Patriarchici. Iubet autem fieri crucem ligneam in qua notarij Patriarchici scribunt ex vna parte hæc verba Stauropegium Patriarchicum consecratum in nomine sancti N. in hac à* Deo *seruata vrbe, in tali Prouincia, proprio nutu & voluntate Talis sanctissimi Patriarchæ; ex altera vero parte scribitur regnantibus piissimis Regibus tali mense, tali anno, &c.*

Id autem ex Galliæ nostræ ritibus non omittendum censeo, non modo templum, sed templorum quoque portas solitas fuisse consecrari, ac reliquias sanctorum iis inseri, non secus ac in altaribus includuntur. Morem hunc elicio ex Capitulis Ludouici pii capitularium lib. 2. tit. 13. *Si in atrio Ecclesiæ, cuius porta reliquiis sanctorum consecrata est, huiusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur: si vero porta Ecclesiæ non est consecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur, sicut componi debet, quod in immunitate violenter committitur.* Consecrationes porro Ecclesiarum fiebant solenni ritu, vocatis quotquot commode venire poterant Episcopis, vnde occasione Encæniorum plerumque Concilia celebrata, quod fusissimè docuit Hallerius noster præfatione in defensionem Hierarchiæ.

Hallerius in præfatione ad Hierarchiæ defensionem.

Quod vero ad expensas & sumptus consecrationis pertinet, reperio inter solennia Encæniorum annonam pauperibus largissimè erogatam. Ita Gregorius lib. 1. Ep. 54. ad Petrum Subdiaconum. *Quia cellæ*, inquit, *tenuitas exigit debere nos in ipsa dici festiuitate concurrere, propterea volumus, vt ad celebrandum dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verueces duodecim, gallinas centum, quæ tuis possint rationibus imputari.* Loquitur autē de dedicatione oratorii Beatæ Mariæ in Monasterio Abbatis Mariniani. Imo & Reges ac Principes non pauperibus modo sed

Gregorius lib. 1. Epist. 54.

viris quoque illustribus Episcopis ac Sacerdotibus donaria impertiebantur, quando ædes sacra ab iis constructa & dotata dedicabatur. Apud Matthæum Vvest-Monasteriensem ad annum Domini 798. Cinulphus Rex Merciorum inter dedicandum Ecclesiam Vunichelcumbam insigne edidit specimen Regiæ munificentiæ. *Nam* (vt loquitur author) *præter illa xenia, quæ optimates susceperant inæstimabilis precij & numeri, in vtensilibus vestibus, equis lectissimis, omnibus qui agros non habebant libram argenti, Presbyteris, marcā auri, Monachis solidum vnū & postremo multa vniuerso populo erogauit* de largitione in Episcopos paulo ante hæc habet *in Conuentu*, inquit, *tredecim Episcoporum nullus largitatis passus est repulsam, dum singuli refectis marsupiis hinc abibant.*

Matthæus Vvest Monasteriensis. ad ann. 798

An vero stipendij aliquid decretum fuerit Episcopo dedicanti, hic certe cardo est controuersiæ: Concilium Braccarense secundum Can. quarto, non exigenda donaria decernit, sed nec respuenda constituit, si vltro offerantur, *placuit vt quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopi inuitantur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirant, sed si ipsi quidem aliquid ex suo voto obtulerint, non respuatur. Si verò aut paupertas illum aut necessitas retinet, nil exigatur ab illo.* In Concilio Cabilonensi sub Carolo Magno idem constitutum Canone 16.

Concil. Braccarense 2. Can. 4.

Concil. Cabil. Can. 16.

Licet autem ex actiones Ecclesia perpetuò sit auersata, tanquam indignas Christiano Præsule,

Digitized by Google

cui terram sordescere oportet & omnes animi cupiditates in cælum eniti. Attamen recentioribus sæculis, video aliquid persolutum Episcopo nomine consecratorum altarium., Nam apud Helmodum legimus Episcopum omnibus bonis ac facultatibus exutum fato ac miseria temporum suorum, ex consecratione altarium & Cathedratico victitasse, *Hartuicus*, inquit, *Bremensis Episcopus necessitate compulsus ministerialiũ reditus Episcopales per trienniũ abiurauit, vt infra tẽpus illud omnia ex integro soluerentur. Episcopus vero ex his, quæ de Cathedratico vel consecratione altarium consequi poterat, victitabat*, Chronici Slauorum lib.3.cap.21.

Helmoldus Presbyter Chronici Slauorum lib.3.cap.21.

Omnino vero plura & varia obtingebant Episcopis ex altaris dedicatione, quorum alia ad honorem, alia ad lucrum & commodum spectant, Iura honorifica erant, administratio dotis Ecclesiasticæ, cuius indicem tradebãt Episc. fundatores, ita vt liberum ei esset deinceps quam vellet administrationis legem conscribere. Secundo licuit Episcopo in ea Ecclesia quam consecrasset Cathedram ponere. Imò vero existimarim perpetuo hæsisse illic ac stetisse Cathedram Episcopalem, quæ esset indicium ac monimentum summæ autoritatis, qua Ecclesias à se consecratas regebat. Conjecturam peto ex priuilegio Monasterij sancti Cassiani, apud Gregorium libro sexto epist. 12. *Die*, inquit Gregorius, *natalis vel dedicationis supradicti Monasterij, Episcopo illic Missarum sacrã conueniat solemnia celebrare, à quo tamen ita est hoc officium*

Gregorius Mag. lib. 6. epist. 12.

exoluendum, vt Cathedra *eius nisi prædictis diebus dum illic Missarum solemnia celebrat non ponatur. Quo discedente similiter etiam Cathedra illius de eodem oratorio auferatur.* Nisi enim consuetudo fuisset vt Cathedra Episcopi perpetuo fixa in Monasteriis hæreret, non opus fuisset priuilegio ad illam amouendam: at priuilegium eò tendit vt discedente Episcopo tollatur eius Cathedra. Eundem ritum confirmat Martinus Pontifex in priuilegio Monasterij Elnonensis, *Missas quoque publicas ab Episcopo in eodem cœnobrio fieri omnino prohibemus, ne in seruorum Dei recessibus, & eorum receptaculis, vlla popularibus præbeatur occasio conuenticuli, nec audeat ibi Cathedram collocare, &c.* apud Miræum in donationibus Belgicis. Ita Hebræi quoties circumcidunt Moysi Cathedram ornant, existimantes ea ceremonias imaginaria eius præsentia fulciri Tertiū iuris honorifici caput, fuit ius & potestas illic Synodum congregandi, ordines celebrandi, Mallum tenendi, quod ius aut sua sponte aliquando abdicabant Præsules, aut priuilegijs summorum Pontificum inuitati.

Martinus Pontifex apud Aubertū Myræum Codice donationum Belgicarum pag. 4.

Succedunt iura quædam vtilia quorum primum est annus census. Nam inter inaugurandum Ecclesias censum annuū statis diebus soluendum imponebant, vt liquet passim ex cartis & tabulis, & toto titulo *de Censibus*, Non solum autem sibi censum paciscebantur Episcopi, sed Monasteriis, quoque & Religiosis domibus, quibus Capellas & Ecclesis efficiebant vectigales. Quam obrem

vetitum, ne post Ecclesiarum dedicationem noui census seu ex arbitrio Clericorum seu Sacerdotũ imponerentur, cap. *scientes*, capite *prohibemus*, cap. *præterea*, de *Censibus*.

Licet autem in fauorem Monasteriorum ac Religiosorũ, nouum censum Ecclesiis imponere non liceret: attamen ad emerendam libertaté, & impetranda priuilegia nouis censibus locus fuit. Nempe cum à cognitione & administratione Episcoporum soluerentur Monasteria, censum illis S. Pontifex imponebat pendendum Ecclesiæ Romanæ, cuius Alodia dicebantur. Hinc illæ loquendi formulæ, *Tradere in Alodium D. Petri sub annuo censu.* In priuilegio Monasterij Vindocinensis imperantur duodecim solidi gallicani soluendi quotannis Lateranensi Palatio. *Sanè* (inquit Calistus 2.) *id indicium percepta huius ab Ecclesia Romana libertatis duodecim solidos monetę vestræ quotannis Lateranensi Palatio persoluetis.* Acta Murrhensis Monasterij referunt omnia eius bona commendata Eghardo cuidam, ea conditione vt Romam proficiscens ipse omnia traderet ad altare sancti Petri Romæ, *Eo pacto vt singulis annis circa medium quadragesimæ aureus nummus qui duos nummos & dimidium monetæ de thurego appendat, persoluatur.* Sexcenta eius generis reperiuntur in Cartis & tabulis Monasteriorum, è quibus patet ritum constituendi Alodia beati Petri fuisse vt index seu catalogus bonorum & prædiorum Monasterij descriptus ad altare D. Petri Romam

Priuilegiũ Vindocinẽsis Monasterij apud Sirmundũ in notis ad Gofridum Vvidocinẽs.

Acta Murrensis Monasterij impressa Spirembergij.

deferretur

deferretur, quo ritu designabant se in tutelā Pontificis omnia contradere. Quinetiam Reges, si quod priuilegium indulgerent Monasterijs, vt libertatem eligendi sibi Abbates & Aduocatos inscio atq; inuocato Episcopo tūm solebāt sibi retinere annuum censum. Apud Ratpertum Monachum Rex Ludouicus pius eam libertatē indulget Monasterio sancti Galli. *Et in ea carta*, inquit Ratpertus, *conscribi iussit Regia dona sibimetipsi, secundum consuetudinem aliorum Monasteriorum securitate praditorum, quotannis ventura, id est, duos caballos, & duo scuta cum lanceis.* Post censum annuū succedit inter iura vtilia, *Redemptio altarium*, seu *ius personæ* hoc est, Parochi, seu Sacerdotis instituēdi. Quod ius maximè obtinebant Episcopi in Parochias Monasteriis insitas, quarum decimas vel ex toto, vel ex parte sumebant Monachi. Nam quoties earum Parochiarum Rectores fato fungerentur, toties censebantur altaria & decimę redire in manum & potestatem Episcopi, tanquam summi & directi earum domini, à quo Monachi eas iure solius feudi & beneficij obtinent. Quamobrem indictâ & constitutâ pensione, decimas & altaria ab Episcopis Monachi redimebant.

Ratpertus Monachus cap. 1. Tom. 2. Antiquit Al parte;

Verùm cùm Monachorum Ecclesiæ sæpius personis ac Clericis suis orbarentur, siue quod emori ipsos contingeret, siue quod tenuitas stipendij hinc absistere compelleret, istâ pensione Redemptionis altarium fessi, Pontificis auctoritatem aduersus Episcopos implorarunt. Itaque

Digitized by Google

1. q. 3. Can. quæsitum. sub Vrbano 2. in Concilio Aluerniæ summota ista consuetudo altaria redimendi. *Ita apud Gratianum* 1. *q.* 3. *Cano.* 4. *quæsitum est de Episcopis qui altaria Monasteriis data. &c.*

Quia autẽ Vrbanus 2. saluum esse voluit annum censum, nec quicquam ex eo Episcopis auferri, idcirco Episcoporum quidã, vt annuo censu iacturam istam Redemptionis altarium compensarent, nouum censum Ecclesiis imposuere, vel antiquum & consuetum auxere, quæ altera fuit occasio Monasticis querelis, quarum specimen videre est apud Godofridum Vindocinẽsem Epist. 12. lib. 3. ad Vlgerium Episcopum Andegauensem.

Omnino vero vt intelligamus quænam mens fuerit Papæ. Animaduertendũ Ecclesias Monachorum duobus simul oneribus obnoxias extitisse, & redimendis altaribus, & annuo censui persoluendo. Itaque Vrbanus Pontifex, integrum voluit remanere Episcopis annuũ censum.

Non est ergo quod quis putet censum istum inuentum ac excogitatum de nouo, post tempora Concilij Claromontani, & quasi suffectum Redemptioni altarium. Nam vtramque obligationem vni & eidem Ecclesiæ impositam, vnico testimonio satis comprobo, quod extat apud Aubertum Miræum in diplomate libertatis Ecclesiæ Messinensis per Drogonem Teruanensem Episcopum, anno 1065. in cuius fine hæc habentur, *Illud etiam superest memorandum, quod altare de Vvar-*

neston ad mensam supradictarum sanctimonialium tali pacto concessi, vt mihi & successoribus meis annuatim decem solidi persoluantur denariorum, pro restitutione personæ ipsius altaris alij decem. Vbi distincte duæ pensiones enumerantur, vna pro Redemptione altarium, seu restitutione personæ: altera pro annuo censu.

De obuentionibus quas sortiuntur Episcopi ratione consecrationis personarum.

CAPVT V.

ETsi ante propagatum Sacerdotij ordinem, & nouis auctâ coloniis Christi familiâ, tingendis vngendis, & Christi carne saginandis Fidelibus, ipsi per se Præsules atque Episcopi incũberent: attamen diuisis subinde officiis, & sollicitudine gregis in Presbyteros deriuatâ, duo tantum Sacramenta supersunt, quibus Episcoporum Maiestas sola defungitur, Chrismationis nempe atque Ordinis: de quibus videndũ an eorũ caussa & occasione, stipendij aliquid olim Episcopi perceperint.

Etsi inundinationem omnem in re sacra, & infamem quæstum auersata fuerit antiquitas, eiusque mens fuerit cauendum esse præ cæteris, ne ad Ordinem recipiantur pecuniâ magis quã virtute cõmendabilea, & qui nummis explere auaritiam

Digitized by Google

Prælatorium potius quàm populorum sitim verbis sanioribus depellere possint; Attamen nunquam existimaui omnem omnino munerum & oblationum receptationem à Prælato præsertim non iussam & liberã esse simoniæ dura contumelia vexandam. Faciamus enim Prælatũ cui hoc animo insitum sit, non nisi probitate & doctrina insignes ad sacros Ordines extollere, arcere rudes, imperitos, nefarios, etsi nũmis auroq; turgeant; huic certe in extrema & aliunde, inconsolabili inopia iacenti, si subsidium aliquod inaugurati pendant Sacerdotes, quid peccatur, nisi charitatem vitio ducimus, & hunc membrorum cum suo capite consensum simultatis aduersus Deum accusamus.

Simonis labes & spurcissima nundinatio, vbi admittitur? nisi quando pretium rebus sacris ponitur, & pecuniæ illecebris excantatus Præsul Majestatem Sacramentorum violat in indignos conferendo. At vbi nec pactum nec pretium fecit auaritia, si quid charitas necessitati suppeditat, impleuit præceptum, non violauit.

Et certe nil sanctius ac Christiano homini venerabilius incruento Christi sacrificio, quod in dies à Sacerdote renouatur; hoc primum & maximum Religionis nostræ mysterium. Si ergo propter celebrata mysteria licet Sacerdotibus stipendium à Laïcis sumere, sine simoniæ nota? quare aliquando innocentes Eulogas non licebit Præsulibus sumere, quando sponte ab inauguratis Sacerdotibus offeruntur.

Itaque munera, fauores, officia, adulationes ab Ordine summouerunt Patres longe studiosiùs quàm ab vllo sacraméto: ne mens humana quæ in corruptelā facilè degenerat assuesceret caducis rebus inhiare, & Episcopi non salute populorum, sed expectatione munerum sacerdotum inaugurationem metirentur.

Adde quod ad Ordines acrius solent homines eniti, quàm ad alia Sacramenta. quippe per illos via sternitur ad gradus & dignitates Ecclesiæ, quorum cum ambitiosi homines esse soleant, non mirum si sumptibus ac impensis sibi haud parcendum ducant, vt quod studio & magnitudine doctrinarum consequi non possunt, saltē fauore & ambitu mereantur. Ea ergo caussa omnem stipendiorum rationem ab Ordine summouit antiquitas cuius vt ritus & consuetudines expendamus diuidendum, hoc caput, & dicendum primo de collatione maiorum Ordinum, nempe Episcopatus. Secundo inferiorū, & de his omnibus percontandum, an licuerit olim stipendiū aliquod sumere.

In Episcopatu vt dignitas illustrior, ita quoque ad eum obtinendum maior semper fuit hominum contēti. Olim imperatores à nouis Episcopis pecunias exigebant. Ita Anastasio Synaitæ infensum legimus Iustinum quod pecunias noluisset persoluere nomine dignitatis recens acquisitę, Apud Euagrium lib. 5. c. 5. Turcarum Imperator exigit à Patriarcha Constantinopolitano certum Euagrius lib. 5. c. 5.

tributum, quod *Charatzium* dicitur, inuentum Raphaelis cuiusdam Hieromonachnatione Seruij: qui cum sola crapula nobilis esset, pollicitatione istius tributi infulas emit ab Imperatore, & eius iussione factus est patriarcha, vt est in historia Patriarcharum Græce edita per Malaxum Turcogræciæ Crusij lib. 2 p 151. Cũ vero tributum istud initio esset tantum bis mille ducatorum, auctum est subinde Pontificum ambitione, Sultano fœdissime adulantium, vsque ad summam centum & quater mille ducatorum. Cæterum notandum *Charatzium* esse annuum tributum, cui nouum aliud adiunxit Simeon quidã patria Trapezuntius, quod peschesium dicitur & istud semel tantum, initio Patriarchatus soluitur fuitque initio aureorum mille & creuit postea eadem Præsulum cupiditate & honoris libidine.

Malaxus in hist Patriarcharum lib. 2. Turcogræce.

Quidquid sit autem de muneribus ac donariis, quæ Principes à recens inauguratis exegerunt, quæ materia ad inuestituras pertinet. Certum est Concilium Calcedonense omnem erogationem nummariam ab Ordinibus summouisse, ita enim Can. 2 Act. 15. *Si quis Episcopus per pecunias fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaueritque per pecunias Episcopum aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum aut quemlibet ex his, qui connumerantur in Clero, aut promouerit per pecunias dispensatorem aut defensorem vel mansionarium &c. is qui hoc attentasse probatus fuerit proprij gradus periculo subiacebit,* quem Canonem se-

Concilium Calcedonense Can. 2. Act. 15.

quuntur & confirmant Braccarense 3. Can 7. Parisiense 3 lib.1.cap.11. Nannetense Can. 7. Nicænum 2 Can 7. Inseruit hunc Canonem Sanctionibus suis Constantinopolitana Synodus particularis sub Leone Papa anno 459. cuius Synodi decretum explicans & laudans Theodorus ait mentem fuisse Patrũ, vt nec ante ordinationem, nec peracta ordinatione quidquam sumeretur, cum in ea re sordes lateant, & corruptio delitescat.

Concil. Braccarens. 2 Can. 7. Parisiense lib.1.cap 11. Nannetense Can. 7 Nicænũ 2. Can 7.

Subinde vero, licet ordinatores nil sumerent, pro collato Ordine Episcopatus: attamen quasi in omen lætitiæ & fausti ad thronum accessus noui Episcopi munera ordinantibus largiebantur & sportulas, ducto fortasse à prophanis dignitatib⁹ exmplo quarũ auspicia muneribus sparsis cõsebant. Ita legimus Claudiũ pro nouo sacerdotio octogies sestertium pensitasse, vt est apud Suet in Claudio: ita noui coniuges dona quæ γαμηλία dicebantur amicis missitabant. Vt liquet ex Symmacho Ep. 14. lib. 4. quæ est ad Stilichonem.

Suetonius in Claudio cap. 9.

Symmachus Ep. 14. lib. 4.

Verum cùm sportulæ istæ in dies crescerent, atque in incommodum nouorum Episcoporum verterentur his modum imposuit Iustin. nouella 123. ff. *si quis. Iubemus inquit beatissimos Archiepiscopos & Patriarchas, hoc est, senioris Romæ & Constantinopoleos, & Alexandriæ, & Theopoleos, & Hierosolymorum, si quidem consuetudo habet Episcopis & Clericis in eorum ordinatione non minus quam viginti auri libras dari, ipsa solummodo præberi, quæ con-*

suetudo recognoscit : plus autem ab hac quantitate nihil supra viginti auri libras praeberi. Metropolitas autem à propria Synodo, aut à beatissimis Patriarchis ordinatos, & alios omnes Episcopos, qui aut à Patriarchis, aut à Metropolitis ordinantur, dare pro Inthroniasticis quidem solidos centum, notariis autem ordinantis, & aliis ministrantibus ei, & solemniter accipientibus solidos trecentos.

Si vero Ecclesiæ reditus minus quidem quam triginta auri libras per annum reddant, non minus autem quam decem: dari pro Inthroniasticis solidos centum: aliis autem omnibus qui ex more capiunt, sol. 200. Si vero minus quidem quam decem, non minus autem quinque auri libris Ecclesiæ reditus esse contigerit, pro Inthroniasticis quidem dari solidos quinquaginta, omnibus autem aliis ex consuetudine percipientibus, solidos ducentos. Si autem minus quam quinque, non minus autem duas auri libras Ecclesiæ reditus habeat, pro Inthroniasticis solid. decem & octo. omnibus autem aliis ex consuetudine percipientib. solid. 24. Si autem minus tres, non autem quam duas auri libras quantitas redituū Ecclesiæ comperiatur, dare pro Inthronisticis quidem solidos duodecim, pro omni vero alia consuetudine solid. sex. Episcopatuū enim Ecclesiæ minus duas auri libras reditus habentem, neque pro Inthronisticis, neque pro alia qualibet consuetudine dare aliquid permittimus. Verum vt malum est auaritia, quod, hominum commercio difficile est amoliri, inuentæ postea sunt aliæ rationes pecuniæ corradendæ pro cartis & tabulis pro notariis pro pastello. Vnde Gregorius primus in Synodo Romana re-

uellendum

uellendum istud malum censuit, denunciato Anathemate: *Antiquam patrum regulam sequentes nil quidquam de ordinationibus accipiendum, esse consi-tuo, neque ex datione pallii, neque ex traditione cartarum; neque ex ea, quam noua per ambitionem simulatio inuenit appellatione Pastelli. Quia enim ordinando Pontifex manum imponit, Euangelicam lectionem minister legit confirmationis autem Epistolam notarius scribit: sicut Pontificem non decet, manum quam imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinatione vocem suam vel calamum venundare &c.* Quid sit autem Pastellum facile est intelligere, nam cum prandio excipere ordinatores eiusque ministros, honestas non vetaret, pro prandio & pastu pecuniam tradebant ordinati, & has sordes carpit Gregorius. Gregorius 1. in Synodo Romana.

Non inficiatur tamen posse Episcopum ordinatum aliquid muneris cuilibet ex clero impertiri. *Is autem qui ordinatus fuerit si non ex placito, neque exactus, neque petitus post acceptas cartas & pallium aliquid cuilibet ex Clero gratiæ tantummodo caussa dare voluerit, hoc accipi nullomodo prohibemus quin eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit.* Greg. lib. 4. epist. 44.

Ab ordinatione Episcoporum ad Presbyteros & Diaconos descēdamus. Interdictum omnino quidquam ab Episcopis sumi nomine ordinationis in Ecclesia Romana, Pelagius vt in eius vita refert Platina, constituit, vt quisquis promouendus est in sancta Ecclesia ab ostiario vsque ad gradum Episcopatus, neque per aurum, neque per aliquas promissiones proficiat, Conciliū Turonense 2. can. 28. Concil. Turonens. 2. can. 28.

Bracc. 2. can. 3. *Nullus Episcoporum de ordinationibus Clericorum præmia præsumat exigere.* Braccar 2. can. 3. placuit vt *de ordinatione Clericorum Episcopi munera nulla accipiat.*

In Ecclesia Orientali sub vltima tempora certa stipendia constituta Episcopis ordinantibus, Alexius Comenus apud Leunclauium lib. 2. Iuris Orient. in hunc modum edicit, *In Sacerdotum ordinationibus vigorem suum vetus obtinebit sanctio quemadmodum eadem aurea Bulla recenset, & cuiusque regionis Episcopus similiter 7. duntaxat aureos nummos accipiet, vnum quando simplicem Papam siue Lectorem facit tres quando eundem Diaconum ordinat, & alios tres quando Sacerdotem perficit &c.*

Alexius Comenus apud Leunclauium lib. 2. Iuris Orient.

Quod ad Sacramentum Confirmationis pertinet, nil quidquam à fidelibus collatum accipio, nisi forte auxilium ferrent Presbyteris ad Procurationes Episcoporum honestius instituendas, propterea Canones citati dicunt Episcopum recipiendũ à Presbyteris, *Cum adiuterio populi.* Verum licet ita res se habeat, attamen ad conficiendum chrisma illudque Parochis distribuendum, stipes excipiebant, & hanc consuetudinem viguisse in Francia, docet præfatum Landerici priuilegium datum Presbyteris consistentibus, intra territorium Monasterij Sandionisiani ad Parisios. Eo enim priuilegio fertur, vt Presbyteri, *sine pretio oleum & chrisma suscipiant*, frustra autem priuilegio ea libertas fulcienda foret, nisi consuetudo fuisset persoluendi pretii alicuius pro chrismate. Sustulit hunc morem in Hispania receptum, Concil, Braccarense 2. can. 4. *Placuit in*

Digitized by Google

modicum Balsami, quod benedictum pro Baptismi Sacramento per Ecclesias datur, quia singuli tremisses pro ipso exigi solent nil vlterius exigatur, &c.

De *obuentionibus Parochorum, ob collata sacramenta.*

CAPVT VI.

HActenus de Episcoporum bonis ac censibus, nunc ad Presbyteros gradum faciamus, & quæramus num stipendium illis aliquod antiqua indulserit pietas, nomine collati sacramenti. Offert se primùm Baptismus, ad cuius salutares riuos cum æstu & feruore nouæ Religionis calentes accederent, credibile est eos nec muneribus nec donariis pepercisse, quo suum in Presbyteros animum atque affectum testarentur. Et certe altiora iam spirantes, & æternitatis solius, cuius expectatione ardebant, cupidos, quis mortalia & peritura crediderit, vel flocci fecisse, nisi vt ea in pauperes spargerent, & in miserorum effigie Christum induerent, à quo nuper innocenti stola fuerant induti. Quamobrem mos solénis fuit, vt diuites & Magnates statim à suscepto baptismo, pauperibus fouendis operá darent, à quibus magnitudine diuitiarum non tam secerni sese intelligebant, quàm cum iisdem vnius fidei necessitudine ac sacramentorum societate coniungi. Hinc manabat feruor ille primigeniæ plebis opes suas ad Apostolorũ pedes adferen-

tis, quem posteri sequuti sunt; nam & apnd Prochorum in vita sancti Ioannis legimus Myronem quemdam, baptismo suscepto, ad pedes Ioannis thesaurum fudisse. Noster Clodoueus, vt liquet ex testamento D. Remigii non semel à nobis citato, grandes fortunas, prædia & latifundia post baptismum Ecclesiis, & restituit & de nouo indulsit. Vrceus ille miræ magnitudinis, quem ex dono Clodouei possidebat Remigius, nunquid in vsum baptismi eiusdem Regis fuerat comparatus & baptizatori relictus.

Prochorus in vita sancti Ioannis.

Omnino vero certum est in primis illis sæculis curiosos fuisse Christianæ fidei tyrones, vt diem baptismi sui muneribus & conuiuiis & veste nitidiori illustrarent. Vnde plurimis ea cogitatio suadebat differre baptismum, quod nimirum nec vestibus essent instructi, nec pecuniis quibus muneribus & conuiuio tam baptizatores quàm susceptores, hoc est, patrimos exciperent: Inquam opinionem, vt saluti infestam, inuehitur Gregorius Nazianzenus orat. 4. in sanctum baptisma, αἰσχρὸν εἰπεῖν ποῦ δέ μοι τὸ καρποφορούμενον ἐπὶ τῷ βαπτίσματι, ποῦ δὲ ἐμφωτείως ἐσθὴς ἧ λαμπρυνθήσομαι, ποῦ δὲ τὰ πρὸς δεξίωσιν τῶν ἐμῶν βαπτιστῶν. *Turpe est dicere, vbi est munus quod propter baptismum offeram, vbi splendida vestis in qua explendescam, vbi ea quæ ad initiatores meos excipiendos requiruntur, vt in his quoque rebus nominis celebritatem consequar.*

Gregorius Nazianzenus orat. 40. p. 655.

Nec modo eum diem conuiuiis & oblationibus ornabant: verùm & anniuersario festo baptismi

ſui memoriam conſecrabant, repetitis epulis & oblationibus, Micrologus de Eccleſiaſticis obſeruationibus cap. 56. *Romani*, inquit, *annotimum Paſcha quaſi anniuerſarium Paſcha dicunt, quia antiquitus apud illos qui in priori Paſcha baptizati erant, in ſequenti anno, eadem die ad Eccleſiam conuenere, ſuaque regenerationis anniuerſarium diem cum oblationibus ſolemniter celebrauerunt.*

Hanc conſuetudinem conuiuiorum pro baptiſmo inſtituendorum Moguntina Synodus ſecunda can. 16. ad modeſtiam reuocanda eſſe decreuit. *Commeſſationes, & parum ſobria conuiuia, quæ quibuſdam in locis poſt baptiſmum fiunt, per ciuiles magiſtratus inhiberi, aut ſaltem ad moderationem Chriſtianis dignam reduci volulumus.* Muneribus vero quæ baptiſantes offerunt, nil quidquam contrarium ſuaſit Eccleſia, niſi quod per auaritiam & ambitionem exigi non debere ſanctiſſimè pronuntiauit. Eò ſpectat Canon 48. Concilii Eliberitani, vt qui baptizantur, *nummos in concham non immittant.* Nam que moris tunc erat vt in eandem concham, è qua ſacri latices in baptizandi caput fluxerant, nummi à baptizato iniicerentur, quaſi pretium aquæ tam ſalutaris penſantes. Quare ne ſacramentum nundinari viderentur ſacerdotes, iſta collatio nummaria fuit interdicta. Cæterum non omnino prohibitam fuiſſe munerum ſuſceptionem docent poſteriores Synodi Hiſpaniæ, Braccarenſis ſecunda can. 7. donaria à parentibus ſponte oblata ſuſcipi poſſe decernit, non tamen exigi, *vt hi qui infantes*

Synodus Moguntin. Can. 16.

Concil. Eliberta. can 48.

uatę confeſſionis dicemus ad calcem capitis. Euchariſtia pœnitentiam excipit, cuius nomine oblationes & ſtipes collatas à fidelibus, in gratiam Sacerdotum ac Clericorum, conuiuia iiſdem parata docuimus fuſe libro primo ex Iuſtino Cypriano & aliis. Sponſalia aggrediamur, quorum ſanctitatis & integritatis vindex perpetuo fuit Eccleſia: quamobrem eorum nomine aliquid irrogatum Sacerdotibus non obſcurum eſt. Gregorius Magnus epiſtola ſupra laudata, ad ſolidum vnum reuocat iura Eccleſiæ pro nuptiis ruſticorum, *Peruenit ad nos,* inquit, *quod de nuptijs ruſticorum immoderata commoda percipiuntur, de quibus præcepimus, vt omne commodum nuptiarum vnius ſolidi ſummam nullatenus excedat: ſi qui ſunt pauperes etiam minus dare debeant: ſi qui autem diuites præfati ſolidi ſummam nullatenus tranſgrediantur.* Licet vero conductoribus maſſarum pecuniam hanc dandam & relinquendam decernat Gregorius, erat tamen Eccleſiæ debita, nomine nuptiarum, ſaltem quatenus erant ruſtici & coloni eccleſiaſtici. Eadem ratione Zacharias Pontifex permittit Bonifacio Moguntino Epiſcopo, vt 12. denarios annui cenſus exigat pro vnoquoque coniugio ſeruorum. Apud Græcos vero certum & conſtitutum Epiſcopo ſtipendium fuit, pro nuptiis eorum qui intra fines Diœceſeως nuberent, de quo ita Alexius Comenus apud Leunclauium lib. 2. Iuris Orientalis. *Præterea ſecundum ſanctionem Imperatoris Monomachi felicis recordationis, maieſtas mea ſtatuit, vt cum aliqui ſubiecti territorio cuiuſcunque re-*

Digitized by Google

gionis Episcoporum coniugij ritu legitimis vxoribus iunguntur accipiat Episcopus, à sponso quidem genero nummum aureum vnum, à sponsa vero linteum vlnarum duodecim, quemadmodum & ab antiquo sancitum est. Recentioribus vero sæculis longe clarius est solutum aliquid à fidelibus, tum nomine Baptismi, tum Confessionis, Nuptiarum & Extremæ-vnctionis, quam tabulæ cartę & monimenta vocant visitationem infirmorum eodem nomine quo appellatur à Gregorio Turonensi cap. 41. lib. 1. vbi à Nepotiano inunctum oleo Artenium quemdam Hispaniæ legatum memorat, fatali ægritudine laborantem.

Ad probationem eius rei profero cartas & instrumenta ex antiquitatum Trecensium promptuario. Extant in instrumento donationis Ecclesiæ sancti Ioānis de Sezania in fauorem Monachorum, articuli concordiæ inter Monachos & eius Ecclesię rectores Presbyteros, in quibus fit mentio oblationum quæ ad manum dantur Presbyteri', seu nomine Baptismi, seu Confessionis, seu visitationis Infirmorum. Fuit autem confecta illa donatio circa annum Christi millesimum octogesimum ex quo patet ante annos sexcentos morem fuisse Christianis aliquid stipendij nomine persoluendi suis Presbyteris propter collatum Baptismum, auditas Confessiones, & visitatos infirmos. Verba instrumēti subtexo. *Addidi etiam vt Monachis præfatæ Ecclesiæ residentibus & commorantibus, liceat Presbyteros eligere & mihi & successoribus meis presentare qui ab eis curam animarum suscipiant, & feodum Presbyterorum*

&

& beneficia possidere, ipsi tamen Presbyteri habebunt tantum de denarijs ad manum suam oblatis & de confessionibus & tricenarijs quartam partem & baptisterum totum & visitationes infirmorum, & si quis moriens aliquid eis dimiserit vsque ad 12. nummos habebunt. In rescripto Philippi Trecensis fit etiam mentio oblationum confessionis caussa. *Accipiant & Monachi duas partes oblationum quæ offeruntur in Ecclesiis à Natiuitate vsque ad Purificationem sanctæ Mariæ, & à Purificatione vsque ad finem anni, Monachi medietatem habebunt, & decimam eiusdem villæ & maiorem in tertio anno, Ecclesiam de Villeta & censum atrij, & decimam eiusdem villæ, confessiones vero quæ sine participatione altaris fiunt præfati habebunt.*

De obuentionibus Parochorum ratione funeris.

CAPVT VI.

FRustra mortalitati solatia inuident hæretici, frustra pompam & ornatus funerum quasi nuperæ superstitionis commenta suggillant, frustra dicteriis lacessunt cantus, ceram, faces, orationes & suffragia, quæ vel mulcendis viuentium doloribus, vel mitigandis vita functorum suppliciis Ecclesia adhibet. Etiam ab antiquitate ritus isti fluxerunt, quos qui audacius carpit, & humanitati bellum indixit, & Religioni. Psalmos fune-

Digitized by Google

gionis Episcoporum coniugij ritu legitimis vxoribus iunguntur accipiat Episcopus, *à sponso quidem genero nummum aureum vnum, à sponsa vero linteum vlnarum duodecim, quemadmodum & ab antiquo sancitum est.* Recentioribus vero sæculis longe clarius est solutum aliquid à fidelibus, tum nomine Baptismi, tum Confessionis, Nuptiarum & Extremæ-vnctionis, quam tabulæ cartę & monimenta vocant visitationem infirmorum eodem nomine quo appellatur à Gregorio Turonensi cap. 41. lib. 1. vbi à Nepotiano inunctum oleo Artenium quemdam Hispaniæ legatum memorat, fatali ægritudine laborantem.

Ad probationem eius rei profero cartas & instrumenta ex antiquitatum Trecensium promptuario. Extant in instrumento donationis Ecclesiæ sancti Ioãnis de Sezania in fauorem Monachorum, articuli concordiæ inter Monachos & eius Ecclesię rectores Presbyteros, in quibus fit mentio oblationum quæ ad manum dantur Presbyteri', seu nomine Baptismi, seu Confessionis, seu visitationis Infirmorum. Fuit autem confecta illa donatio circa annum Christi millesimum octogesimum ex quo patet ante annos sexcentos morem fuisse Christianis aliquid stipendij nomine persoluendi suis Presbyteris propter collatum Baptismum, auditas Confessiones, & visitatos infirmos. Verba instrumẽti subtexo. *Addidi etiam vt Monachis præfatæ* Ecclesiæ *residentibus & commorantibus, liceat Presbyteros eligere & mihi & successoribus meis presentare qui ab eis curam animarum suscipiant, & feodum Presbyterorum*

&

& beneficia possidere, ipsi tamen Presbyteri habebunt tantum de denarijs ad manum suam oblatis & de confessionibus & tricenarijs quartam partem & baptisterum totum & visitationes infirmorum, & si quis moriens aliquid eis dimiserit vsque ad 12. *nummos habebunt.* In rescripto Philippi Trecensis fit etiam mentio oblationum confessionis caussa. *Accipiant & Monachi duas partes oblationum quæ offeruntur in* Ecclesiis *à Natiuitate vsque ad Purificationem sanctæ Mariæ, & à Purificatione vsque ad finem anni, Monachi medietatem habebunt, & decimam eiusdem villæ & maiorem in tertio anno,* Ecclesiam *de Villeta & censum atrij, & decimam eiusdem villæ, confessiones vero quæ sine participatione altaris fiunt præfati habebunt.*

De obuentionibus Parochorum ratione funeris.

CAPVT VI.

FRustra mortalitati solatia inuident hæretici, frustra pompam & ornatus funerum quasi nuperæ superstitionis commenta suggillant, frustra dicteriis lacessunt cantus, ceram, faces, orationes & suffragia, quæ vel mulcendis viuentium doloribus, vel mitigandis vita functorum suppliciis Ecclesia adhibet. Etiam ab antiquitate ritus isti fluxerunt, quos qui audacius carpit, & humanitati bellum indixit, & Religioni. Psalmos fune-

Aug. lib. de Confes. cap. 12.

ris caussa cantatos Augustinus probat, vbi de matris funere loquitur lib. 9. conf. cap. 12. narratque Euodiũ sumpto Psalterio cantum inchoasse. Nissenus in exequiis Macrinæ cantum lamentatione conditum refert. In funere Iustiniani Corippus lib. 3 atria ceris accensis colluxisse memorat. Præ cæteris vero, preces pro mortuis fusas & pro illis oblationes institutas, supra docuimus titulo de oblationibus. Hinc primas Clericorũ obuentiones, funeris occasione, in oblationibus collocandas censeo; siquidem pauci admodum fideles, saltem qui mediocribus fortunis essent instructi, Ecclesia indonata decedebant; vnde tot Canones de mortuorum oblationibus non retinendis. Concilium Carthaginense 4. Can. 95. *Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excomunicentur.* Concilium Agathense iisdem pene verbis Can. 4. Concilii Valentini fragmenta apud Garciam. Concilium Vasense 1. Can 4. Arelatense 2. cap. 46. Aurel. 3. Can. 22. Matisconense 1. Can. 4 quibus patet frequentes & consuetas fuisse morientium oblationes.

Corippus de laud. Iust. lib. 3.

Post oblationem, funeris adminicula sequuntur, vt feretrum, ornatus seu velum inductum feretro, terra seu locus sepulturæ, Psalmodia, faces & ceræ, de quibus inquirendum an olim quidquam cõsuetum exigi. Certe feretrum conduci solitum ad deferenda mortuorum cadauera liquet ex Nouella quinquagesima nona, quâ docemur

triplex fuisse in vrbe Constantinopoli feretrum insigne. Primum quidem quod *Studij* dictum est, secundum paulo illustrius *Stephani* appellatum: tertium luculentissimum, nempe *maioris Ecclesiæ* auro intertextum, quo opulentiores deferebantur. Præterea erant lecticæ & loculi cómunes ad funus plebeiorum. Erat autem id discriminis inter ea lecticarum & feretrorum genera. Nam commune feretrum gratis, & sine pretio dabatur, at *Studij*, *Stephani* & *maioris Ecclesiæ*, pecunia códucebant: Studij quidem & Stephani, summâ solidorum duodecim: maioris Ecclesiæ, solidorum quatuor, geminato tamen Copiatarum stipendio.

Vectandis ferculis & deducendis cadaueribus operam dabant Copiatæ siue laborantes, barbaro & peregrino idiomate dicti Bargennæ, vt notat Cujacius ad Nouellam 43. Erant præterea in comitatu funeris *Canonicæ*, *Ascetriæ*, *Acoluthi*. Ascetriç & Canonicæ præcinebant, prælucebant Acolythi, Plebeiorũ funeribus sumptus suppeditabant Imperatores: erant enim mille & centum officinæ ab omni onere immunes, quarum reditus percipiebat Oeconomus maioris Ecclesiæ, eâ conditione vt Copiatis, Acolythis & Canonicis, nomine funerum, vnoquoq; semestri stipendia numeraret. Quod siquis pompâ augustiore & numero maiore Ascetriarum aut Acolythorum vellet funus illustrare, is ex ære proprio sumptus ac stipendia numerabat. Stipendij vero ratio ex itineris longitudine fuit æstimata. Nam si intra nouos muros

Cuiacius ad Nouel. 43.

Digitized by Google

condendum esset cadauer, tres solidos Ascetriæ capiebant, si extra nouos muros tres solidos cum dimidio. Vnde apparet à plebeis nil traditū fuisse nomine funeris ex ære priuato. Nā officinas eas donauerat Cōstātinus maiori Ecclesię, vt funera gratis curarentur Auxit numerum officinarum Anastasius & subinde Iustinianus.

Post feretrū & vespillones sequitur locus condendo cadaueri destinatus. Hunc vel proprium familiæ habent, vel communem.

Vniuersim vero locum sepeliendis corporibus pretio distrahere nefas olim crediderūt; Hieronymus ait Ephron nomen mutasse, postquam Abrahamo sepulchri aream vendidit, & Ephram appellatum, euanescente ab eius nomine littera ו*au*, vna ex quatuor, quæ diuinum nomen conficiunt, quasi nil in eo diuini, peracta tam infami nundinatione, resederit. In Concilio Triburiensi cautum ne ne terra vendatur. *Interdictum sit omnibus Christianis terram vēdere, & debitam sepulturam denegare, nisi forte proximi & amici defuncti, propter nomen & redemptionem animæ viri aliquid dare voluerint.* Idipsum citatur ex Concilio Varensi apud Gratianum 13. q. 2. Idipsum docuit Gregorius Magnus lib. 7. ep. 55. ad Ianuarium. *Graue*, inquit, *est & procul minus à Sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium* &c. *Vnde hoc auaritiæ vitium; ne vel in alienis denuò tentari præsumatur admoneo. Sed si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, si quidem*

Hieron. in quæst. Hebraic.

Concil. Tribur. c. 6.

parentes ipsius, proximi vel hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus, peti vero aut aliquid exigi omnino prohibemus &c. Est in sententiam Synodus Meldensis ad annum 845. Can. 72. In Capitulis Herardi Turonensis ad annum 856. Capitulo 77. de *venditionibus sepulchrorum, & de his qui pro sepultura munera exigunt, vt seueriter puniantur, & distringantur.* Sequuntur tandem ea quæ ornando funeri subseruiunt, vt faces, ceræ, luminaria, quibus adnumeranda censeo defunctorum vota, hoc est, donationes pias, quibus moribundi, Numinis clementiam emollire, & offensum Iudicem placare nituntur.

Quæcumque verò illustrandis exequiis impenduntur, oblationes etiam & vota defunctorum, ea ad Ecclesiam pertinent, in qua aliquem oportet sepeliri. Sepelitur autem quilibet in sepulchro Maiorum, si quod extat. Primùm enim Episcopi, deinde Reges, tandem Magnates etiam ac Principes ædes quasdam suæ sepulturæ caussa construxerunt, vt patet ex fundationibus Monasteriorũ, quorum plurima, seu ad Episcoporum, seu ad Regum exuuias condendas fuere exædificata. Exemplum rei istius sacri codices suggerunt, vbi legimus Iosephũ statuisse, vt si quando Israelitæ ex Ægypto demigrarent, tum ossa ac cineres suosecum exportarent Maiorum sepulchris inferendos.

Cum ergo sepelitur aliquis extra Ecclesiam Parochialem in Maiorum monimento, tùm licet ei Ecclesiæ obuentiones funerum competant: tamen

præcipuo quodam iure portionem Canonicam sibi vendicat Parochia, in qua cœlesti pabulo solebat refici, vt iuxta Apostolum sint consolationum socii, qui fuerunt passionum: vt rescripsit Leo tertius cap. *Nos instituta, de sepulturis.*

Quid autem & quanta sit Canonica portio, varii Pontifices variè definierunt, Leo III. præfato ca. tertiam partē Canonicam esse constituit. Idem vero quasi mutato consilio, vult medietatem eorum quę Monasterio offeruntur, Parochis competere, in ep. quam scripsit ad Episcopos Dardaniæ cap. *relatum, de sepultu a.* Lucius III. ad præpositum & Capitulum Fauentinum canonicam portionem ad quartam restringit cap. *cum super, de sep ulturis.* Innocent. III. singulari priuilegio, quo liberam omnibus apud hospitalarios sepulturam decernit, edicit iisdem, vt tertiam partem oblationum Parochiis restituant, præterquam de equis & armis, quorum nulla pars ad Parochos pertinebit, cap. *In nostra, de sepulturis.* Clemens III. tot pugnantes sententias ad pacem & concentum sic adducit, vt nempe mos seruetur regionum ac prouinciarum, ac vbi medietas solet persolui, soluatur, vbi tertia aut quarta, illic nil amplius Parochi à Monasteriis expetant. cap. *certificari de sepulturis.* Legem hanc portionis canonicæ Parochialibus Ecclesiis soluendæ confirmauerat Bonifacius 8. in Bulla quæ incipit *Super Cathedram,* qua nimirum lites & turbelas, quas Parochi & ordines Prædicatorum ac Minorum inter se mouerant, salutari concordia finire tentauerat ac compo-

nere. Verùm Benedictus 11. Bonifacii diploma contrario abrogauit oraculo; & quartam oblationum quæ funeris caussâ fiunt eripuit sacerdotibus, vnde sæuior tempestas & atrocius malum in Ecclesia pacem grassabatur, donec Clemens V. antiquatam & extinctam Bonif. constitutioné reuocauit, vt videre est in Clementina *dudum*, *de sepulturis*. l.3.tit.7.

Cùm autem fertur deberi quartam funerum, id non debet intelligi de aliis Ecclesiis, quã in quib. aliquis sepelitur: si enim ipsis aliquid fuerit donatum, Canonica portio non debetur Parocho; non intelligitur etiam de donatis Ecclesiæ inter viuos, nec de legato facto pauperibus loci alicuius. Item non intelligitur deberi Parochis Canonica portio, si quid legatũ illis fuerit, quod eam partem possit exæquare. Item si quid pro vasis & ornamentis Ecclesiæ legatur, tum Canonica portio nó est ex eo deducenda. Hîc vero restat vna difficultas, quamobrem ex cap. *Conquerente de Censibus*, quarta mortuariorum dicitur episcopo deberi, cùm in funeribus nullæ sint Episcoporum partes, quorũ oculos, si quid suadent legis antiquæ typi ac figuræ, ab omni spectaculo cadauerum oportet esse impollutos.

Huic vero difficultati plura possunt excogitari, quæ faciant satis, primò id ex antiquo Episcoporũ iure dimanasse, quorum erat quarta seu tertia quarumlibet oblationum, seu quæ Parochiis seu quæ Monasteriis ac Capellis contingerent. Secundò dici potest Episcopum olim funerum solennibus præfuisse. Dionys. Areopag. Ecclesiast. hierar. ca. — Dionysius Areopagita Eccl. hierar. c. 7.

7. moris fuisse refert mortuos ad Episcopum deferri. *Sumentes*, inquit, *mortuum ad Pontificem ducunt, quasi coronis donandum sacris:* Subinde alias adnectit ceremonias, quibus ipsi Præsules fungebantur, inter iusta persoluenda. *Postea*, inquit, *venerabilis Præsul precem super eo sacratissimam peragit, finita prece osculatur Episcopus mortuum, & omnes post illum, postquam omnes osculati sunt, infundit Pontifex mortuo oleum.* Ex his ergo liquet solitum fuisse Episcopum funeribus interesse, & mortuum expectare in loco sepulturæ designato. Eam consuetudinē fulcire vi- Concil. Triburiense Can. 15. *Vbicumq; temporum, vel locorum facultas tulerit, apud maiorem Ecclesiam, vbi sedes est Episcopi, sepulturæ celebrentur.*

Concludendum hoc caput Græcorum more in exequiis recepto, de quo ita Gerlachius. *Aliquo mortuo, cognati exequias, eo anno sæpius celebrant, magnis sumptibus in ea celebratione, omnis generis legumina, & varia genera rerum pistarum, cum vino optimo ante sacrarium ea copia afferuntur, vt omnibus, qui sunt in templo sufficere possint. Calogeri & Presbyteri ad ea sacra conuenientes, cum paucis scholasticis canunt, multiplicis crucis signatione vtentes, &c.* Vltra funera & exequias nil tento scis enim amice Lector.

HÆC VLTIMA LINEA RERVM.

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google